image
not
available







R

LOCULAMENTUM QUINTUM.


Insunt:

Profani, Sacrique Juris Rudimenta.

Scilicet:

Synopsis Institutionum Juris.
Explicatio Rubricarum Digestorum, & Codicis.
Synopsis Juris Feudalis.
Synopsis Juris Canonici.
Analecta de Doctrina & Ritibus Romanæ Ecclesiæ.
Regulæ utriusque Juris Leopoldinæ.
Index Titulorum Juris Civilis & Canonici.

* * *





Uod in reliquis Artibus ac Scientiis addiſcendis utile imprimis ac ſalutare eſt, ut nimirum earundem principia, ac, quibus innituntur, ima fundamenta, antequam ad altiora fiat progreſſus, memoriæ prius fideliter imprimantur, idem etiam, ſi quis in Divini Humanique Juris prudentia operæ pretium facere velit, obſervari debet. Neque enim illorum probari poteſt inſtitutum, qui, nondum initiati, illico in adyta Themidos irrumpunt, &, ſcatebras juris æquique truci ſupercilio deſpicientes, magnum illud & interminatum mare Controverſiarum & Commentariorum, plenis velis remisque, ingrediuntur. Quamobrem, cum Filium, indole ſua, & vi quadam inſita, ad Juris Studium trahi animadverterem, antequam eorum Scholas, qui Jurisprudentiam tradunt ſeveriorem, ingrederetur, iſta, quæ in hoc Loculamento inveniuntur, Rudimenta, prius comedenda, vel potius in ſuccum & ſanguinem convertenda, ei propoſui, etiam atque etiam ſimul ingerens ac inculcans vetus illud: *Poſſe olim in virili ætate taurum tollere, qui juvenis vitulum ſuſtulerit.*

SYNO-

SYNOPSIS INSTITVTIONVM JVRIS.



Inſtitutiones

complectuntur Libros IV. Titulos 99.

Pandectæ

complectuntur Libros L. Titulos 432.
Leges 9123.

Codex

complectitur Libros XII. Titulos 764.
Leges 4648.


Novellarum

Collationes ſunt IX. Conſtitutiones 168.

Feudorum

Libri ſunt IV. Tituli 123.





SYNOPSIS INSTITVTIONVM JVRIS.

PROOEMIVM.

PRoœmii ſumma hæc eſt: quod Juſtinianus Inſtitutiones ſuo juſſu a Triboniano, Theophilo, & Dorotheo compoſitas, confirmare vult, & plenum legum robur illis tribuere, easque Studioſis ediſcendas commendare. Huic principali propoſitioni, reliqua tanquam ornamenta accedunt. Nimirum, quod initio in genere, de duplici boni Imperatoris disſerit officio: & mox utrumque ad ſe in ſpecie accommodat: ubi & bellorum ſuorum atque victoriarum, & Juris ſua autoritate compoſiti, ſeriem texit. Denique, in comparatione quadam, hodiernorum juris Studioſorum felicitatem, præ antiquis, magnifice deprædicat.

LIBER PRIMVS.

Titulus I.

De Juſtitia & Jure.

F*Inis totius Jurisprudentiæ*, eſt Juſtitia; atque ad hanc omnia Legum juſſa diriguntur.

Juſtitia, eſt conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi.

Jurisprudentia, est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia: hæcque ideo res divinas atque humanas, bene & prudenter, seu, ex arte boni & æqui, disponit.

Juris Præcepta sunt: Honeste vivere: Alterum non lædere: Suum cuique tribuere. Eaque, importunissimos affectus, Libidinem scilicet, Iram, & Cupiditatem coërcent.

Studii Juris duæ sunt Positiones, Publicum, & Privatum. *Publicum* jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat: *Privatum*, quod ad singulorum utilitatem.

Privatum jus est tripertitum: collectum enim est, ex Naturalibus, Gentium, & Civilibus præceptis.

Titulus 2.

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

JUs Naturæ est, quod ipsa Natura omnes homines docuit, & cujus vestigia quædam in brutis reperiuntur.

Jus Gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & quod apud omnes populos peræque custoditur.

Jus Civile in genere est, quod quisque populus sibi ipse constituit: veluti est jus Atheniensium, Lacedæmoniorum.

Jus Civile Romanum est, quod Populus Romanus sibi constituit, & quo utitur: estque vel Scriptum, vel non Scriptum.

Scriptum Jus est, quod autoritate publica in scripturam relatum; cujus *Species* sunt sex: Lex, Plebiscitum, Senatus Consultum, Principis Constitutio, Prætorum Edictum, & Prudentum Responsa.

Lex

Lex est, quod Pop. Romanus, (antequam potestatem suam in Principem transferret,) Senatorio Magistratu interrogante, constituebat.

Plebiscitum est, quod Plebs, plebejo Magistratu interrogante, constituebat. Notandum vero, quod Plebs à Populo differt, ut Species à Genere. Nam, appellatione *Populi*, universi Cives significantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. *Plebis* autem appellatione, sine Patriciis & Senatoribus, cæteri Cives significantur.

Senatus Consultum est, quod Senatus jubet atque constituit.

Constitutio est, quod Principi placet, ut legis vigorem habeat. Constitutio *dividitur* 1. in Rescriptum, Decretum, & Edictum. *Rescriptum*, est Principis responsum, ad consulentes missum. *Decretum* est, quod Princeps, causa cognita, inter duos litigantes pronunciat. *Edictum* est, quod Princeps publice observandum proponit. 2. *Dividitur* Constitutio in *Generalem*, quæ in omnes valet, & *Personalem*, quæ personam, de qua lata est, non egreditur; nec debet in exemplum trahi: id est, nec ad alias similes personas, vel alios similes casus produci.

Edicta Prætorum dicuntur, quæ Prætores publice proponebant, tanquam ex iis jus dicturi.

Responsa Prudentum, sunt sententiæ & opiniones JCtorum, quibus a Cæsare permissum erat, de jure respondere.

Non scriptum jus est, quod usus approbavit. Nam diuturni mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur.

Objecta juris tria sunt: Personæ, Res, & Actiones.

Titulus 3.

De Jure Personarum.

OMnes homines aut Liberi sunt, aut Servi. *Libertas*, est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibetur.

Servitus, est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno, contra naturam, subjicitur.

Servi, aut *nascuntur* ex ancillis nostris, aut *fiunt* ex Captivitate, vel Emtione.

Liberi homines, sunt vel Ingenui, vel Libertini.

Titulus 4.

De Ingenuis.

INgenuus est, qui statim ac natus est, liber est. Hinc distinguitur a *Libertino*, qui natus est servus, & per manumissionem consequutus est libertatem.

Titulus 5.

De Libertinis.

LIbertinus est, qui ex justa servitute manumissus est.

Manumissio, est de manu, id est potestate, missio, seu libertatis datio.

Titulus 6.

Qui, & ex quibus causis, manumittere non possunt.

MAnumissio non valet in præjudicium Creditorum manumittentis, si & reipsa, & consilio manumittentis fraudentur. Nisi Servus, ex testamento Domini sui, libertatem & hereditatem simul accipiat.

Qui XVII. *ætatis* annum explevit, libertatem servo in testamento dare potest.

Tit. 7.

Titulus 7.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

LEx *Fusia Caninia* abrogata est, quæ certum tantum servorum numerum in testamento volebat manumitti: ut scilicet ex tribus, non plures quam duos; ex decem, dimidiam; ex triginta, tertiam; ex centum, quartam; & ex quingentis, quintam partem; ex nullo vero numero, haud ultra centum manumittere liceret.

Titulus 8.

De his, qui sui, vel alieni juris sunt.

JUs *Personarum*, consistit in harum statu & conditione: ex qua, Personæ aliæ sunt sui juris, aliæ, juri alieno subjectæ. Hæque sunt vel in potestate dominorum, ut Servi; vel in potestate parentum, quas Filiosfamilias nuncupamus.

Quodcunque per servum acquiritur, id Domino acquiritur.

Expedit Reipublicæ, ne sua re quis male utatur.

Non cuiquam hominum jus suum detrahendum.

Titulus 9.

De Patria Potestate.

PAtria potestas, est jus, quod Pater in liberos habet: & sunt in potestate Patris filii, ex filiisque editi nepotes, pronepotesve: ac sunt quoque filiæ in potestate; verum ex iis prognati, sunt in potestate sui patris.

Acquiritur Patria potestas duobus modis: Naturaliter, & Civiliter.

Naturaliter, per nuptias justas: in potestate enim nostra sunt, quos ex illis procreamus.

Nuptiæ, ſunt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Contrahitur namque matrimonium hoc animo & voto, ut nunquam diſſolvatur, *l. 1. ff. de jur. dot.*

Titulus 10.

De Nuptiis.

Iuſtæ & legitimæ Nuptiæ eæ ſunt, quæ contrahuntur ſecundum præcepta legum. Leges vero 1. hic requirunt, ut Maſculi ſint puberes, id eſt annorum quatuordecim; Fœminæ, viri potentes, id eſt duodecennes. *Vt* 2. in nuptiis filiorumfamilias, conſenſus parentum, in quorum ſunt poteſtate, præcedat. *Et* 3. ne inter cognatos, qui inter ſe parentes & liberi, aut parentum & liberorum loco, aut fratres & ſorores ſunt, contrahantur.

Civiliter, patria poteſtas acquiritur, Legitimatione, & Adoptione.

Legitimatio eſt, per quam Liberi naturales, ex concubinatu ſuſcepti, juſti & legitimi non ſolum efficiuntur, ſed & in patris poteſtatem rediguntur.

Legitimationis duos Imperator recenſet modos: 1. *Oblationem Curiæ*. 2. *Subſequens matrimonium.* Tertium idem addit, Nov. 89. *Reſcriptum Principis.*

Titulus 11.

De Adoptionibus.

ADoptio, eſt actus legitimus, quo aliquis nobis filius, & in poteſtate noſtra fit. Sed, Filii appellatione, intellige etiam nepotem, & pronepotem, atque ulteriores.

Adoptionis *duæ ſunt ſpecies*: Adoptio proprie dicta, & Arrogatio.

Ad-

Adoptio proprie dicta est, qua Filiifamilias, solius Magistratus autoritate, adoptantur.

Arrogatio est, qua Patresfamilias, ex rescripto Principis, apud Acta insinuato, adoptantur.

Adoptio Naturam imitatur.

Non debet alicui invito suus heres fieri.

Adoptati assimilantur liberis naturalibus.

Fœminæ liberos in potestate non habent.

Si, quod ago, non valet, ut ago, valeat, ut valere potest.

Titulus 12.

Quibus modis jus Patriæ potestatis solvitur.

P*Atria potestas solvitur* 1. *Morte* parentis, qui in potestate habet; nisi quidem nepos, morte avi, recidat in patris sui potestatem. 2. *Deportatione* patris, vel filii. 3. *Servitute pœnæ.* 4 *Si Patricius* fiat filius. 5. *Captivitate.* 6. *Emancipatione*, sive cum, apud competentem judicem, pater filium de potestate sua dimittit. 7. *Adoptione.*

Qui amittit Civitatem, pro mortuo habetur.

Dignitas, regulariter filiosfamilias non liberat a potestate patris.

Filius, in ejus potestate nascitur, in cujus potestate concipitur.

Titulus 13.

De Tutelis.

PErsonæ sui juris, sunt vel in Tutela, vel in Curatione, vel neutro horum jure tenentur.

Tutela, est vis & potestas, in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit.

In

In tutela ſunt *pupilli* ſive *impuberes*: & hos qui defendunt, *Tutores*, quaſi tuitores, appellantur.

Tutela eſt triplex: Teſtamentaria, Legitima, & Dativa, ſive Honoraria.

Teſtamentaria tutela eſt, quam ſortitur tutor ex teſtamento patris pupilli, quem in poteſtate habet. At, *filio emancipato* a patre datum tutorem, Magiſtratus etiam ſine inquiſitione confirmare debet.

Legitima tutela eſt, quam, deficiente teſtamentario tutore, impuberis proximis Agnatis & Cognatis lex committit.

Tutela Dativa eſt, quam, deficiente teſtamentaria & legitima, Magiſtratus mandat, & inde etiam Dativa appellatur.

Poſthumi habentur pro jam natis.

Titulus 14.

Qui Teſtamento Tutores dari poſſunt.

D*Ari tutor teſtamento poteſt* non ſolum paterfamilias, ſed & filiusfamilias.

Furioſus, vel *minor 25. annis*, tutor teſtamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut major 25. annis fuerit factus.

Tutor dari poteſt teſtamento ad diem, vel ex die, vel ſub conditione, vel pure, etiam ante heredis inſtitutionem.

Qui Filiis vel Filiabus tutores dedit, etiam poſthumis dediſſe videtur; non tamen nepotibus, nec neptibus.

Qui Liberis dedit, tam filiis, quam nepotibus dediſſe intelligitur. *Qui Poſteris* dedit, tam poſthumis, quam cæteris liberis dediſſe cenſendus.

Tutor datur perſonæ, non rei, vel cauſæ.

Tit. 15.

Titulus 15.
De Legitima Agnatorum tutela.

SI nullus ſit Tutor Teſtamentarius, jure Inſtitutionum ſoli *Agnati*, jure vero noviſſimo Nov. 118. *Agnati & Cognati*, eodem ordine ad tutelam, quo ad ſucceſſionem, vocantur, dummodo maſculi, & perfectæ ætatis.

Civilis ratio jura civilia tollere poteſt, non etiam jura naturalia.

Jus Agnationis minima capitis diminutione perit.

Titulus 16.
De Capitis Diminutione.

C*Apitis Diminutio*, eſt ſtatus mutatio.

Ejus genera tria ſunt: 1. *Maxima*, cum quis civitatem & libertatem amittit. 2. *Minor*, ſeu *Media*, cum ſola civitas amittitur, libertate ſalva. 3. *Minima*, cum, civitate & libertate retentis, ſtatus hominis commutatur: ut Emancipatione, vel Arrogatione.

Minima capitis diminutio, ſolam Agnationem tollit, non Cognationem. Maxima & Media, tam Cognationis, quam Agnationis jura tollunt.

Servus caput, id eſt, ſtatum non habet.

Manumiſſio, cognationem ſervitute amiſſam, non reſtituit.

Proximor, remotiori, in tutela ſuſcipienda præfertur.

Titulus 17. 18.
De Legitima Patronorum tutela. *Et:* De Legitima Parentum Tutela.

E*X mente & interpretatione legis 12.* tabb. defertur primo *Patronis* tutela Libertorum impuberum: Secun-

Secundo *Parentibus*, tutela liberorum emancipatorum.

Ex Lege esse dicitur, non solum quod ex verbis, sed etiam quod est ex mente & interpretatione legis.

Plerunque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet.

Titulus 19.
De Fiduciaria Tutela.

MOrtuo patre tutore legitimo, si qui sint *liberi perfectæ ætatis*, in ejus locum tutores fiunt.

Titulus 20.
De Atiliano Tutore, & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur.

CEssante testamentaria & legitima tutela, *Judex competens* pupillo tutorem dat.

Impuberes in tutela esse, naturali juri conveniens est; ut scilicet is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutela regatur.

Tutela finita, tutor Judicio tutelæ rationem administrationis reddere cogitur.

Titulus 21.
De Auctoritate Tutorum.

PUpillus, *sine tutore, conditionem suam meliorem*, non deteriorem, facere potest; unde alterum contrahendo sibi obligat, licet ipse ei non obligetur.

Sed *hereditatem*, licet lucrosam, neque jure directo adire; neque ex causa fideicommissi suscipere potest.

Tutor

Tutor statim in negotio præsens, si pupillo expedire putet, autor esse debet, post tempus vero, vel per epistolam, frustra autor fit.

Tutor in rem suam autor fieri nequit.

Titulus 22.

Quibus modis tutela finitur.

TUtela *finitur* 1. Pubertate, si pupillus sit factus major quatuordecim, vel pupilla major duodecim annis. 2. Capitis diminutione pupilli. 3. Eventu conditionis, usque ad quam tutor testamento datus est. 4. Morte pupilli, vel tutoris. 5. Maxima vel media capitis diminutione tutoris. 6. Existente tempore, ad quod usque tutor testamento datus. 7. Remotione tutoris suspecti. 9. Excusatione tutoris, quæ ex justa causa in perpetuum fit.

Ab his, quæ impudica sunt, abstinere oportet.

Titulus 23.

De Curatoribus.

FInita tutela, *Curatio* incipit; quæ, est prudens gubernatio, post pueritiam, sequentem juvans adolescentiam, usque ad 25. annum completum, adversus multarum rerum pericula, egentem adhuc auxilio.

Curator etiam furiosis, prodigis, surdis, mutis, mente captis, & qui perpetuo morbo laborant, præficitur, sive sint majores 25. annis, sive minores.

Cura, est vel *Legitima*, vel *Dativa:* nulla vero est proprie Testamentaria.

Inviti adolescentes Curatorem non accipiunt, nisi ad lites.

Cura-

Curator ad certam causam dari potest.
Habenti tutorem tutor dari non potest.

Titulus 24.

De Satisdatione Tutorum vel Curatorum.

NE negotia pupillorum, & eorum, qui in Curatione sunt, consumantur, vel diminuantur, *Satisdationem*, a Curatoribus ac Tutoribus, (exceptis iis, qui Testamento, & per inquisitionem Magistratus dati sunt) exigere debet Magistratus, rem pupilli salvam fore.

Titulus 25.

De Excusationibus Tutorum vel Curatorum.

SI quis Tutor vel Curator datus, oneri ferendo se imparem docere possit, habeatque justas excusationum causas, invitus oneri tutelæ vel curæ implicari non debet.

Sunt autem *justæ excusationum causæ*: 1. Numerus, trium Romæ, quatuor in Italia, & quinque in provinciis, liberorum. 2. Administratio rei fiscalis. 3. Absentia Reipublicæ causa. 4. Publicum Magistratus officium. 5. Lis cum pupillo vel adulto de omnibus bonis. 6. Tria onera tutelæ vel curæ. 7. Paupertas extrema. 8. Adversa valetudo continua. 9. Literarum imperitia, per quam quis ad res gerendas ineptus redditur. 10. Datio tutoris propter inimicitias. 11. Inimicitiæ cum patre pupilli vel adolescentis capitales. 12. Status controversia, quam datus Tutor, vel Curator, a patre pupilli vel adolescentis passus.

13. Ætas

13. Ætas ſeptuaginta annorum. 14. Militia. 15. Profeſſio Grammaticæ, Rhetoricæ, aut Medicinæ.

Qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.

Tutelæ vel Curæ plurium pupillorum, indiviſa bona habentium, pro una computantur.

Incivile eſt, eos, qui alieno auxilio in rebus ſuis adminiſtrandis egent, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam gerere.

Datus tutor, ad univerſum patrimonium datus creditur.

Falſa allegatio non prodeſt.

Titulus 26.

De Suſpectis Tutoribus, vel Curatoribus.

Suſpecti Tutores vel Curatores, qui non ex fide munus hoc gerunt, vel geſturi creduntur, inde removeri debent: hocque nomine accuſatio omnibus patet; præterquam quod Pupilli excipiuntur.

LIBER SECVNDVS.

Titulus I.

De Rerum Diviſione.

HActenus de primo juris Objecto, Statu nimirum & Conditione Perſonarum. Sequitur alterum, de *Differentiis ſeu qualitatibus Rerum*, in Dominiis, & in Obligationibus conſiſtens.

Res, in genere, vel ſunt in noſtro patrimonio, vel extra noſtrum patrimonium.

Extra nostrum patrimonium, sunt Res Communes, Res Publicæ, Res Vniversitatis, & Res Nullius.

Res Communes, sunt Aër, Aqua profluens, Mare, & Litora maris: quæ, proprietate nullius, usu communes omnium existunt.

Publicæ res, (quasi populicæ dictæ,) proprietate Populi, usu & ipsæ communes omnium censentur: uti sunt Flumina, Portus, & Ripæ.

Vniversitatis res, sunt Theatra, Pascua, Fora, & si quæ aliæ proprietates Civitatis, usu vero communes existunt, omniumque sunt in Civitate.

Nullius res, sunt Sacræ, Religiosæ, Sanctæ, quæ, in nullius sunt bonis, & nec unquam alicujus fieri possunt.

Sacras res vocamus, rite, & per Pontifices Deo consecratas.

Religiosus locus, fit illatione mortui, ab illo facta, qui inferre illuc potuit.

Res Sanctæ dicuntur, quæ pœnali sanctione sunt munitæ, & violari impune non possunt: ut Muri, & Portæ Civitatum.

Singulorum res fiunt, vel Jure Gentium, vel Jure Civili.

Naturales, sive juris gentium modi, sunt sequentes. Venationes: Hostium spolia: Reperti in maris litore lapilli aut gemmæ: Quæ ex animalibus nostris nascuntur: Alluvio, & Insula, sive in mari, (quod rarius est,) sive in flumine, (quod frequens,) enata: Alveus a flumine derelictus. Speciei ex aliena materia confectio, ut confecta ad pristinam materiam reduci nequeat: Et, ex sua, & aliena materia aliquid efficere: Et, alienam purpuram, suo vestimento intexere: Et, duorum materias, vel ejusdem, vel diversi gene-

generis, ex voluntate dominorum, aut fortuito misceri: Aut plurium dominorum frumenta, voluntate ipsorum, in unum acervum confundi. Amplius, Ædificium cedit solo, sicut & Plantatio: Satio cedit agro: Scriptura chartæ: Tabula picturæ.

Perceptione acquiruntur fructus, quos bonæ fidei possessor, ex fundo alieno, percepit.

Ubi tamen notanda est differentia, inter fructus Naturales, Industriales, & Civiles; ac etiam consumtos, & non consumtos.

Thesaurum, quem quis in suo, vel nullius loco invenit, totum acquirit. In alieno inveniens, dimidium sibi retinet, dummodo non data opera, sed fortuito illum invenerit; dimidium domino soli restituit.

Traditio, est plenæ possessionis datio, animo dominii tansferendi.

Titulus 2.

De Rebus Corporalibus, & Incorporalibus.

PRæterea, res aliæ sunt Corporales, aliæ Incorporales.

Corporales sunt, quæ sua natura tangi possunt: veluti Fundus, Homo, Vestis.

Hæque iterum sunt vel Mobiles, vel Immobiles.

Mobiles sunt, quæ vel loco moveri possunt, ut Liber, Vestis: vel ipsæ se movent, ut Animantia.

Immobiles sunt, quæ nequeunt loco moveri: ut Domus, Vinea.

Incorporales res sunt, quæ tangi non possunt, sed tamen intellectu comprehenduntur. Qualia sunt ea, quæ jure consistunt: ut Servitus, Hereditas, Obligatio.

Titulus 3.

De Servitutibus Prædiorum.

SErvitus, eſt jus, quo res aliqua ſervit: eſtque vel Prædiorum, vel Perſonarum.

Prædii Servitus, eſt jus, quo prædium prædio ſervit: quæ iterum aut Ruſtica eſt, aut Vrbana.

Ruſtica eſt, quæ Prædio Ruſtico debetur: cujusmodi ſunt, Iter, Actus, Via, Aquæductus, Jus paſcendi, Calcis coquendæ, Arenæ fodiendæ.

Iter, eſt jus eundi & ambulandi hominis. Ein Fußſteig.

Actus, eſt jus agendi jumentum vel vehiculum. Ein Trieb oder Durchfahrt.

Via, eſt jus vehendi, trahendique tigna & lapides, & eundi quoque & agendi. Ein Fahrweg.

Aquæductus, eſt jus, aquæ ducendæ per fundum alienum.

Vrbana Servitus cenſetur, quæ Ædificio debetur: veluti, ut vicinus onera vicini ſuſtineat: ut in parietem ejus liceat vicino tignum immittere: ut ſtillicidium vel flumen, recipiat quis in ædes ſuas: ne quis altius tollat ædes ſuas: ne luminibus vicini officiat.

Servitutes conſtituuntur vel inter vivos, vel ultima voluntate.

Titulus 4.

De Vſufructu.

PErſonæ Servitus, a prædio perſonæ debetur, ut Vſusfructus, Vſus, & Habitatio.

Vſusfructus, eſt jus alienis rebus utendi, & fruendi, ſalva earum ſubſtantia. Eſtque vel Verus, vel Quaſiuſusfructus.

Verus

Verus Vsusfructus consistit in iis rebus, quæ usu non consumuntur, sed, quibus usufructuarius utitur & fruitur, salva ipsarum substantia: ut Ædes, Servi, Jumenta.

Quasi-Vsusfructus est earum rerum, quæ ipso usu consumuntur: subsistitque vi cautionis, quam fructuarius interponit, de tanta summa restituenda, usufructu finito.

Vsusfructus finitur 1. Morte fructuarii. 2. Maxima vel media capitis diminutione ejusdem. 3. Non utendo per modum & tempus. 4. Cessione domino proprietatis. 5. Consolidatione, id est, si fructuarius proprietatem acquirat. 6. Rei interitu.

Si unus sit fructuarius, & usumfructum amittat, usufructus ad proprietatem revertitur. Si vero *ex pluribus* fructuariis unus amiserit usumfructum, ejus portio cæteris accrescit.

Titulus 5.
De Vsu & Habitatione.

VSus, est jus utendi re aliena: & in hoc differt ab usufructu: quod videlicet utimur ad necessitatem; utimur fruimur, ad compendium etiam & lucrum.

Vsus iisdem modis *finitur*, quibus usufructus.

Habitatio, est jus & facultas habitandi in ædibus alienis. Consistit ea in facto, & ab Vsu ædium, qui juris est, modo ac effectu differt.

Titulus 6.
De Vsucapionibus, & longi temporis Præscriptionibus.

MOdi acquirendi Civiles, sunt vel *Particulares*, id est, quibus res singulæ acquiruntur; vel *Uni-*

versales, id est, quibus acquiruntur universitates bonorum.

Particulares modi acquirendi sunt: Vsucapio, Donatio, Legatum, & Particulare Fideicommissum.

Vsucapio sive *Præscriptio*, est adjectio dominii, per continuationem possessionis, temporis a lege definiti.

Res Mobilis, triennio; *Immobilis*, decennio inter præsentes, annis viginti inter absentes præscribitur.

Vt Vsucapio procedat, hæc in summa requiruntur: 1. Bona fides usucapientis. 2. Justus titulus, sive causa idonea, ut Emtionis, Donationis. 3. Vt Vsucapiens rem a non domino acceperit. 4. Possessio continuata, non interrupta. 5. Ut res possit usucapi, i. e. nec sit extra commercium, nec furtiva, nec vi possessa.

Vsucapio ideo introducta est, ne rerum dominia sint in incerto, & ut aliquis sit litium finis.

Titulus 7.
De Donationibus.

DOnatio, est liberalis, sive, nullo jure cogente, rei alienatio: fitque nuda voluntate, ac consensu, & ita non tam acquisitio, quam acquisitionis causa est.

Donatio duplex est: Mortis causa, vel, Inter vivos.

Mortis causa donatio, fit propter mortis aut periculi alicujus suspicionem, & tum demum rata censetur, si causa est sequuta, nec donatorem pœniteat donationis istius factæ, nec donatarius ante donatorem decedat.

Donatio non mortis causa, sive inter vivos, dicitur, quæ fit sine ulla mortis aut periculi cogitatione. Estque vel Absoluta, vel Relata.

Absoluta, proficiscitur ex mera munificentia & liberalitate. *Relata*, ob aliud fit: qualis est Donatio propter nuptias.

Dona-

Donatio propter nuptias, (olim, ante nuptias,) ein Gegen-Vermächtnüß/ Wiederlag/ oder Witthum/ est, qua certam summam sponsus sponsæ constituit, in vicem dotis, ut soluto matrimonio apud eam maneat superstitem, ad vitam ejus, sed, post mortem, redeat ad heredes sponsi.

Donatio propter nuptias, non solum ante matrimonium, sed etiam eo constante, exemplo dotis, potest constitui, vel augeri.

Donatio *perfecta* revocari non potest, nisi ob ingratitudinem donatarii.

Donatio *si excedat 500. aureos*, insinuationem apud Acta regulariter requirit.

Titulus 8.

Quibus alienare licet, vel non.

DE *personis alienantibus* duæ sunt Regulæ. 1. Dominus rem suam alienare potest; quia quilibet est rei suæ arbiter & moderator. 2. Qui non est dominus, rem alienare nequit.

A prima regula excipitur maritus, qui non potest alienare prædium dotale, prohibente lege Julia; & Pupillus. *A secunda*, excipiuntur creditores pigneratitii.

Titulus 9.

Per quas personas nobis acquiritur.

A*cquirimus* per nosmetipsos; per eos, qui sunt in nostra potestate; per eos, quos bona fide possidemus; & interdum per Procuratores.

Peculium Castrense, vel quasi-Castrense, est Filii, Profectitium, est Patris: *Adventitii*, regulariter, proprietas est filii, usus fructus est patris.

Parens, dum liberos suos emancipat, dimidiam partem usufructus in rebus peculii adventitii retinere, quasi pretium emancipationis, potest.

Titulus 10.
De Testamentis ordinandis.

TEstamentum, est voluntatis nostræ justa & solennis sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

Testamentum est *duplex*: Scriptum, & Nuncupativum.

Scriptum est, quod literis conficitur.

Nuncupativum, quod fit viva voce.

In utroque, consideranda est *duplex factio* testamenti, Activa, & Passiva.

Activa, consistit in forma testamentorum faciendorum, & personis, quibus est permissum facere testamentum.

Forma talis est: Testator in præsentia testium septem idoneorum, ac specialiter rogatorum, voluntatem suam supremam testari, eamq; uno contextu absolvere debet.

Testamentum præterea *scriptum*, subscriptione nominum Testatoris & Testium, horumq; Sigillis constare, aut, pro testatore scribere nesciente, octavus testis subscribere debet.

Testes autem esse prohibentur: Mulier; Impubes; Servus; Furiosus; Mutus; Surdus; Prodigus; Ii, quos leges jubent improbos intestabilesque esse; Qui in potestate testatoris est, vel eum in potestate habet. Denique heres scriptus, quive in cujus potestate est, vel eum in potestate habet, vel in ejusdem patris potestate est.

Titu-

Titulus 11.

De Militari Teſtamento.

MOdo dicta diligens ratio, in teſtamentis ordinandis, *remiſſa eſt Militibus*, propter nimiam imperitiam eorundem.

Quilibet igitur Miles, in acie, in procinctu, in caſtris, & in ſtativis, quoquo modo voluntatem ſuam ultimam condit.

Miles, quamvis ſit *filius familias*, vel *mutus* & *ſurdus*, tamen teſtamentum facere poteſt.

Teſtamentum Militare valet, ſive teſtator in militia, ſive poſt miſſionem, intra annum deceſſerit.

Titulus 12.

Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum.

T*Eſtamentum facere* poſſunt, qui non prohibentur. *Prohibentur* autem, Impuberes, Furioſi, Prodigi, & Filii familias.

Surdi, *Muti*, & *Cæci*, non niſi cum certa ſolennitate teſtari queunt.

Teſtamentum *in Captivitate* factum, non valet: antea factum, teſtatore apud hoſtes moriente, ſuſtinetur lege Cornelia: eo ab hoſtibus reverſo, ſuſtinetur fictione Poſtliminii.

Titulus 13.

De Exheredatione Liberorum.

SI teſtator *Liberos in poteſtate* habeat, qui ſui heredes futuri ſunt, eoſque nolit heredes facere, eos *nominatim exheredare* debet.

Nominatim exheredatur, qui vel proprio nomine exprimitur, vel alia ſpeciali demonſtratione deſignatur.

Titulus 14.

De Heredibus inſtituendis.

P*Aſſiva teſtamenti factio*, conſiſtit in heredis inſtitutione. Cujus is ſervatur modus, ut heres ſcribi posſit pure, & ſub conditione: non ſcribi poſſit, ex certo tempore, &, ad certum tempus, ac impoſſibili, vel inhoneſta conditione.

Hereditatis legitima diviſio, fit in duodecim partes, quæ *Vnciæ* vocantur. Harum duæ, *Sextantem* faciunt; tres, *Quadrantem*; quatuor, *Trientem*; quinque, *Quincuncem*; ſex, *Semiſſem*; ſeptem, *Septuncem*; octo, *Beſſem*; novem, *Dodrantem*; decem, *Dextantem*; undecim, *Deuncem*; duodecim, *Asſem*; viginti quatuor, *Dupondium*; triginta ſex, *Tripondium*.

Poteſt tamen teſtator, *in plures vel pauciores uncias*, pro libitu, hereditatem ſuam dividere; &, ſi unum ex ſemiſſe heredem ſcripſerit, hic totam hereditatem obtinebit: quia nemo poteſt pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere, niſi ſit miles.

Titulus 15.

De Vulgari Subſtitutione.

I*Nſtitutio heredis duplex* eſt: vel Inſtitutio in ſpecie ſic dicta, vel Subſtitutio.

Inſtitutio in ſpecie ſic dicta eſt, quæ fit in primo gradu: ut, Titius heres eſto.

Subſtitutio, eſt ſecundi heredis, vel ſecundo gradu facta

facta institutio. *Secundi* autem appellatione, intelliguntur etiam tertius, & omnes ulteriores gradus.

Substitutionum species sunt: Vulgaris, Pupillaris, & Quasi-Pupillaris.

Vulgaris est, quæ fit in casum sive eventum, si primus heres non erit. Veluti: Titius heres esto; si Titius heres non erit, Mævius heres esto.

Titulus 16.
De Pupillari Substitutione.

P*Vpillaris Substitutio* est, quæ fit in eum casum, si testatoris filius impubes, quem in potestate habebat, in ætate pupillari post patrem suum decesserit: quo modo substituitur tam pupillo exheredato, quam heredi instituto; & potest insuper pupillaris cum vulgari conjungi. v.c. Titius filius meus heres esto, si Titius filius meus heres non erit, aut heres erit, & in pupillari ætate decesserit, Sejus heres esto.

Ex Vulgari substitutione, succeditur testatori: ex Pupillari, ipsi pupillo.

Pupillari substitutioni, similis est *Quasi-Pupillaris*, seu *Justinianea*, quam Doctores *Exemplarem* vocant, quia ad exemplum Pupillaris a Justiniano introducta. Fit autem in eum casum, si filius testatoris vel testatricis, in furore, seu non sanæ mentis decesserit. Veluti: Titius filius meus heres esto; Si Titius filius meus prius morietur, quam mentis compos factus fuerit, Sempronius heres esto.

Titulus 17.
Quibus modis Testamenta infirmentur.

T*Estamentum recte conditum, tribus modis infirmatur.* Primo, Adgnatione, vel quasi adgnatione

ne

ne sui heredis præteriti. 2. Posteriori testamento. 3. Capitis diminutione testatoris.

Titulus 18.

De Inofficioso Testamento.

INofficiosum testamentum dicitur, quod jure quidem factum est, sed contra officium pietatis.

Querela inofficiosi, est actio, qua testamentum defuncti accusatur, quasi a non sanæ mentis testatore, contra officium pietatis naturalis, factum; & petitur, ut, testamento illo rescisso, hereditas scripto heredi auferatur, & adjudicetur Actori, tanquam proximo heredi ab intestato.

Inofficiosi querela, *datur Liberis* quibusvis. Hi enim nisi heredes instituti, vel ob certam aliquam ingratitudinis causam fuerint exheredati, rescindere testamentum possunt, quasi non ex officio pietatis factum.

Datur eadem querela etiam *Parentibus*, contra testamenta Liberorum: imo *Fratribus & Sororibus consanguineis*, si turpes personæ sint heredes institutæ.

Sed, si Pater Filio, (aut vicissim Filius Patri) quod *minus legitima* sit, relinquat, querela inofficiosi cessat, & datur actio ad legitimæ supplementum. Quæ, si quatuor vel pauciores Liberi, triens est; sin vero quinque vel plures, semis.

Qui, quocunque titulo, *quartam partem hereditatis* est consequutus, de inofficioso testamento agere nequit.

Qui *judicium testatoris quoquo modo probavit*, non potest amplius illud testamentum per inofficiosi querelam impugnare. Si tamen Tutor legatum Pupilli no-

nomine petiit, de inofficioſo agere ſuo nomine non prohibetur.

Titulus 19.

De Heredum Qualitate & Differentia.

HEredes alii ſunt Neceſſarii, alii Sui & Neceſſarii, alii Extranei.

Neceſſarii, ſunt Servi, a domino heredes inſtituti: quia omnino, ſive velint, ſive nolint, heredes fieri coguntur.

Sui & Neceſſarii ſunt, qui ſunt in teſtatoris poteſtate, ita ut nemo eos gradu præcedat: ut Filius, & Nepos ex filio defuncto, vel emancipato.

Sui dicuntur, quia domeſtici heredes ſunt, &, vivo quoque parente, quodammodo domini exiſtimantur, ita ut morte parentis, non tam ſucceſſio eis acquiri, quam dominium continuari videatur.

Neceſſarii dicuntur, quia volentes nolentes ſuccedunt ex lege 12. Tabb. quanquam Jure Prætorio abſtinendi beneficium habent.

Extranei, ſunt omnes cæteri.

Titulus 20.

De Legatis.

L*Egatum*, eſt donatio quædam, a defuncto relicta, ab herede præſtanda. Vel: Eſt delibatio hereditatis, qua teſtator, ex eo, quod univerſum heredis foret, alicui quid collatum vult.

Legata exæquata ſunt Fideicommiſſis, &, ad ea perſequenda, legatarius habet actionem perſonalem, rei vindicationem, & actionem hypothecariam.

Legari queunt res omnes: tam ſoli, quam mobiles,

les, tam corporales, quam incorporales; tam alienæ, quam propriæ; tam naſcituræ & extituræ, quam natæ & extantes. Alienas enim heres redimere, vel pretium earum exſolvere tenetur. *Legari tamen non poſſunt*, res, quæ non ſunt in commercio; uti nec res legatarii.

Si eadem res duobus legata, concurſu partes facient; uno, quod aut nolit, aut non poſſit, deficiente, alter totum obtinebit.

Liberatio debitori legari poteſt, vel ſimpliciter, & omnino, vel ad certum tempus.

Si debitor creditori ſuo, quod debet, legaverit, non valet legatum, niſi plus ſit in legato, quam in debito.

Si res legata, ſine facto heredis *perierit*, legatario perit.

Si ſit legatum *Genus*, ut Equus: vel ſi ſit *Optio* legata, id eſt, cum teſtator ex Equis, vel aliis rebus ſuis, legatarium optare ſive eligere jubet, electio eſt penes legatarium: imo &, ſi vivus legatarius non elegerit, heredes poſſunt eligere.

Legari poteſt omnibus, quibus cum teſtamenti factio eſt: adeoque etiam incertæ perſonæ, & poſthumo alieno. Neque vitiat legatum, error in nomine legatarii, vel falſa demonſtratio, vel falſa cauſa adjecta.

Valet legatum, *relictum ante heredis inſtitutionem*: item, quod relictum poſt mortem, vel nomine pœnæ; niſi quidem poſterius, quid legibus interdictum aut probroſum continet.

Titulus 21.

De Ademptione Legatorum, & Translatione.

LEgata poſſunt *adimi* & *transferri* etiam: idque vel in eodem teſtamento, in quo data, vel in Codicillis.

Si

Si legatum *ſimpliciter adimatur* legatario, penes heredem manet; ſi vero *transferatur*, non ad heredem, ſed ad ſecundum legatarium pertinet.

Titulus 22.
De Lege Falcidia.

LEge *Falcidia* cavetur, ne plus legare liceat, quam *Dodrantem* totorum bonorum: i.e. ut ſive unus heres inſtitutus ſit, ſive plures, apud eum, eosve, pars quarta hereditatis remaneat.

Duobus heredibus inſtitutis, ſi ab uno modica, aut nulla relicta ſint legata, ita, ut quartam totius hereditatis partem ſalvam habeat; nihilominus alter, cujus pars legatis exhauſta, quartam ſuæ portionis retinebit.

Quantitas patrimonii, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, ad illud tempus refertur, quo teſtator mortuus eſt, deducto prius ære alieno, & funerum impenſis.

Titulus 23.
De Fideicommiſſariis Hereditatibus.

FIdeicommiſſum eſt, quod non civilibus verbis, ſed precative relinquitur, nec ex rigore juris proficiſcitur, ſed ex voluntate datur relinquentis.

Is, qui hereditatem reſtituit, nihilominus heres permanet; is vero, qui recipit hereditatem, modo heredis, modo legatarii loco habetur.

Eſt enim Fideicommiſſum, vel Vniverſale, vel Particulare.

Vniverſale eſt, quando hereditas per fideicommiſſum relinquitur.

Heres

Heres aut *ſponte* hereditatem adit, eamque *totam* fideicommiſſario reſtituit: aut ſponte adit, ſed *non totam* reſtituit; vel, quia non totam juſſus eſt reſtituere; vel, quia ex SCto Trebelliano quartam partem retinet; aut, ex eodem Trebelliano, *coactus a fideicommiſſario* adit, quo caſu totam hereditatem reſtituere cogitur. *Primo & tertio* caſu, omnes hereditariæ actiones, tam activæ, quam paſſivæ, ad fideicommiſſarium tranſeunt: *ſecundo caſu*, dividuntur pro rata parte inter Heredem, & Fideicommiſſarium.

Fideicommiſſa, etiam *ab inteſtato* relinqui, imo & Legatario, & Fideicommiſſario imponi poſſunt.

Titulus 24.

De Singulis Rebus per Fideicommiſſum relictis.

SIngulæ quoque res, per fideicommiſſum, relinqui poſſunt, ita, ut vel Heres, vel Legatarius, jubeatur aliquid reſtituere: puta Fundum, Argentum, Veſtem: quamvis a legatario legare non liceat.

Ita *relinqui poſſunt* res teſtatoris, res ejus, qui Fideicommiſſo oneratur, & res alienæ.

Titulus 25.

De Codicillis.

COdicilli, ſunt teſtatorum vel inteſtatorum quædam ultimæ voluntates, nudæ, nullis juris ſolennibus ſubnixæ.

Codicillis nemo poteſt heres, aut exheres ſcribi; nec licet per eos conditionem inſtitutioni heredis, in teſtamento factæ, adſcribere, aut directo ſubſtituere.

LIBER TERTIVS.

Titulus 1.

De Hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur.

INteſtatus decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut jure non fecit, cujusque teſtamentum infirmatum, vel nemine adeunte deſtitutum eſt.

Inteſtatorum hereditates ex lege XII. tabul. primo ad *Suos heredes* pertinent.

Suus heres eſt, qui in poteſtate eſt, & quidem proximus, eo tempore, quo moritur is, de cujus ſucceſſione quæritur, vel quo ejus teſtamentum infirmatur.

Sunt autem Liberi, vel vere Sui, vel Suorum loco habentur, ſive inter Suos vocantur.

Vere Sui, ſunt tam *Adoptivi* (intellige id de veteri jure,) quam *Naturales*, id eſt, ex juſtis nuptiis procreati: item, tam *ſecundi gradus*, quam *primi*; id eſt, tam Nepotes & Pronepotes, quam Filii, ſi ſcilicet anteriores e poteſtate exierint. Denique, tam *Nati*, quam *Poſthumi*.

Suorum loco habentur, & inter Suos vocantur, 1. Legitimati, ex Conſtitutione Principum. 2. Emancipati, quos, jure civili incognitos, Prætor admittit, bonorum poſſeſſione iis data. 3. Nepotes Neptesque ex Filiabus.

Titulus 2.

De Legitima Agnatorum Succeſſione.

SI quis ab inteſtato mortuus eſt, & nullos reliquit Suos heredes, neque etiam eos, quos Prætor, vel Conſtitutiones Principales vocant inter Suos, hereditas ſecundo loco defertur *Agnatis*; ita jubente lege

 XII. tabb.

XII. tabb. & quidem *Proximis*, si plures sint Agnatorum gradus.

Fit autem hic successio communiter *in Capita*, non in Stirpes: id est, succeditur ex virilibus, & æqualibus portionibus, secundum gradus prærogativam. *Successio* vero *in Stirpes* est, cum heredes, non ex sua, sed ex Parentum, quos repræsentant, persona, succedunt, & eam partem accipiunt, quam illi caperent, si essent vivi.

Pater, *Filio Emancipato* superstes, eidem ex Constitutione Imperatoria etiam succedit.

Titulus 3.

De SCto Tertulliano.

PEr *SCtum Tertullianum* Matri Ingenuæ, trium liberorum jus, aut Libertinæ, quatuor habenti, conceditur successio ad bona Filiorum Filiarumve, ab intestato mortuorum.

Justiniani æquitas id privilegium omnibus Matribus concessit, nisi Tutorem liberis petere mater neglexit.

Titulus 4.

De SCto Orfitiano.

PEr *SCtum Orfitianum*, legitima successio Filio & Filiæ datur in bona matris ab intestato mortuæ, omnibusque Consanguineis & Agnatis præferuntur.

Titulus 5.

De Successione Cognatorum.

TErtio ordine succedunt *Cognati* proximi. Sed hi, non sunt veri heredes, quia tantum a Prætore ad successionem vocantur: Prætor autem non facit veros heredes, sed tantum bonorum possessores. Fit hic successio in Capita, non in Stirpes.

Titu-

Titulus 6.

De Gradibus Cognationis.

COgnati ſunt, qui ratione ſanguinis ſunt conjuncti, eo quod alter alterum genuit, vel ambo ab iisdem Parentibus ſunt geniti.

Cognati dividuntur in Agnatos, & Cognatos ſtricte ita dictos.

Agnati, ſunt cognati, qui ſunt in eadem familia, ſive, qui per virilis ſexus perſonas nos contingunt.

Cognati ſtricte dicti ſunt, qui per fœminas nobis conjunguntur.

Gradus, eſt Agnatorum vel Cognatorum diſtantia.

Cognatio, in tria dividitur: in Aſcendentes, Deſcendentes, & Transverſales.

Aſcendentes ſunt, qui nos genuerunt. *Deſcendentes*, qui ex nobis geniti ſunt. *Transverſales*, qui neque nos genuerunt, neque ex nobis geniti ſunt, ſed ſtirpem & radicem nobiscum communem habent: veluti Frater, Soror, Avunculus, Amita.

Quot ſunt generationes, tot ſunt cognationum gradus. Eſt enim generatio, cauſa agnationis vel cognationis, ac proinde ſemper generata perſona adjicit gradum.

Cum ergo quæritur, quoto gradu unaquæque perſona ſit, ſemper numerandæ ſunt generationes, incipiendo ab eo, eave, de cujus cognatione quæritur, & per ſingulos gradus, proximum quemque numerando.

Directus Limes ſive Ordo, à primo gradu incipit. In *Collaterali*, non ſtatim ad perſonam, quæ nobis ex transverſo conjuncta, recurri debet, ſed prius ſurſum verſus aſcendere oportet, donec pervenerimus ad eum, qui cognationis hujus transverſæ cauſa & origo: quo

invento, descendendum est ad personam, de qua ex transverso quæritur, atque ita omnes generationes numerandæ sunt, tum in ascensu, tum in descensu.

Etsi Gradus etiam *ultra sextum* numerari possunt, tamen ulterius Cognati, non habent propria nomina. Parentes, qui supra Tritavum, communi vocabulo *Majores* appellantur; Liberi, qui infra trinepotem, *Posteri*, sive *Posteriores*.

Notanda *Successio per Jus novissimum* Novellæ 118. & alias, introducta; secundum quod sunt *tres* Ordines: *Primus* Liberorum; *Secundus* Parentum, quibus adjunguntur germani Fratres vel Sorores, & germanorum fratrum vel sororum Filii Filiæve; *Tertius* Transversalium. *In Primo Ordine*, Liberi succedunt in stirpes. *In Secundo Ordine*, Si soli Parentes sint, succedunt in capita; si, una cum Parentibus, succedant Fratres & Sorores, hereditas dividitur in capita. Si simul succedant Parentes, Fratres vel Sorores, & fratrum vel sororum Filii, hi succedunt in stirpes, reliqui in capita. Si neque fratres germani, neque germanæ sorores extent, fratrum vel sororum filii filiæve a parentibus excluduntur, proinde non admittuntur in secundo, sed in tertio heredum ordine. *In Tertio Ordine*, primum vocantur germani Fratres vel Sorores, & talium fratrum vel sororum prædefunctorum Filii Filiæque: Secundo, Fratres vel Sorores consanguinei, vel uterini, & ejusmodi fratrum vel sororum Filii Filiæve, in stirpes. Tertio, reliqui Agnati vel Cognati, secundum gradus prærogativam, succedunt ex virilibus sive æqualibus portionibus.

Titulus 7.

De Servili Cognatione.

SErvilis Cognatio dicitur, quæ inter Libertinos spectatur. De ea Justinianus constituit, ut Liberi etiam in servitute nati, post manumissionem, tam Patri, quam Matri succedant, quam etiam inter sese, si scilicet Parentes non supersint, excluso Patrono, qui olim excludebat Liberos.

Titulus 8.

De Successione Libertorum.

AD *Libertorum* hereditatem, *primo* vocantur Liberi: *secundo*, Fratres & Sorores: *tertio*, Parentes: *quarto*, Patroni: *quinto*, Patronorum Liberi, vel Parentes, vel Cognati, usque ad quintum gradum; argumento *l. ult. C. de bon. lib. & jur. patron.*

Titulus 9.

De Assignatione Libertorum.

OMnes Filii ipsius Patroni, æqualiter ad liberti hereditatem vocantur, nisi pater uni ex filiis Libertum suum *assignaverit*, quo facto, hic solus in jus patronatus succedit.

Titulus 10.

De Bonorum Possessionibus.

HUcusque de primo acquirendi modo per Universitatem, i. e. de Hereditate: Sequitur *secundus*, ex edicto Prætoris, nempe Bonorum Possessio.

Bonorum Possessio, est jus, persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque cum moreretur fuit.

Effectus ejus, non quidem, ut is, qui ſolo jure Prætorio, non etiam Civili vocatur, ipſo jure fiat heres, ſed tamen, ut loco heredis conſtituatur, omniaque ea jura conſequatur, quæ ipſe heres. In *effectu* igitur heres & bonorum poſſeſſor nihil differunt : differunt tamen *cauſa efficiente*. Prætor enim facit bonorum poſſeſſorem, ſed non poteſt facere heredem : quia hereditas, & dominium, eſt Juris civilis, & per Legem, aliamq; juris civilis partem, ut per Senatusconſultum, ac Conſtitutionem Principis, tribuitur.

Bonorum Poſſeſſiones *Ordinariæ* ſunt ſex : duæ, ex teſtamento ; quatuor, ex inteſtato.

1. Eſt Bonorum Poſſeſſio *Contra tabulas*, quæ datur *Liberis præteritis*, id eſt, nec heredibus inſtitutis, nec ut oportet, exheredatis, adverſus teſtamentum Patris, non Matris. Datur etiam *Patronis*, adverſus teſtamenta Libertorum, in quibus portio legitima ipſis relicta non eſt.

2. *Secundum tabulas*, quam Prætor omnibus jure ſcriptis heredibus largitur.

3. Quæ inter ordinarias ab inteſtato prima eſt, *Unde Liberi*, quæ datur Liberis defuncti ab inteſtato, ſive Suis heredibus, ſive Emancipatis.

4. *Unde Legitimi*; ad quam vocantur Legitimi jure civili heredes ; ut Agnati, Patroni, Parentes.

5. *Unde Cognati*, quæ defertur proximis Cognatis, id eſt, iis, qui jure civili non agnoſcuntur.

6. *Unde Vir & Uxor*, qua, Conjux ſuperſtes, ſuccedit Conjugi defuncto vel defunctæ.

Extra ordinem, *Prætor* iis bonorum poſſeſſionem pollicetur, quibus Lex, vel Senatus-Conſultum, vel Conſtitutio Principis, dari ex quacunque cauſa vult. v. c. Militis, ex flagitio militari damnati, bonorum poſſeſ-

possessio ex nova lege defertur Cognatis, usq; ad quintum gradum.

Bonorum possessio a Liberis vel Parentibus, intra *annum utilem*, a cæteris, intra *centum dies utiles* peti debet.

Si is, cui bonorum possessio defertur, eam *repudiet*, vel intra dictum tempus non petat, aliis ejusdem gradus personis defertur. At, si nullus sit in eo gradu, ex Successorio Edicto cæteris defertur.

Non est opus solemni petitione, sed sufficit, quocunq; modo, voluntatem acquirendæ bonorum possessionis indicare.

Titulus 11.

De Acquisitione per Arrogationem.

C*Onsuetudine antiqua* receptum erat, ut *bona Arrogati* acquirerentur Arrogatori, exceptis iis, quæ capitis diminutione pereunt.

Jure novo, tantum *ususfructus* Arroganti acquiritur, proprietate penes Arrogatum manente.

Debita, quæ Arrogato debentur, ipso jure ad parentem arrogantem transeunt: ea vero, quæ arrogatus aliis debet, non item. Sed conveniri tamen pater filii nomine potest, Prætoria de Peculio actione.

Titulus 12.

De eo, cui libertatis causa bona addicuntur.

SI quis *Libertates* in testamento reliquerit, & nemine ejus hereditatem adire volente, in ea causa bona esse cœperint, ut venire debeant, potest aliquis Servus petere, ea bona sibi *libertatum tuendarum* gratia ad-

dici, ita ut de ſolido Creditoribus hereditariis ſolvendo caveat.

Titulus 13.

De Succeſſionibus ſublatis, quæ fiebant per Bonorum Venditionem, & ex SC. Claudiano.

POſt explicatos modos uſitatos Acquiſitionum per Vniverſitatem, duo *antiquati* afferuntur; nempe *Venditio bonorum*, cum bona ejus, qui non erat ſolvendo, haſtæ ſubjiciebantur, & ſolemniter per Magiſtratum vendebantur: &, *Occupatio bonorum mulieris liberæ*, quæ ſe alieno ſervo, contra trinam domini denunciationem, miſcuiſſet,

Titulus 14.

De Obligationibus.

OBligatio duplex eſt: *Naturalis*, & *Civilis*: ſed hic de Civili tantum agitur, quia ſola hæc, proprie dicitur Obligatio.

Obligatio, eſt juris vinculum, quo, neceſſitate adſtringimur, alicujus rei ſolvendæ, ſecundum noſtræ civitatis jura.

Dividitur 1. in Civilem, & Prætoriam.

Civilis dicitur, quæ vel Jure Civili eſt introducta, ut ex Stipulatione; vel, Jure Gentium introducta, Jure civili comprobata: ut ex Empto, Vendito, Locato, Conducto.

Prætoria eſt, quæ Jure Prætorio eſt introducta: ut, Conſtitutæ pecuniæ.

Dividitur 2. in quatuor genera: quia vel eſt ex Contractu, vel ex Quaſi-Contractu, vel ex Maleficio, vel Quaſi-Maleficio.

Con-

Contractus, est duorum pluriumve in idem conventio, & consensus, ad constituendam obligationem, &, ut alter alteri fiat obnoxius.

Contrahimus autem *quatuor* modis: *Re*, *Verbis*, *Literis*, *Consensu*. Quamvis enim omnes contractus consensum requirant, tamen quidam, præter consensum, etiam rei traditionem, vel verba, vel scripturam desiderant.

Titulus 15.

Quibus modis Re contrahitur Obligatio.

RE fieri Obligatio dicitur, cum rei traditione obligatio contrahitur: cujusmodi Contractus *quatuor* sunt: 1. Mutuum, cui similis Indebiti solutio. 2. Commodatum. 3. Depositum. 4. Pignus.

Mutuum, est contractus, qui re fit, quo quantitas ita datur alteri, ut ipsius fiat, & aliquando res alia, ex eodem genere, ejusdem naturæ, qualitatis, ac bonitatis, reddatur.

Qui Indebitum per errorem solventis accepit, id restituere cogitur, per *Condictionem Indebiti*, atque hæc obligatio, non est ex Contractu, sed Quasi-Contractu.

Commodatum, est contractus, quo res gratis utenda traditur, ut, usu finito, eadem species restituatur.

Commodatarius exactissimam in re custodienda diligentiam adhibere debet. Ob casus autem fortuitos, sine ejus culpa evenientes, non tenetur.

Depositum, est contractus, re initus, quo res alteri traditur custodienda gratis, ut ea ipsa res, cum reposcetur, bona fide reddatur.

Depositarius, dolum tantum præstat, non culpam.

Pignus, est contractus, re initus, quo, pignus Creditori reipsa traditur, ut ei in tuto sit creditum, & eadem

res, solutione facta, restituatur Debitori. Differt ab *Hypotheca*, non quidem usu, & effectu, sed, quod Hypotheca est pignus rei non traditæ, nudo pacto super immobilibus contractum.

In re custodienda, præstatur lata ac levis culpa, non autem levissima, multo minus casus fortuitus.

Notanda hic, *Contractuum*, quæ vocant, *Adminicula*, & sunt, Dolus, Culpa, Casus fortuitus, sive Vis major, Vsuræ.

Dolus malus, ad differentiam doli boni, id est solertiæ, sic dictus, quique in omnibus bonæ fidei contractibus præstatur, est, omnis fallacia, calliditas, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum, inventa. Ei opponitur *Bona fides*, & *Æquitas*.

Culpæ, quæ & Negligentia dicitur, atque Desidia, *tres sunt gradus*: Lata, sive Latior, Levis, & Levissima. Totidem etiam sunt gradus *Diligentiæ sive Scientiæ*; est enim Vulgaris, est boni Patrisfamilias, est Exactissima, sive scrupulosa.

Lata culpa est, cum quis non intelligit, quod omnes intelligunt. Talis culpa dicitur prope fraudem accedere, & dolo comparari.

Levis culpa, quæ a JCtis simpliciter culpa dici solet, est, quæ mediocri diligentiæ opponitur; cum quis id admittit, quod nemo diligens paterfamilias faceret.

Levissima culpa est, cum quis non intelligit aut præstat, quæ diligentissimus quisque paterfamilias.

Casus Fortuitus, sive damnum fatale, qui & Vis major dicitur, est, quod nulla humana industria provideri, aut averti potuit.

Vsura est, quicquid ultra sortem exigitur. In Bonæ fidei contractibus, quibus Legata & Fideicommissa æquiparantur, usuræ debentur ex mora. In contractibus vero stricti juris, non ex mora debentur.

Titulus 16.

De Verborum Obligationibus.

V*Erbis* contrahitur Obligatio, cùm quid dari fierive nobis stipulamur.

Stipulatio, est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatus, daturum facturumve se, quod interrogatus est, respondet.

Stipulari proprie dicitur is, qui alterum interrogat, sibique spondere ac promittere facit.

Stipulationis *Divisiones* plures sunt: *Prima Divisio* est, quod omnis stipulatio vel est *Certa*, id est rei certæ; v. c, Decem dabis? vel *Incerta*, id est rei incertæ; v.c. Dabis quod mea interest? Ex posteriore hac nascitur Actio ex stipulatu; ex priore, Certi condictio.

Secunda Divisio est, quod Stipulatio, vel est Rei dandæ, vel Facti, vel Vtriusque.

Tertia Divisio est, quod stipulatio, vel fit una Lingua, ut Latina aut Græca, vel diversis.

Quarta Divisio est, quod stipulatio, aut est Pura, aut In diem, aut Conditionalis.

Titulus 17.

De Duobus Reis stipulandi & promittendi.

Q*Vinta Divisio* est, quod stipulatio contrahitur vel per Vnum Reum, vel per Plures, sive duos. Sunt autem duo Rei, vel Stipulandi, vel Promittendi.

Duo

Duo Rei stipulandi sunt, si post omnium interrogationem, Promissor ita respondeat: Vtrique vestrum dare spondeo. Nam, si, prius alteri spoponderit, deinde alteri interroganti spondeat, non erunt duo Rei stipulandi, sed diversæ obligationes.

Duo, pluresve Rei Promittendi fiunt, si, Stipulatore interrogante, Titi, centum aureos dare spondes? Semproni, eosdem centum aureos dare spondes? respondeant singuli separatim, Spondeo.

Ex ejusmodi stipulationibus, *solidum* singulis stipulantibus debetur, & solidum singuli promissores debent, una enim res debetur. Sed, *unus stipulator*, debitum accipiendo, vel unus Promissor, debitum solvendo, omnium obligationem perimit: non enim bona fides patitur, idem bis exigi.

Ex duobus Reis promittendi, alter pure, alter in diem, vel sub conditione obligari potest. Nec impedimento est dies aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus est, petatur.

Titulus 18.

De Stipulatione Servorum.

SExta *Divisio* est, quod Stipulatio fit vel ab Homine libero, vel a Servo. Nam & Servi stipulandi jus habent, ex persona domini, cui acquirunt, non ex sua persona, quia stipulatio est contractus juris civilis.

Si *Factum* aliquod stipuletur servus, id ipsum suæ personæ adhæret, nec domino acquiritur.

Servus Communis, acquirit unicuique dominorum, non tamen pro virilibus portionibus, sive æqualiter, sed pro parte, qua domini sunt.

Titu-

Titulus 19.

De Divisione Stipulationum.

Stipulationum Genera respectu Causæ Efficientis quatuor sunt: 1. *Judiciales*, quæ a mero Judicis officio proficiscuntur, ut, Cautio de dolo. 2. *Prætoriæ*, quæ a mero Prætoris officio proficiscuntur: ut, Damni infecti, Legatorum. 3. *Communes*, quæ modo Prætore, modo Judice jubente, interponuntur, ut, Rem pupilli salvam fore; &, Cautio de rato. 4. *Conventionales*, quæ, ex libera utriusque partis conventione, sine Judicis & Prætoris jussu, concipiuntur: quarum totidem sunt genera, quot pene rerum contrahendarum.

Titulus 20.

De Inutilibus Stipulationibus.

Stipulatio aut est *Utilis*, quæ jure valet; aut *Inutilis*, quæ caret juris effectu.

Omnes res, quæ dominio nostro subjiciuntur, in stipulationem deduci possunt, sive sint Mobiles, sive Immobiles.

Quod jam *periit*, & quod in rerum natura esse non potest, frustra stipulamur.

Rei, quæ non est in commercio, ut Sacræ, Religiosæ, Publicæ, Hominis liberi, stipulatio non valet.

Nisi *responsio* interrogationi congruat, stipulatio non valet.

Inutilis est stipulatio, si Stipulator in Promissoris, vel Promissor in Stipulatoris potestate sit.

Pupillus, Tutore autore obligatur; etiam sine tutore, alium sibi obligat. *Impubes*, qui est in potestate patris, ne autore quidem patre obligatur.

Stipulatio inter *Absentes*, cum *Muto* item & *Surdo*, fieri nequit.

Sti-

Stipulatio ejus nomine facta, *cujus juri quis subjectus*, valet, ut, Filius acquirit stipulando Patri.

Stipulatio *alteri*, id est extraneo, facta, regulariter est inutilis. Sed utilis esse potest, si addatur stipulatio pœnalis, qua, nisi priori stipulationi satisfiat, pœnam nobis stipulamur. Utilis etiam est, si id stipulantis intersit.

Qui, *alium facturum* promisit, non tenetur, nisi sub conditione, si ille non fecerit, pœnam ipse promiserit.

Turpis promissio non obligat.

Si, *pendente stipulationis conditione*, Stipulator vel Promissor moriatur, heres postea, conditione existente, agere vel conveniri potest.

Qui *hoc anno*, *aut hoc mense*, dari stipulatus, non prius agere potest, quam totus annus, vel mensis præterierit; &, qui pure stipulatus est, non poterit continuo agere, nisi tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit.

Titulus 21.

De Fidejussoribus.

F*idejussor* dicitur, qui sua fide ac periculo esse jubet quod alteri creditum est. *Usus* ergo *fidejussionis* idem qui pignorum, securitas puta Creditorum, ut tutius ipsis debeatur, quod in obligationem deductum.

Fidejussor, in omnibus obligationibus assumi potest, id est, sive Re, sive Verbis, sive Literis, sive Consensu sint contractæ; &, sive Civiles sint, sive Naturales.

Obligatio Fidejussoris in heredem transit.

Fidejussor, & *præcedere* principalem obligationem & *sequi* potest.

Si plures sint Fidejussores, singuli in solidum tenentur. Atq; olim potestas erat Creditori, eligere & convenire Fidejussorem, etiam relicto reo principali, nisi aliter convenisset. Sed *Justinianus id mutavit*, constituitque, ut, si uterque adsit, Creditor prius debitum exigat a reo principali, & is primum excutiatur; & si is non sit solvendo, tum demum Fidejussorem convenire possit. Vulgo vocant *Beneficium Ordinis*, sive *Excussionis*.

Est & aliud *Beneficium*, *Divisionis*, ex epistola D. Hadriani, quo Creditor, etsi singuli Fidejussores in solidum tenentur, cogitur actionem suam dividere, & a singulis partes petere. Si tamen aliqui Fidejussores, tempore litis contestatæ, solvendo non sint, hoc cæteros onerat.

Fidejussor, qui Creditori solvit, non potest aliquid a Confidejussore repetere, licet reus principalis solvendo non sit: sed, contra Reum, habet actionem Mandati.

Titulus 22.

De Literarum Obligationibus.

QVi, *spe pecuniæ accipiendæ*, *chirographum dedit*, nisi intra *biennium* de non numerata pecunia conqueratur, post biennium, efficaciter, & sine exceptione, obligatur, non quidem ex numeratione, quæ nulla fuit, sed ex dicta scriptura.

Titulus 23.

De Obligationibus ex Consensu.

SOlo *Consensu* perficiuntur sequentes Contractus. 1. Emptio, & Venditio. 2. Locatio, & Conductio. 3. Societas. 4. Mandatum.

Dici-

Stipulatio ejus nomine facta, *cujus juri quis subje-ctus*, valet, ut, Filius acquirit stipulando Patri.

Stipulatio *alteri*, id est extraneo, facta, regulariter es[t] inutilis. Sed utilis esse potest, si addatur stipulati[o] pœnalis, qua, nisi priori stipulationi satisfiat, pœnam nobis stipulamur. Vtilis etiam est, si id stipulanti intersit.

Qui, *alium facturum* promisit, non tenetur, nisi su[b] conditione, si ille non fecerit, pœnam ipse promiserit.

Turpis promissio non obligat.

Si, *pendente stipulationis conditione*, Stipulator v[el] Promissor moriatur, heres postea, conditione existe[n]te, agere vel conveniri potest.

Qui *hoc anno*, *aut hoc mense*, dari stipulatus, n[on] prius agere potest, quam totus annus, vel mensis pr[æ]terierit; &, qui pure stipulatus est, non poterit con[ti]nuo agere, nisi tantum spatium præterierit, quo trad[i]tio fieri possit.

Titulus 21.

De Fidejussoribus.

Fidejussor dicitur, qui sua fide ac periculo esse ju[bet] quod alteri creditum est. *Vsus ergo fidejussio*[nis] idem qui pignorum, securitas puta Creditorum, u[t] tutius ipsis debeatur, quod in obligationem de[du]ctum.

Fidejussor, in omnibus obligationibus assumi [potest,] id est, sive Re, sive Verbis, sive Literis, [sive ...] sint contractæ; &, sive Civiles sint, sive [...]

Oblig... [...] in heredem [...]

[...]

Si plures sint Fidejussores, singuli in solidum tenentur. Atq; olim potestas erat Creditori, eligere & convenire Fidejussorem, etiam relicto reo principali, nisi aliter convenisset. Sed *Justinianus id mutavit*, constituitque, ut, si uterque adsit, Creditor prius debitum exigat a reo principali, & is primum excutiatur; & si is non sit solvendo, tum demum Fidejussorem convenire possit. Vulgo vocant *Beneficium Ordinis*, sive *Excussionis*.

Est & aliud *Beneficium*, *Divisionis*, ex epistola D. Hadriani, quo Creditor, etsi singuli Fidejussores in solidum tenentur, cogitur actionem suam dividere, & a singulis partes petere. Si tamen aliqui Fidejussores, tempore litis contestatæ, solvendo non sint, hoc cæteros onerat.

Fidejussor, qui Creditori solvit, non potest aliquid a Confidejussore repetere, licet reus principalis solvendo non sit: sed, contra Reum, habet actionem Mandati.

Titulus 22.

De Literarum Obligationibus.

QVi, *spe pecuniæ accipiendæ*, *chirographum dedit*, nisi intra *biennium* de non numerata pecunia conque- ratur, post biennium, efficaciter, & sine excepti[illegible] obligatur, non quidem ex n[illegible]one, *quæ null*[illegible] sed ex dicta scriptura.

T[illegible]

De Obliga[illegible]

SOlo *Consensu* [illegible] ni- [illegible] rpe- [illegible]ptio, [illegible] s red- [illegible] oc[illegible] æstet

Ti[illegible]

Dicitur his modis *obligatio consensu contrahi*, ideo, quia nec scripturam, nec verba, nec rei traditionem intervenire necesse est: sed, sufficit eos, qui contrahunt, consentire.

In his contractibus, *alter alteri ex æquo* obligatur, etiam ad id, quod non est expressum.

Titulus 24.

De Emptione & Venditione.

E*Mptio & Venditio* est Contractus, solo consensu initus, quo Emptor obligatur ad pretium dandum, Venditor autem ad rem tradendam, ita ut Emptori eam habere liceat.

Emptio & Venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, licet nec pretium numeratum, nec arrha data sit. *Excipe*, nisi in contrahendo adjectum est pactum, de contractu in scriptis redigendo; tunc enim antequam scriptura perfecta est, licet impune pœnitere, nisi arrha data sit; quo casu, is quem pœnitet, si sit Emptor, id perdit, quod arrhæ nomine dedit; sin autem sit Venditor, duplum restituit.

Pretium, in numerata pecunia consistere debet, alioquin permutatio est, non Emptio & Venditio.

Post Emptionem perfectam, *periculum & commodum* ad Emptorem pertinet. *Excipe*, nisi, dolo aut culpa Venditoris, res amissa, aut Venditor ejus custodiam, usque ad traditionem, receperit. Extra hos casus, non tenetur Venditor rem amissam præstare, sed tamen Actiones, quas de ea re habet, Emptori cedere ut, Rei Vindicationem, & Condictionem, item, Furti actionem: quod & de actione Legis Aquiliæ dicendum, si res vendita, sine dolo & culpa Venditoris, deteriorata, vel interempta fuerit.

Emptio

Emptio, tam *ſub conditione*, quam *pure* contrahi poteſt.

Si quis, a Venditore deceptus, *rem emerit, quæ non eſt in commercio*, contra eum habet Actionem ex empto, *in id*, quod ſua intereſt.

Titulus 25.

De Locatione & Conductione.

Locatio, *Conductio*, eſt perſonæ, vel rei, ad uſum facta conceſſio; vel mercede, vel pecunia numeranda conventa.

Locator, eſt ille, qui rem aliquam, pro certo pretio vel mercede, alicui utendam concedit. *Conductor*, eſt ille, qui rem aliquam ab aliquo, data mercede, vel promiſſa, accipit utendam.

Inquilinus, eſt conductor ædium. *Colonus*, eſt Conductor fundi. *Redemptor* eſt, qui opus faciendum conduxit.

Locator tenetur, ut præſtet Conductori, uti frui *licere*; tenetur item rem locatam reficere, & debet pati, ut, finita locatione, Conductor tollat, quæ adjecit ædificio; item, ut res ſuas invectas auferat, ſoluta mercede: nam, ante ſolutionem, Locator illas taciti pignoris jure retinere poteſt.

Conductor obligatur principaliter ad mercedem conſtitutam. Deinde, tenetur rem Locatori, finito conductionis tempore, reſtituere, prout eam accepit.

Locationis vocabulum, late ſumtum, complectitur etiam *Emphyteuſin*, quæ eſt contractus, quo dominus prædii, dominio directo retento, prædium perpetuo fruendum alteri tradit, ut id melius & cultius reddat, & domino quotannis certam penſionem præſtet.

Dicitur his modis *obligatio consensu contrahi*, ideo, quia nec scripturam, nec verba, nec rei traditionem intervenire necesse est: sed, sufficit eos, qui contrahunt, consentire.

In his contractibus, *alter alteri ex æquo* obligatur, etiam ad id, quod non est expressum.

Titulus 24.

De Emptione & Venditione.

EMptio & Venditio est Contractus, solo consensu initus, quo Emptor obligatur ad pretium dandum, Venditor autem ad rem tradendam, ita ut Emptori eam habere liceat.

Emptio & Venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, licet nec pretium numeratum, nec arrha data sit. *Excipe*, nisi in contrahendo adjectum est pactum, de contractu in scriptis redigendo; tunc enim antequam scriptura perfecta est, licet impune pœnitere, nisi arrha data sit; quo casu, is quem pœnitet, si sit Emptor, id perdit, quod arrhæ nomine dedit; sin autem sit Venditor, duplum restituit.

Pretium, in numerata pecunia consistere debet, alioquin permutatio est, non Emptio & Venditio.

Post Emptionem perfectam, *periculum & commodum* ad Emptorem pertinet. *Excipe*, nisi, dolo aut culpa Venditoris, res amissa, aut Venditor ejus custodiam, usque ad traditionem, receperit. Extra hos casus, non tenetur Venditor rem amissam præstare, sed tamen Actiones, quas de ea re habet, Emptori cedere: ut, Rei Vindicationem, & Condictionem, item, Furti actionem: quod & de actione Legis Aquiliæ dicendum, si res vendita, sine dolo & culpa Venditoris, deteriorata, vel interempta fuerit.

Emptio

Emptio, tam *sub conditione*, quam *pure* contrahi poteſt.

Si quis, a Venditore deceptus, *rem emerit, quæ non eſt in commercio*, contra eum habet Actionem ex empto, in id, quod ſua intereſt.

Titulus 25.

De Locatione & Conductione.

LOcatio, *Conductio*, eſt perſonæ, vel rei, ad uſum facta conceſſio; vel mercede, vel pecunia numeranda conventa.

Locator, eſt ille, qui rem aliquam, pro certo pretio vel mercede, alicui utendam concedit. *Conductor*, eſt ille, qui rem aliquam ab aliquo, data mercede, vel promiſſa, accipit utendam.

Inquilinus, eſt conductor ædium. *Colonus*, eſt Conductor fundi. *Redemptor* eſt, qui opus faciendum conduxit.

Locator tenetur, ut præſtet Conductori, uti frui licere; tenetur item rem locatam reficere, & debet pati, ut, finita locatione, Conductor tollat, quæ adjecit ædificio; item, ut res ſuas invectas auferat, ſoluta mercede: nam, ante ſolutionem, Locator illas taciti pignoris jure retinere poteſt.

Conductor obligatur principaliter ad mercedem conſtitutam. Deinde, tenetur rem Locatori, finito conductionis tempore, reſtituere, prout eam accepit.

Locationis vocabulum, late ſumtum, complectitur etiam *Emphyteuſin*, quæ eſt contractus, quo dominus prædii, dominio directo retento, prædium perpetuo fruendum alteri tradit, ut id melius & cultius reddat, & domino quotannis certam penſionem præſtet.

Dicitur his modis *obligatio consensu contrahi*, ideo quia nec scripturam, nec verba, nec rei traditionem intervenire necesse est: sed, sufficit eos, qui contrahunt, consentire.

In his contractibus, *alter alteri ex æquo* obligatur etiam ad id, quod non est expressum.

Titulus 24.

De Emptione & Venditione.

E*Mptio & Venditio* est Contractus, solo consens initus, quo Emptor obligatur ad pretium dandum, Venditor autem ad rem tradendam, ita ut Emptori eam habere liceat.

Emptio & Venditio contrahitur, simul atque d pretio convenerit, licet nec pretium numeratum, ne arrha data sit. *Excipe*, nisi in contrahendo adjectum est pactum, de contractu in scriptis redigendo; tun enim antequam scriptura perfecta est, licet impun pœnitere, nisi arrha data sit; quo casu, is quem pœni tet, si sit Emptor, id perdit, quod arrhæ nomine dedit sin autem sit Venditor, duplum restituit.

Pretium, in numerata pecunia consistere debe alioquin permutatio est, non Emptio & Venditio.

Post Emptionem perfectam, *periculum & comm dum* ad Emptorem pertinet. *Excipe*, nisi, dolo a culpa Venditoris, res amissa, aut Venditor ejus cust diam, usque ad traditionem, receperit. Extra hos c sus, non tenetur Venditor rem amissam præstare, tamen Actiones, quas de ea re habet, Emptori ceder ut, Rei Vindicationem, & Condictionem, item, Fu actionem: quod & de actione Legis Aquiliæ dice dum, si res vendita, sine dolo & culpa Venditoris, d teriorata, vel interempta fuerit.

Empti

Emptio, tam *sub conditione*, quam *pure* contrahi potest.

Si quis, a Venditore deceptus, *rem emerit, quæ non est in commercio*, contra eum habet Actionem ex empto, *in* id, quod sua interest.

Titulus 25.

De Locatione & Conductione.

Locatio, *Conductio*, est personæ, vel rei, ad usum facta concessio; vel mercede, vel pecunia numeranda conventa.

Locator, est ille, qui rem aliquam, pro certo pretio vel mercede, alicui utendam concedit. *Conductor*, est ille, qui rem aliquam ab aliquo, data mercede, vel promissa, accipit utendam.

Inquilinus, est conductor ædium. *Colonus*, est Conductor fundi. *Redemptor* est, qui opus faciendum conduxit.

Locator tenetur, ut præstet Conductori, uti frui licere; tenetur item rem locatam reficere, & debet pati, ut, finita locatione, Conductor tollat, quæ adjecit ædificio; item, ut res suas invectas auferat, soluta mercede: nam, ante solutionem, Locator illas taciti pignoris jure retinere potest.

Conductor obligatur principaliter ad mercedem constitutam. Deinde, tenetur rem Locatori, finito conductionis tempore, restituere, prout eam accepit.

Locationis vocabulum, late sumtum, complectitur etiam *Emphyteusin*, quæ est contractus, quo dominus prædii, dominio directo retento, prædium perpetuo fruendum alteri tradit, ut id melius & cultius reddat, & domino quotannis certam pensionem præstet.

Stipulatio ejus nomine facta, *cujus juri quis subjectus*, valet, ut, Filius acquirit stipulando Patri.

Stipulatio *alteri*, id est extraneo, facta, regulariter est inutilis. Sed utilis esse potest, si addatur stipulatio pœnalis, qua, nisi priori stipulationi satisfiat, pœnam nobis stipulamur. Utilis etiam est, si id stipulantis intersit.

Qui, *alium facturum* promisit, non tenetur, nisi sub conditione, si ille non fecerit, pœnam ipse promiserit.

Turpis promissio non obligat.

Si, *pendente stipulationis conditione*, Stipulator vel Promissor moriatur, heres postea, conditione existente, agere vel conveniri potest.

Qui *hoc anno*, *aut hoc mense*, dari stipulatus, non prius agere potest, quam totus annus, vel mensis præterierit; &, qui pure stipulatus est, non poterit continuo agere, nisi tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit.

Titulus 21.

De Fidejussoribus.

Fidejussor dicitur, qui sua fide ac periculo esse jussit, quod alteri creditum est. *Usus* ergo *fidejussionis* idem qui pignorum, securitas puta Creditorum, ut eo tutius ipsis debeatur, quod in obligationem deductum.

Fidejussor, in omnibus obligationibus assumi potest, id est, sive Re, sive Verbis, sive Literis, sive Consensu sint contractæ; &, sive Civiles sint, sive Naturales.

Obligatio Fidejussoris in heredem transit.

Fidejussor, & *præcedere* principalem obligationem & *sequi* potest.

Si plures sint Fidejussores, singuli in solidum tenentur. Atq; olim potestas erat Creditori, eligere & convenire Fidejussorem, etiam relicto reo principali, nisi aliter convenisset. Sed *Justinianus id mutavit*, constituitque, ut, si uterque adsit, Creditor prius debitum exigat a reo principali, & is primum excutiatur; & si is non sit solvendo, tum demum Fidejussorem convenire possit. Vulgo vocant *Beneficium Ordinis*, sive *Excussionis*.

Est & aliud *Beneficium, Divisionis*, ex epistola D. Hadriani, quo Creditor, etsi singuli Fidejussores in solidum tenentur, cogitur actionem suam dividere, & a singulis partes petere. Si tamen aliqui Fidejussores, tempore litis contestatæ, solvendo non sint, hoc cæteros onerat.

Fidejussor, qui Creditori solvit, non potest aliquid a Confidejussore repetere, licet reus principalis solvendo non sit: sed, contra Reum, habet actionem Mandati.

Titulus 22.

De Literarum Obligationibus.

QVi, *spe pecuniæ accipiendæ, chirographum dedit*, nisi intra *biennium* de non numerata pecunia conqueratur, post biennium, efficaciter, & sine exceptione, obligatur, non quidem ex numeratione, quæ nulla fuit, sed ex dicta scriptura.

Titulus 23.

De Obligationibus ex Consensu.

SOlo *Consensu* perficiuntur sequentes Contractus. 1. Emptio, & Venditio. 2. Locatio, & Conductio. 3. Societas. 4. Mandatum.

Dici-

Dicitur his modis *obligatio consensu contrahi*, ideo quia nec scripturam, nec verba, nec rei traditionem intervenire necesse est: sed, sufficit eos, qui contrahunt, consentire.

In his contractibus, *alter alteri ex æquo* obligatur etiam ad id, quod non est expressum.

Titulus 24.

De Emptione & Venditione.

E*Mptio & Venditio* est Contractus, solo consens initus, quo Emptor obligatur ad pretium dandum, Venditor autem ad rem tradendam, ita ut Emptori eam habere liceat.

Emptio & Venditio contrahitur, simul atque d pretio convenerit, licet nec pretium numeratum, ne arrha data sit. *Excipe*, nisi in contrahendo adjectum est pactum, de contractu in scriptis redigendo; tun enim antequam scriptura perfecta est, licet impun pœnitere, nisi arrha data sit; quo casu, is quem pœni tet, si sit Emptor, id perdit, quod arrhæ nomine dedit sin autem sit Venditor, duplum restituit.

Pretium, in numerata pecunia consistere debe alioquin permutatio est, non Emptio & Venditio.

Post Emptionem perfectam, *periculum & comm dum* ad Emptorem pertinet. *Excipe*, nisi, dolo a culpa Venditoris, res amissa, aut Venditor ejus cust diam, usque ad traditionem, receperit. Extra hos c sus, non tenetur Venditor rem amissam præstare, tamen Actiones, quas de ea re habet, Emptori ceder ut, Rei Vindicationem, & Condictionem, item, Fu actionem: quod & de actione Legis Aquiliæ, dice dum, si res vendita, sine dolo & culpa Venditoris, c teriorata, vel interempta fuerit.

Empt

Emptio, tam *sub conditione*, quam *pure* contrahi potest.

Si quis, a Venditore deceptus, *rem emerit, quæ non est in commercio*, contra eum habet Actionem ex empto, in id, quod sua interest.

Titulus 25.

De Locatione & Conductione.

LOcatio, *Conductio*, est personæ, vel rei, ad usum facta concessio; vel mercede, vel pecunia numeranda conventa.

Locator, est ille, qui rem aliquam, pro certo pretio vel mercede, alicui utendam concedit. *Conductor*, est ille, qui rem aliquam ab aliquo, data mercede, vel promissa, accipit utendam.

Inquilinus, est conductor ædium. *Colonus*, est Conductor fundi. *Redemptor* est, qui opus faciendum conduxit.

Locator tenetur, ut præstet Conductori, uti frui licere; tenetur item rem locatam reficere, & debet pati, ut, finita locatione, Conductor tollat, quæ adjecit ædificio; item, ut res suas invectas auferat, soluta mercede: nam, ante solutionem, Locator illas taciti pignoris jure retinere potest.

Conductor obligatur principaliter ad mercedem constitutam. Deinde, tenetur rem Locatori, finito conductionis tempore, restituere, prout eam accepit.

Locationis vocabulum, late sumtum, complectitur etiam *Emphyteusin*, quæ est contractus, quo dominus prædii, dominio directo retento, prædium perpetuo fruendum alteri tradit, ut id melius & cultius reddat, & domino quotannis certam pensionem præstet.

Titulus 26.
De Societate.

SOcietas, est contractus, consensu initus, quo inter duos pluresve, vel omnium bonorum, vel alicujus partis, vel certæ alicujus negotiationis, communio contrahitur, ejusque lucrum, & damnum communicatur.

Si de partibus nihil convenerit, æquales partes, sive lucri, sive damni, fient. Si partes in contrahendo expressæ fuerint, hæ servari debent.

Societas solvitur, 1. *Renunciatione*; post quam accedens lucrum non communicatur; eo excepto, quod renuncians captavit, si forte ideo societati renunciavit, ne lucrum, quod sperabat, communicaret. 2. *Morte Socii*, adeo, ut si plures sint, morte unius, etiam inter superstites solvatur, nisi in contrahendo aliter convenerit. 3. *Finito negotio*, cujus causa societas contracta fuerit. 4. *Confiscatione* omnium bonorum alicujus Socii. 5. *Cessione bonorum*. Quo casu, si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas.

Socius Socio dolum & culpam præstat: non tamen exactissimam diligentiam adhibere tenetur. Sufficit enim, si tali diligentia in communibus rebus utatur qualem in suis adhibere solet.

Titulus 27.
De Mandato.

MAndatum, est contractus, consensu initus, qu[o] quis rogatus, alienum negotium honestum, si[ne] mercede gerendum, suscipit.

Eum, qui mandat, *Mandatorem* vocamus, eum vero, qui mandatum ſuſcipit, *Procuratorem*, vel *Mandatarium.*

Mandatarius, non debet excedere fines mandati: quare, ſi carius emerit, quam ſibi mandatum, non plus repetet Actione mandati, quam quanti emere debuit: at, ſi vilius emit, non videtur mandatum exceſſiſſe.

Mandatum finitur, 1. *Revocatione*, ſi mandator re integra illud revocaverit. 2. *Morte* Mandantis, vel Mandatarii. Sed, utilitatis cauſa receptum, ut, ſi Mandatarius ignorans mortem Mandatoris, exequatur mandatum, agere poſſit mandati. 3. *Renunciatione* Mandatarii. Sed, ut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt: ita ſuſceptum, conſummari, aut quamprimum renunciari debet, ut integra cauſa Mandatori ſervetur, eandem rem, vel per ſe, vel per alium, exequendi.

Actiones ex hoc contractu duæ oriuntur: *Mandati Directa*, quæ datur Mandatori contra Mandatarium, ad implendum mandatum, &, ſi non impletur, ad id, quod intereſt, fuiſſe impletum. Tum *Contraria Mandati*, quæ datur Mandatario contra Mandantem, ut agnoſcat, & ratum habeat id, quod ſuo nomine geſtum: &, ut ſumptus & impendia, mandati exequendi gratia facta, eorumque uſuras præſtet.

Titulus 28.

De Obligationibus, quæ ex Quaſicontractu naſcuntur.

SVnt quædam negotia, quæ neque ad contractus recte referuntur, quia in illis non præceſſit utrinque conſenſus; neque tamen ad Maleficia, ſive Delicta pertinent, ideoque appellantur *Quaſicontractus.*

Species sunt quinq;: Negotiorum gestio, Tutela, Communio rerum, Aditio hereditatis, Indebiti solutio.

Negotiorum Gestio, est quasi contractus, quo quis alterius ignorantis negotium, sponte suscipit gerendum.

Hinc datur Actio negotiorum gestorum *Directa*, Domino, contra eum, qui gessit; *Contraria*, Gestori contra Dominum.

Regulariter tenetur negotiorum gestor, de dolo, & lata ac levi culpa: interdum vero etiam levissimam culpam, & exactissimam diligentiam præstat, eo scilicet casu, si alius diligentior administraturus fuisset negotia, quem ille impedivit.

Dominus, cujus negotia gesta, obligatur Gestori, ad reddendum id, quod utiliter in rem ipsius impendit & ad liberandum Gestorem ea obligatione, quam is forte suscepit, negotiorum ipsius nomine.

Tutela duas gignit actiones: *Directam*, quam habe Pupillus contra Tutorem, finita tutela. *Contrarian* quæ datur Tutori contra Pupillum, finito officio.

In Actionem tutelæ Directam, veniunt omnia, ad qu Tutor obligatur. Ea sunt: 1. Repertorium initio a ministrationis conficere. 2. Pupillum non relinque indefensum. 3. Tam de omissis, quam de commis tenetur; nam, nec utilia prætermittere, nec inuti admittere debet. 4. Tenetur ad Usuras pecuniæ pup laris, quam non collocavit in comparationem prædi rum, vel fœnori non dedit, sed in suos usus conver 5. Rationes actus sui conficere, & reddere cogitur p pillo.

Ad *Obligationem Tutelæ contrariam* veniunt: 1. I pendia in rem pupilli bona fide facta. 2. Usuræ su

ptuu

ptuum. 3. Vt Pupillus Tutorem liberet, ab obligationibus, quas ejus nomine suscepit.

Circa Rem Communem, veluti si unus ex re communi fructus perceperit, aut rem communem deterioraverit: has ob causas tenetur judicio *Communi dividundo*, si sit particularis communio; vel *Familiæ erciscundæ*, si sint coheredes.

Aditone Hereditatis, vel Immixtione, obligatur heres Legatariis & Fideicommissariis, ad solvenda Legata & Fideicommissa; videtur enim cum illis contrahere.

Qui *Indebitum* per errorem solventis accepit, id restituere cogitur, per Condictionem Indebiti. *Nota:* Ex quibus causis inficiando lis crescit, id est, quibus casibus inficiatio debitoris auget condemnationem, ex his causis indebite solutum non peti. Verbi causa, ex Lege Aquilia de Damno; aut ex Legato, quod Ecclesiæ, vel alii pio loco relictum.

Titulus 29.

Per quas Personas nobis Obligatio acquiritur.

SIcuti, Libro secundo, non solum exponuntur modi acquirendi dominii, sed etiam, per quas personas nobis acquiritur: ita hic, ubi edocti, quibus modis Obligatio contrahatur, sequitur, per quas personas Obligatio acquiratur. *Breviter:* Per easdem personas acquiritur Obligatio, per quas acquiritur dominium.

Titulus 30.

Quibus modis Obligatio tollitur.

OBligatio tollitur: 1. *Solutione*, quæ est numeratio, sive præstatio ejus, quod debetur. Nec interest,

tereſt, utrum ipſe debitor ſolvat, an alius pro eo, ſive ſciente, ſive ignorante. Adde, quod Reus ſolvens, etiam Fidejuſſorem, & Fidejuſſor ſolvens, Reum liberat.

2. *Acceptilatione*, quæ eſt imaginaria, ſive ficta ſolutio; cum Creditor liberandi Debitoris cauſa, ei roganti, reſpondet ſe accepiſſe, quod revera non accepit.

3. *Novatione*, cum in locum veteris obligationis nova ſubſtituitur; ut, Debitoris perſona mutata, vel alia mutatione facta: puta, Conditione, Die, Fidejusſore adjecto, vel detracto.

4. *Nudo Conſenſu*, cum inter contrahentes convenit, ut Obligatio irrita fiat.

LIBER QVARTVS.

Titulus I.

De Obligationibus, quæ ex Delicto naſcuntur.

DElictum, eſt contra Leges admiſſum, ex quo pri vata actio oritur. Hinc diſtinguitur a *Crimin* *Publico*, & a *Populari*, quorum perſecutio datur cu vis e populo: &, a *Delicto Extraordinario*, quod ext ordinem punitur.

Privatorum Delictorum *quatuor* ſunt genera: Fu tum, Rapina, Damnum, Injuria.

Furtum, eſt contrectatio rei frauduloſa, lucri f ciendi gratia, vel ipſius, vel uſus ejus, poſſeſſionis quod lege naturali prohibitum eſt admittere.

Furtorum *genera duo* ſunt: Manifeſtum, & Ne manifeſtum.

Manifeſtus Fur eſt, qui cum furto deprehendit antequam eo detulerit, quo deferre deſtinavit, ut

ri

maneret ea die cum furto. *Reliqui omnes sunt fures Necmanifesti:* tales etiam sunt, qui scientes rem furtivam suscipiunt, aut celant.

Pœna Furti Manifesti, est quadrupli, Necmanifesti, dupli.

Ut Furtum committatur, tria requiruntur: 1. *Rei contrectatio:* nec est opus, ut res auferatur, sive amoveatur, sed sufficit qualiscunque contrectatio. Veluti, si Creditor pignore, aut Depositarius re deposita utatur, aut Commodatarius aliter utatur, quam sibi a domino permissum. 2. *Affectus furandi;* ideoque Commodatarius aliter re utens, quam sibi permissum fuit, si dominum permissurum credat, furtum non committit. 3. *Dissensus Domini:* nam, volenti furtum non fit: idcirco, Commodatarius putans se invito domino rem contrectare, si volente domino id faciat, furtum non committit.

Furti Actio ei competit, cujus interest, sive sit dominus, sive non sit; nec datur domino, si ejus non intersit.

De re subrepta, datur 1. *Actio Furti* in duplum, vel quadruplum, quæ est mere pœnalis. 2. *Rei Vindicatio*, quæ datur domino contra possessorem, sive ipse Fur, sive alius eam possideat. 3. *Condictio Furtiva*, quæ datur domino adversus furem, ejusque heredem, licet non possideat.

Titulus 2.
De Vi Bonorum Raptorum.

R*Apina*, est ablatio violenta, rei corporalis mobilis. Hinc *distinguitur* 1. *Ab ea vi, qua quis alterum cogit sibi rem tradere:* unde tenetur Actione quod Metus causa. 2. *A Raptu*, qui est personæ, non rei,

& est crimen publicum. 3. *Ab Invasione*, quæ est rei immobilis.

Rem aliquis rapit, aut alienam, dolo malo: aut suam, per ignorantiam juris, id est, quia falso putat, licere domino rem suam rapere; aut rapit alienam, quam suam esse putat.

Primo casu, tenetur Actione Furti, quia dicitur improbus fur; &, Actione Vi bonorum raptorum, quæ, etiam ob unam minimam rem raptam, datur intra annum in quadruplum Mixta, (nam simplum est res, triplum est pœna,) post annum, in Simplum, Rei persecutoria.

Secundo & tertio casu, neutra harum actionum tenetur, sed ex Constitutionibus punitur. Nam, secundo casu, rei dominium amittit; tertio casu, non solum rem restituit, sed etiam æstimationem ejus præstat. Eadem obtinent in eum, qui rem immobilem per imprudentiam invasit.

Titulus 3.

De Lege Aquilia.

D*Amnum* est, quo res aliena deterioratur, vel perimitur. De hoc, per injuriam, sive dolo, sive culpa dato, cavetur Lege Aquilia, lata ab Aquilio Tribuno plebis.

Ex *tribus capitibus* hujus Legis, duo sunt in usu. *Primum*, de homine alieno, vel quadrupede, quæ pecudum numero sit, id est, quæ gregatim pascitur, interemptis. *Secundum*, quod in desuetudinem abiit, quale fuerit, non constat. *Tertium*, si servus aut quadrupes, pecudum numero, vulnerata, aut alia quadrupes, vel animal occisum, aut in quacunque re damnum datum sit.

Pr

Priori capite, res contra reum æſtimatur, quanti plurimi fuit, *eo anno* retrorſum computato. Tertio, quanti 30. *diebus proximis* fuerit.

Vtrumque caput eſt de damno, quod quis ſuo corpore in corpus dedit; ſi vero *occaſionem damni quis dederit*, puta pecus incluſerit, adeo ut fame perierit, contra eum non Directa, ſed Vtilis actio ex hac lege competit. At, ſi corpus læſum non ſit, ſed *aliter damnum ſit datum*, veluti, ſi quis alienum ſervum vinctum, miſericordia ductus, ſolverit, & is fugerit, In factum prætoria actio datur.

Titulus 4.

De Injuriis.

INjuria, eſt delictum, quo fama, honor, dignitas, & exiſtimatio alterius, læditur per contumeliam.

Contumelia eſt multiplex. 1. Aut fit *Re*, ut Verberatio: aut *Verbis*, ut Convitium; aut *Scriptura*, ut Libellus famoſus. 2. Aut infertur *in Corpus*, ut cum aliquis pulſatur; aut pertinet ad *Dignitatem minuendam*, ut cum comes matronæ abducitur; aut ad *Infamiam importandam*, ut, cum alicujus pudicitia attentatur. 3. Aut eſt Levis, aut Atrox. *Atrox* injuria æſtimatur, vel ex Facto, ut ſi quis ſit vulneratus; vel ex Loco, veluti ſi quis injuriam in foro, aut in theatro ſit paſſus; vel ex Perſona, veluti, ſi Senator a plebejo ſit injuria affectus. Locus quoque vulneris injuriam auget: atrociorem nempe injuriam infert vulnus in oculo, quam in alia parte corporis inflictum.

Qui injuriam fecit, punitur, 1. *Actione Prætoria*: qua, in tantum damnatur, quanti injuriam paſſus æſtimaverit; vel minoris, prout judici viſum fuerit. 2. *Le-*

ge *Cornelia de injuriis*, si quem pulsavit, aut verberavit, aut domum alterius vi introit. 3. *Judicio Criminali extraordinario*; ubi notandum, Illustres, & Superillustres, hoc judicium per Procuratores posse suscipere, vel movere.

Injuriarum tenetur, tum, qui injuriam fecit, veluti qui percussit; tum, qui dolo fecit, vel curavit, ut injuria fieret, puta, ut aliquis percuteretur.

Hæc Actio *Dissimulatione* aboletur, & ideo, si qui injuriam dereliquerit, id est, ubi passus statim ad animum non revocaverit, postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolere.

Titulus 5.

De Obligationibus, quæ ex Quasidelict[o] nascuntur.

DElicta committuntur dolo malo; Quasidelicta p[er] culpam. *Quasidelictorum* genera quatuor, ho[c] titulo, considerantur. 1. *Si Judex litem suam fecer[it]* id est, per imperitiam male judicaverit, quasi ex mal[e]ficio tenetur, & arbitrio judicis punitur. 2. *Is,* [e] *cujus cœnaculo* (sive in suo, sive in conducto, sive gr[a]tis habitet,) *dejectum effusumve aliquid* est, ita, ut a[li]cui nocuerit, ex Quasidelicto tenetur, & in duplu[m] damni dati condemnatur. Ob hominem vero oc[ci]sum, 50. aureorum pœna afficitur. Sin autem [vivi]ter homini libero nocitum sit, in quantum æqu[um] Judici videbitur, condemnationem sustinebit. [Ju]dex computare debet mercedes medicis præstitas, c[æ]teraq; impendia, quæ in curatione facta sunt; & o[pe]ras, quibus ob id factum caruit, vel cariturus est.

3. *Qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id posit[um]* *aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, al[i]*

nocere, ex Quaſidelicto eſt obligatus, ac decem aureis punitur.

4. *Exercitor navis*, aut cauponæ, aut ſtabuli, ob damnum aut furtum, in navi, caupona, ſtabulo factum, ab iis, quorum opera ibi utitur, ex Quaſidelicto *tenetur*, Actione In factum, quæ heredi datur, non in heredem.

Titulus 6.

De Actionibus.

ACtio, eſt jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. Ubi verbum *debendi* late accipiendum eſt, ut comprehendat etiam Rei vindicationem, qua quis rem ſuam petit.

Actionis *ſeptem diviſiones*, hoc titulo, proponuntur.

1. Actio, aut eſt *Realis*, aut *Perſonalis*, aut *Mixta*.

Actio Realis, ſive In rem eſt, qua quis petit rem ſuam, quæ ab alio poſſidetur.

Actio Perſonalis, ſive in perſonam eſt, qua quis agit cum eo, qui ſibi obligatus eſt ad dandum, aut faciendum, vel ex Contractu, vel Maleficio, vel aliis quibusdam modis.

Mixta Actio dicitur, quæ eſt ſimul in rem, & in perſonam. Tales ſunt, Actio Familiæ herciſcundæ, quæ datur inter coheredes, de dividenda hereditate: aut, de Communi dividundo, qua, res particularis, aliquibus communis, inter eos dividitur.

2. Actio aut eſt *Civilis*, quæ jure Civili eſt introducta: aut *Prætoria*, quæ ex jurisdictione Prætoris originem ducit.

3. Actio aut eſt *Rei perſecutoria*, aut *Pœnalis*, aut *Mixta*. Rei perſecutoria, rem noſtram, vel nobis de-

debitam; Pœnali, pœnam; Mixta, utrumque persequimur.

4. Actio aut est in *Simplum*, aut in *Duplum*, aut in *Triplum*, aut in *Quadruplum*.

5. Actio aut est *Bonæ Fidei*, ex qua datur Judici potestas, judicandi ex æquo & bono: aut *Stricti Juris*, ex qua potestas Judicis adstricta est, ad juris dispositionem: aut *Arbitraria*, quæ suapte natura est stricti juris, sed ex accidente fit Bonæ fidei; veluti, quia est alius locus solutioni destinatus, & alio loco agitur.

6. Actio alia, *præcise petit quod debetur*, alia, aut Plus, aut Minus, aut Aliud.

7. Actio vel est *Solidi persecutoria*, vel habet aliquam *Limitationem*, ut, de Peculio, vel, In quantum reus facere potest.

Titulus 7.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

NVnc exponenda sunt quædem Actionum accidentia. Primum accidens est *Qualitas*, quæ actioni adjicitur ex eo, quod reus non convenitur ex sua persona, sed Filii, vel Servi, vel Quadrupedis nomine; unde vocatur Actio de Peculio, vel Quod jussu, vel Noxalis, &c.

Harum Actionum duo sunt genera: nam, aliæ sunt ex Contractu, aliæ ex Noxa.

Ex Contractu sunt, 1. *Quod Jussu*, qua convenitur Pater vel Dominus, ex contractu Filii & Servi, cu[m] jussit, ut contraheret.

2. *Actio Exercitoria*, quæ datur in Exercitorem ex contractu Magistri navis, si modo ejus rei gratia cui præpositus erat, contraxerit. *Exercitor* est, ad quem

quem quotidianus quæstus ex navi pertinet. *Magister* navis est, cui totius navis cura incumbit.

3. *Institoria*, quæ, ex contractu Institoris, in eum redditur, qui Institorem tabernæ, vel suæ negotiationi præposuit, dummodo ejus rei gratia contraxerit, cui præpositus est.

4. *Tributoria*, quæ ex contractu Filiifamilias, aut Servi, datur in patrem vel dominum, qui non recte, & pro rata, peculium filii vel servi distribuit, sed totum, vel plus quam proportio requirit, sibi retinuit.

5. *De Peculio*; quæ, Patrem, vel Dominum, ex contractu Filii vel Servi condemnat, quatenus est in peculio.

6. *De in rem verso*, qua, ex contractu Filiifamilias vel Servi, Pater vel Dominus condemnatur, quatenus in rem suam versum est. Hæc Actio, est pars Actionis de Peculio, si de peculio actio competat: vel, est Actio separata, & per se, si Actio de peculio sit finita; nam, hæc certis casibus est annalis: Actio vero de in rem verso, est perpetua.

Titulus 8.

De Noxalibus Actionibus.

NOxales *Actiones* appellantur eæ, quæ contra Dominum ex delicto Servi dantur: & habent effectum, ut Dominus Servum, qui nocuit, noxæ dedendo, liberetur a præstanda litis æstimatione, & quidem, etiamsi tanti non sit Servus, quanti damnum datum per ipsius delictum: atque sic dominium Servi transfertur a priore Domino in alterum, cui deditus est, idque in perpetuum.

Si Servus noxæ deditus, de suo demenso genium defraudando deparcens, tantum acquisivit, unde da-

mnum

mnum refarcire poffit, cogitur Dominus a Prætore, eum manumittere.

Titulus 9.

Si Quadrupes Pauperiem feciffe dicatur.

SI *brutum animal*, ut Equus calcitrofus, aut Bos cornupeta, lafcivia, aut fervore, aut feritate, contra fui generis naturam, concitatum, *pauperiem fecerit*, Noxalis actio ex lege 12. tabularum in dominum ejus competit, ut, fi animal illud noxæ dedat, liberationem confequatur.

Pauperies, eft damnum, fine injuria facientis datum; nec enim poteft animal, quod ratione caret, injuriam facere.

Ædilitio Edicto prohibemur, Canem, Verrem, Aprum Ursum, Leonem ibi habere, qua vulgo iter fit. Qu contra Edictum habuerit, fi homini libero nocitum fit arbitrio Judicis damnabitur; fi aliud damnum datum fit, in duplum condemnabitur.

Titulus 10.

De His, per quos agere poffumus.

AGere aliquis poteft, tum fuo nomine, tum & alieno nomine, ut procuratorio, tutorio, curatorio.

Procurator mandato conftituitur, cum Domin ei rem fuam adminiftrare, vel agere, vel defendere permittit: quare, nec certis verbis, nec præfentia vel fcientia adverfarii opus eft.

Titulus 11.

De Satisdationibus.

SAtisdatio, eft cautio, qua adverfario noftro, eo, quod a nobis petiit; ita cavemus, ut e

hoc nomine securum faciamus, datis Fidejussoribus.

Reus, suo nomine conventus, non cavet, judicatum solvi: sed pro sua tantum persona, quod in judicio manebit usque ad terminum litis, vel jurato cavere, vel repromittere, vel satisdare, pro qualitate personæ suæ, compellitur.

Qui alieno nomine agit, si dubitetur, an sit Procurator, vel Tutor, vel Curator, satisdat, rem ratam dominum habiturum.

Si Reus præsens Procuratorem dare paratus sit, pro eo, judicatum solvi, fidejubere potest, ita ut in eam causam res suas obliget; & insuper pro sua persona caveat, quod, tempore recitandæ sententiæ, in judicium veniet, ut sententiæ satisfaciat, vel, se non veniente, Fidejussor a se datus satisfaciet, nisi fuerit appellatum.

Qui Reum absentem defendit, satisdare debet, judicatum solvi: nemo enim alienæ rei, sine satisdatione, idoneus defensor intelligitur.

Alia est *Cautio Juratoria*, quæ jurejurando confirmatur; alia est *Nuda Cautio* seu *Repromissio*, quæ fit per simplicem stipulationem, sine jurejurando, sine fidejussoribus, & sine pignoribus.

Repromittunt Clerici certis casibus, & Respublica: *Jurato promittunt*, qui res immobiles possident, Viri Illustres, & qui fidejussores invenire non possunt:

Cæteri *satisdant* idoneis fidejussoribus. Sed, excipiuntur Parentes & Patroni, à quibus qualemcunque fidejussorem accipere oportet.

Titu-

Titulus 12.

De Perpetuis & Temporalibus Actionibus, &, quæ ad Heredes & in Heredes transeunt.

ACtiones aliæ ſunt Perpetuæ, aliæ certo tempore finiuntur: ut, Actio de dolo, terminatur biennio; Redhibitoria, ſex menſibus.

Perpetuas vocamus, quæ olim durabant in perpetuum: ſed hodie longiſſimi temporis, id eſt 30. vel 40. annorum præſcriptione, ſummoventur: ut, Certi Condictio, Actio ex ſtipulatu, & aliæ quamplurimæ.

Rurſus, aliæ Actiones *dantur Heredibus, & Contra Heredes*, ut, Actiones ex Contractibus: aliæ *finiuntur morte Rei*, ut, Actiones pœnales; quia delicta morte delinquentium extinguuntur, & pœna ad heredes non tranſit. Aliæ finiuntur *tam morte ejus, cui competunt, quam ejus, contra quem dantur*, ut, Actio injuriarum.

Titulus 13.

De Exceptionibus.

EXceptio, eſt judicialis quædam allegatio, Reo competens adverſus Actionem, quæ jure quidem civili efficax ſit, ſed natura iniquas vires habeat.

Qui per Metum, vel Dolum, vel Errorem id promiſit, quod non debebat, jure civili tenetur, ſed Prætoria exceptione, Quod metus cauſa, vel, Doli mali, vel, In factum, defenditur.

Qui, tanquam mutuam accepturus pecuniam, ſtipulanti ſpopondit, ſimiliter ipſo jure tenetur; ſed habe Exceptionem non numeratæ pecuniæ.

Item *Judicio abſolutus*, ſi iterum conveniatur, Exceptione rei judicatæ ſe tueri poteſt.

Ex

Exceptiones dividuntur 1. in Legitimas, & Prætorias. 2. in Peremptorias, sive Perpetuas; & Temporales, sive Dilatorias.

Perpetuæ seu Peremptoriæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem, de qua agitur, perimunt: ut, Exceptio doli mali, Quod metus causa, & Pacti de non petendo.

Temporales atque Dilatoriæ sunt, quæ ad tempus Actori nocent, & temporis dilationem tribuunt: ut, Pacti, ne intra certum tempus petatur.

Quædam Exceptiones sunt *Dilatoriæ ex Persona*, ut Exceptio Procuratoria. Quidam enim prohibentur Procuratoris officio fungi, ut Miles & Mulier. Infames vero, tam Procuratorem dare, quam Procuratores fieri possunt.

Titulus 14.

De Replicationibus.

UTi Actor contra Reum movet *Actionem*, ita Reus contra Actorem *excipit*: deinde Actor Exceptioni opponit *Replicationem*: Reus, Replicationi, *Duplicationem*: Actor, Duplicationi, *Triplicationem*: Reus, Triplicationi, *Quadruplicationem*: atque ita etiam ulterius interdum progrediuntur.

Titulus 15.

De Interdictis.

I*Nterdictum*, est Forma atque Conceptio Verborum, quibus Prætor jubet aut prohibet aliquid fieri, & maxime inter eos, qui de Possessione, vel Quasi-possessione contendunt.

Ejus Divisiones hic tres exponuntur: 1. Vel sunt *Prohibitoria*, quibus Prætor prohibet aliquid fieri; puta,

vim fieri possidenti. Vel *Restitutoria*, quibus jubet aliquid restitui, veluti possessionem ei, qui de possessione vi dejectus est. Vel *Exhibitoria*, quibus jubet aliquid exhiberi, veluti Tabulas testamenti.

2. Vel sunt *Adipiscendæ Possessionis*, quam nondum habuimus: vel *Recuperandæ*, quam amisimus: vel *Retinendæ*, quam habemus.

3. Aut sunt *Simplicia*, in quibus distinctæ personæ sunt Actor & Reus: ut cum aliquis exhiberi, aut restitui postulat: aut sunt *Duplicia*, in quibus uterq; litigantium est Actor, uterq; Reus; & accidit in Interdicto Vti possidetis.

Hæ sunt generales Interdictorum divisiones: *Species* autem *specialissimæ* multæ sunt, veluti de Mortuo inferendo: Ne quid in loco publico vel sacro fiat: Quorum bonorum: Quod legatorum, &c.

Titulus 16.

De Pœna temere litigantium.

JVdicia partim sunt *Publica*, partim *Privata*. *In Privatis* spectatur officium utriusque Litigantis, officium Actoris, & officium Judicis.

Officium utriusq; Litigantis est, ne temere ad litigandum prosiliat; &, ne id faciat, partim pœna pecuniaria, partim jurejurando calumniæ, partim infamiæ nota coërcetur.

Officium Actoris est, ut imprimis Reum in jus vocet. Qua in parte cavere debet, ne Parentem, vel Patronum, vel Patronam, vel Parentes Liberosve Patroni seu Patronæ, sine permissu Prætoris, in jus vocet: alioqui vel 50. aureis mulctabitur, vel, si tantum non habeat in ære, luet in corpore.

Titu

Titulus 17.
De Officio Judicis.

Officium Judicis duplex eſt: Quorum alterum Actioni deſervit, & ſine ea non conſiſtit, veluti cum *uſuræ* ex mora, debentur in judicio bonæ fidei. Alterum per ſe conſiſtit, ut cum Judex, nemine accuſante, inquirit ex officio in homines facinoroſos. Doctores hoc appellant *Officium Nobile*: illud autem, *Officium Mercenarium*; de quo ſolo in hoc tit. tractatur.

Titulus 18.
De Publicis Judiciis.

Judicia Publica ſunt, quæ certis legibus ſunt conſtituta, de Criminibus, quorum perſecutio cuivis è populo competit.

Quod autem eſt in judiciis privatis *Actio*, id in publicis eſt *Accuſatio*.

Publica Judicia dividuntur in Capitalia, & non Capitalia.

Capitalia dicuntur, quæ capitis pœnam irrogant, ideſt, quorum pœna caput eximit de civitate Romana; quod quidem fit, morte naturali, vel civili. *Civilis* autem *mors*, eſt maxima vel media capitis diminutio.

Non Capitalia ſunt, quæ infamiam irrogant, cum damno pecuniario, vel coërcitione corporis; ut Relegatio, Ictus fuſtium.

Secundum hæc, Accuſatio quoque dividitur in Capitalem, & non Capitalem.

Publicorum Criminum & Accuſationum ſpecies ſunt:

1. *Legis Juliæ Majestatis*, adversus eos, qui contra Principem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt.

2. *Legis Juliæ, de Adulteriis*, & Stupro.

3. *Legis Corneliæ de Sicariis*, latæ a Cornelio Sylla Dictatore.

4. *Legis Pompejæ de Parricidiis.*

5. *Legis Corneliæ de Falsis*, latæ a Cornelio Sylla Dictatore.

6. *Legis Juliæ de Vi*, latæ ab Augusto.

7. *Legis Juliæ Peculatus*, latæ ab eodem Augusto contra eos, qui pecuniam publicam intercipiunt, ve quocunque modo contaminant. Quo pertinet etiam *Sacrilegium.*


8. *Legis Fabiæ de Plagiariis*, adversus eos, qui liberos homines, vel servos alienos, πλαγίως, id est dolose intercipiunt.

9. *Legis Juliæ de Ambitu*, adversus eos, qui illicit modo, ut, data pecunia, honorem vel magistratum ambiunt.

10. *Legis Juliæ Repetundarum*, contra eos, qui cu officio publico fungerentur, aliquid acceperunt, qu magis, vel quo minus officium facerent.

11. *Legis Juliæ de Annona*, contra eos, qui, ann nam flagellant, id est, aliquid faciunt, quo carior annona.

12. *Legis Juliæ de Residuis*, contra eos, qui, c pecunias publicas tractarint, reliquatores sunt.



EXPLICATIO RVBRICARVM DIGESTORVM.



DIGESTORVM LIBRI.

PRÆFATIO.

D*Igeſtorum* nomen, Juſtinianus his, qui ſequuntur, Juris Civilis Libris impoſuit, imitatione Juliani, Celſi, Scævolæ, aliorumque, qui ſuos de eodem Jure Commentarios ſimili appellatione deſignarunt. Is ipſe tamen, alio nomine *Pandectam*, ſive *Pandectas* eos quoque vocavit, ut ſignificaret, illos omni ſcientiarum & prudentiæ genere refertos eſſe.

Collectores Digeſtorum, ſequuti fere ſunt ordinem *Edicti Perpetui*, quod Salvius Julianus, temporibus Hadriani Imp. ex variis Edictis Perpetuis, e quibus Prætores ius, quod aliàs aſſidue variabant, Lege Cornelia conſtanter dicere juſſi ſunt, in ordinem digeſſit, & cui Hadrianus, ac Senatus, autoritatem commodarunt.

Juſtinianus ipſe *dividit Digeſta* in VII. partes. Ex his *Prima*, continet τὰ πρῶτα, ſive Juris & Judiciorum prima initia, libris 4. *Secunda*, Judicia Realia libris 7. complectitur. *Tertia*, tradit Judicia Perſonalia, libris 8. *Quarta*, ea, quæ prioribus accedunt, ut Emtionem, Venditionem, & his affinia Pignora, Ædilitium Edictum, Evictiones, Vſuras &c. libris 8. perſequitur. *Quinta*, ultimas voluntates libris 9. pertractat. *Sexta*, complectitur materiam Bonorum poſſeſſionis, Legitimarum hereditatum, Nunciationum novi operis, Vectigalium, Donationum, Liberalis cauſæ,

Acquiſitionis dominii, Poſſeſſionis, Vſucapionis, Judicati, Confeſſi, Interdictorum, Præſcriptioniſq; libris 8. *Vltima* materiam Stipulationum, Solutionum, Criminum, Pœnarum, Appellationum, Diverſarum cognitionum, item Significationes verborum, & Regulas Juris, libris 6. exponit. Eſt alia recepta partitio hujus Operis in *partes tres*, nimirum in Digeſtum *Vetus*, *Infortiatum*, & *Novum*: etſi de ratione harum appellationum nihil liquet. Huc aliqui evadunt conjectura ſua, nempe, prout moris eſt, Leges denotare primis verbis, ita & a prima Rubrica, ſive Titulo, viſum fuiſſe toti Volumini nomen indere. Scilicet, cum tertium Volumen incipiat, *De Novi operis nunciatione*, hinc *Digeſtum Novum* nomen accepiſſe, & ſimul quoque *Digeſtum Vetus* ex vi correlativorum, cum Novum, aliud Vetus ex neceſſitate ſupponat, nuncupatum eſſe, evadit veriſimile. *Infortiatum*, voce barbara fortaſſe a Græco φόρτος ſeu φορτίον, quibus vocibus *onus* innuitur, ſic dictum, eo quod illi a titulo, *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur*, initium: onus enim eſt, dotem reddere.

Novellarum Volumine contenta, iis *derogant*, quæ habentur in Codice. Codex derogat Digeſtis & Inſtitutis: Inſtituta, derogant Digeſtis, cum ſint poſteriora compoſitione.

Digeſta, deſignari ſolent per literam D majuſculam, aut Græcorum Pi cum circumflexo, hac ratione, Π͂. Vulgo quoque allegantur per ſextam literam duplicatam, ff, quod, vel per errorem ſic irrepſit, quia ff. refert ſpeciem τῦ Π cum circumflexo, vel commoditatis cauſa factum eſt, ut uno tractu ſcribatur.

Pri-

Primitus Digeſta tempore *Lotharii Saxonis*, in expeditione ſecunda adverſus Rogerium Siculum, inventa ſunt, anno 1138. Inde acceperunt Piſani, navatæ operæ monumentum, quod Innocentium II. & Lotharium Cæſarem, claſſe adverſus Rogerium juviſſent. Poſtea Florentini, Piſis anno 1406. per Ginum Caponium in poteſtatem redactis, in ſuam urbem Librum tranſtulerunt, ubi in hanc usque diem ſumma ſolicitudine cuſtoditur.

Juſtinianus *in Conſtit. de Conceptione Digeſtorum* §. *nos vero.* Juris Studioſis *quinquennium* definivit, ad audiendum Profeſſores, & perlegendum libros Juris. Ante ſtatutum erat quadriennium, nec, niſi qui probaſſet, tantum temporis ſe Juris ſtudio vacaſſe, admittebatur in numerum Advocatorum.

DIGESTORVM
LIBER I.
Titulus I.
De Juſtitia & Jure.

JUriſprudentia, eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti & injuſti ſcientia. Sive, eſt habitus intellectus, quo quis cognoſcit res divinas & humanas, quatenus in iis verſatur juſtum & injuſtum; nempe, ut illud amplectamur, hoc vero ſolicite fugiamus,

Juſtitia, eſt habitus, quo inclinamur cum conſtantia & firmitate, jus ſuum cuique, quod jure & legibus debetur, tribuendi. Atque eſt hæc definitio *Juſtitiæ Particularis*, quæ indicat qualitatem ordinantem homines circa ea, quæ tendunt ad bonum alterius ſingularis perſonæ.

Juris vocabulum varie usurpatur. Interdum notat *legitimam facultatem*, aut potestatem, quam quis ad aliquid habet; uti cum quis dicitur jure suo uti. Interdum denotat *Sententiam*; qua ratione judex, cum sententiam dixit, etiamsi iniqua ea fuerit, tamen ju reddidisse dicitur, relatione facta ad id, quod facer illum æquum erat. Amplius accipitur pro *Loco*, i quo jus redditur; quo sensu dicimus aliquem in ju vocari. Denique usurpatur etiam pro *Lege*, itemqu pro eo, quod justum est æquumque.

Jus triplex est: Naturale, Gentium, & Civile.

Jus Naturæ est, quod Natura omnia animalia do cuit. Dum vero dicitur, jus hoc homini cum brut commune esse, *non id formaliter* accipiendum, quo rationem juris & legis, sed *materialiter*, quoad ope quæ sub tale jus cadunt, & quæ homo cum brutis h bet communia. Quando igitur quæ homines ju & ductu rationis faciunt, eadem bruta quoque na ræ instinctu peragunt, tum ista dicuntur ab homi bus jure naturali fieri.

Dupliciter aliquid est Juris Naturæ. Primo *P tive*, quando lex naturalis aliquid præcipit, dict ratione naturali, per se spectata, aliquid esse nece rium ad morum honestatem. Idem est, si quid hibeat. Secundo, *Permissive*, seu *Negative*, aut *cessive*, quando Jus Naturale nec præcipit Actum prohibet, sed permittit tantum: cujus generis Libertas, Rerum Communio, & similia; quæ relicta humani arbitrii dispositioni, pro exig commoditatis.

Jus Gentium est, quo gentes humanæ utuntur: a eo id vulgo distinguunt a Naturali, quod illud, o bus animalibus, hoc, solis hominibus inter se sit

mune, constitutum ex naturali ratione. Ad Jus Gentium igitur duo requiruntur: Puta, ut ratio illud suaserit, &, ut sit receptum omnium gentium consensione.

Jus Civile est, quod cujusque civitatis populus proprium sibi constituit.

Titulus 2.

De Origine Juris Civilis, & omnium Magistratuum, & successione Jurisprudentium.

O*Rigo Juris Romani*, commode explicatur secundum *triplicem* ejus Reipublicæ statum. *Sub Regibus*, primum nulla lex certa erat, postea tamen quædam, Regiæ & Curiatæ dictæ, introductæ sunt.

Regibus exactis, Status novus Reip. coortus est. Hujus ætatis Juris, Epochæ tres sunt. 1. *Juris incerti*, quando, per 70. annos, Populus magis consuetudine, quam lata lege, utebatur. 2. Epocha est conditarum *XII. Tabularum*. Nam A. V. 300. creati *Decemviri Legum condendarum causa*. Ex his, tres Athenas missi, ut jura cognoscerent Græcorum. Iis post biennium reversis, conditæ leges, & 10. eboreis tabulis inscriptæ, quibus sequenti anno, duæ tabulæ adjectæ, legesque æri fuere incisæ. In Epocha 3. *post fundatam Legibus Rempublicam*, validum juris incrementum accessit, cujus 7. Fontes. 1. Interpretatio Prudentum, & Disputatio Fori. 2. Legis Actiones. 3. Leges Novæ ab universo Populo latæ. 4. Plebiscita, quæ lege Hortensia, post ultimam Plebis secessionem, pro legibus observata. 5. Senatus Consulta. 6. Edicta Magistratuum, & maxime Prætorum. 7. JCtorum Responsa.

Intro-

Introducto iterum A. V. 700. Statu Monarchic
potestas legum condendarum ad *Principes* delata,
plurimæ ab iis editæ sunt Constitutiones. Jussu ite
Hadriani, *Edictum Perpetuum* a Salviano JCto fuit
dinatum.

In Statu Monarchico, tres temporum intercap
dines observandæ. 1. *Gentilium* Imperatorum,
Augusto, ad Constantini usque initia. Ex illoru
Cæsarum Constitutionibus, eas, quæ ab Hadriano
sequentibus, ad Valerianum & Gallienum usque la
sunt, collegit *Gregorius* JC. & porro succedentiu
usque ad Constantinum, *Hermogenes*. 2. Intercap
do est *Principum Christianorum*, a Constantino
usque ad Theodosium juniorem. Horum, suasc
Constitutiones, *Theodosius* iste *junior* in unum C
dicem collegit. 3. Intercapedo est Imperatoru
qui deinceps sequuti, ad *Justinianum* usque.

Justinianus, usus opera *Triboniani*, A. C. 528.
tribus antiquis Codicibus, additisque secutorum I
peratorum, suisque, ad id tempus, Constitutionib
Codicem composuit, quem ex se *Justinianeum* app
lavit. Mox, ex Veterum JCtorum libris, *Pandect*
seu *Digesta*, componi jussit, & 50. *Decisiones*,
dictas, quod veterum JCtorum controversias, de
ris aliquo articulo, memorent, & mox decida
quæque Codici hinc inde insertæ sunt, ita ut vix v
agnoscantur, promulgavit. Denique *Institutio*
edidit. Priore quoque Codice abolito, novum
dicem Repetitæ Prælectionis evulgavit. Postren
post hunc Codicem, varias pro re nata emisit *No*
las Constitutiones, sive τὰ Νεαρά, idque Græco
mone. Novellarum prima versio, quæ ante Acc
sium edita est, & cujus Autor ignoratur, etsi quic

Bulgaro, alii Pileo, alii aliis eam assignant, *Authentica* fuit appellata. Cum Novellis cohærent *Edicta* 13. Justiniani, non ad certum hominem, aut populum scripta, sed, in genere promulgata. Seculo XII. *Irnerius*, Codici, *Authenticas*, tanquam Breviaria Novellarum inseruit.

Post Justinianum, Gothis, Vandalis, Longobardis, Italiam, & alias Imperii Occidentalis Regiones invadentibus, juris Romani autoritas valde ibi imminuta fuit. Quin & sensim in Oriente quoq; obsolevit, recedente paulatim Linguæ Latinæ usu, & Novellis subinde insecutorum Principum Constitutionibus accedentibus, insuper in novas formas opere Justiniani redacto. Sic *Theophilus* quidam, proxime post Justinianum, Institutionum Paraphrasin composuit. *Basilius Macedo* Imp. cum filiis *Constantino*, & *Leone Philosopho* A. 870. πρόχειρον νομικὸν edidit. Successit *Nomocanon* a Photio Patriarcha A. 880. compositus. Maxime vero per *Basilicorum libros* 60. libri Justinianei omnes commixti. Id opus, a *Basilio Macedone* cœptum, *Leo VI*. filius Macedonis perfecit, & postea *Constantinus Porphyrogeneta*, filius Leonis, revidit, ac in lucem emisit. Hos libros, præter 19. qui desiderantur, Græce edidit & Latine novissime vertit Carolus Annibal Fabrotus.

Seculo XII. revixit juris Justinianei autoritas in Italia, commendatione *Irnerii*, & hortatu ac jussu *Comitissæ Mathildis*, fuitq; Bononiæ Schola publica instituta. Sequenti Seculo XIII. in *Galliam* & *Hispaniam* hæc jura penetrarunt, & successu temporis in *Germaniam* quoque translata, quia tum Scholæ Publicæ, ad exemplum Italicarum, in his regionibus condebantur, accersitis ex Italia Doctoribus.

Titu-

Oratio Principis est, quæ in Senatu recitabatur, in ejus sententiam SConsultum fieret.

Titulus 5.

De Statu Hominum.

STatus, tria complectitur, Libertatem, Civitate Familiam.

Servorum una est conditio; Liberorum homin quidam sunt Ingenui, quidam Libertini.

Libertinorum divisionem in *Cives Romanos*, *La nos*, & *Dedititios*, Justinianus sustulit, omnesq; Libe nos, Cives Romanos, & adeo Nov. 78. ingenuos fe salvo tamen in manumissos Jure Patronatus.

Respectu Civitatis, alii sunt Cives Romani, Peregrini.

Respectu Familiæ, quidam sunt in eadem familia Agnati; quidam in diversis familiis, ut Cognati, tranei.

Titulus 6.

De His, qui sui vel alieni Juris sunt.

PErsonæ aliæ sunt sui Juris, aliæ, Juri alieno subje *Sui Juris* sunt Paterfamilias & Materfami etiamsi sint impuberes. *Qui alieno Juri subjiciun* sunt vel in Potestate Dominica, vel Patria.

In Potestate Dominica sunt Servi, quorum su ctio Jure Gentium introducta fuit, & consistit v Coërcitione, vel in Acquisitione. *Coërcitio* oli ad jus vitæ & necis extendebat; quæ severitas pos dum ex constitutione Antonini mitigata est, ut n interficere domino servum sine causa legibu s co ta, liceret, sub pœna interficientis servum alie neque asperitatem majorem exercere, sub pœn

cessariæ venditionis, & castigationis severæ. Ad *Acquisitionem* Servi quod attinet, quicquid is acquirebat, id penitus Domino acquirebat.

In potestate patria sunt Liberi, qui ex justis nuptiis suscipiuntur; per eamque pater liberis legitimis, qui sunt in familia, imperat quoad res & personas eorum, ad communem familiæ utilitatem.

Titulus 7.

De Adoptionibus, & Emancipationibus, & aliis modis, quibus Jus Patriæ Potestatis solvitur.

ADoptio, est legitima liberi hominis in filium assumtio; cui occasionem dedit liberorum orbitas. Suntq; duæ ejus species: Adoptio specifica, & Arrogatio.

Adoptio specifica, est liberi hominis, qui potestati alterius subest, autoritate Magistratus, in filium assumtio. *Arrogatio*, est liberi hominis, qui sui juris est, autoritate Principis in filium assumptio. Ad Adoptionem sufficiebat Magistratus consensus, quia in ea pater filium, quem in potestate habet, adoptandum dat, qui præsumitur, eidem optime prospectum velle. At in Arrogatione, cum de statu Civis Romani agatur, super eo non nisi Populo auctore, aut Principe, in quem Populus jus suum transtulit, erat statuendum. Vtrique speciei hoc olim commune fuit, quod subjiceret potestati adoptantis, & concederet jura agnationis, non tantum quoad liberos adoptantis, sed & fratres, patruos, cæterosq; ab eodem avo & proavo descendentes, non requisito eorum consensu: ita poscente nominis & sacrorum conservandorum cu-

 jusq;

jusq; familiæ ratione. Nec ex ea re Agnatis præj
dicium creabatur, quibus, si nollent bona sua ad a
optivos transire, salvum erat remedium exclusion
Erat vero differentia inter Adoptatum & Arrogatu
quod hic, cum bonis omnibus & liberis transibat
potestatem arrogantis, ille vero solus, sine liberis
se natis.

Patria Potestas solvitur 1. *Emancipatione*, cu
pater coram competente judice filium e potestate d
mittit. Ea olim requirebat certas solemnitates, ac in
trinam venditionem. 2. *Morte naturali*, sive eju
qui in potestate est, sive ejus, qui in potestate hab
Sublato enim subjecto, tolluntur etiam jura ei coha
rentia. 3. *Morte civili*, quæ, salva vita, adimit v
libertatem, uti servitus, & damnatio in metallun
vel civitatem, ejusque jura, ut deportatio. 4. *Patr
ciatu filii*, quem, sub Imperatoribus, habere cœperu
Principum Consiliarii, quos sibi tanquam Patres el
gerant, ut indignum esset, eos censeri alieni jur
5. *Captivitate*, sive patris, sive filii, quia per eam d
sinit quis esse Civis Romanus, & est incapax Juriu
Romanorum active & passive. 6. *Datione in a
optionem*, quia nemo in plurium potestate esse sim
potest. 7. *Præscriptione*, si pater patiatur filiu
agere tanquam hominem sui juris.

Titulus 8.

De Rerum Divisione & Qualitate.

POst Jus Personarum, sequitur *Jus Rerum*, quod
facultas moralis, circa Res aliquid agendi. N
tam vero spectant Jureconsulti rerum substantiam a
qualitatem intrinsecam & naturalem, quam jus cir
rem, sive quod Cives in rebus habent.

R

Res 1. ſunt vel Divini, vel Humani juris.

Divini juris ſunt res Sacræ, Religioſæ, & Sanctæ, quæ in nullius exiſtunt bonis. Atque *Sacræ Res* dicuntur, quæ olim per Pontifices, vel Principes, qui Pontificatu quoque fungebantur, fuere ſacratæ; uti Ædes ſacræ, & earundem utenſilia. *Res Religioſæ* dicuntur, quæ mortui illatione, animo ſepeliendi facta, commercio hominum ſunt exemtæ. *Res Sanctæ* dicuntur, quæ ſanctione aliqua munitæ ſunt; ut valla, leges, portæ, & muri civitatum, quos hoſtili animo tranſcendere capitale eſt.

Res Humani juris, iterum ſunt vel Publici, vel Privati juris.

Publici juris eſſe dicuntur Res Communes, Publicæ, & Vniverſitatis.

Communes Res ſunt, quarum proprietas eſt nullius, uſus vero omnibus patet: ut Aër; Aqua profluens, quatenus præſtat uſum bibendi & lavandi; Mare; Litora maris; & Feræ beſtiæ. *Publicæ Res* ſunt, quarum proprietas eſt certi alicujus populi, uſus vero omnibus ex illo populo communis. Tales ſunt Flumina, quatenus recipiunt uſum navigandi & piſcandi; item Portus, & Ripæ. *Vniverſitatis Res* ſunt, quarum proprietas eſt certæ alicujus Vniverſitatis, aut Collegii, uſus vero ſingulis ex illa Vniverſitate communis manet; uti Theatra, Balnea, Porticus.

Res 2. ſunt vel Corporales, vel Incorporales.

Corporales Res ſunt, quæ ſua natura tangi poſſunt, ut Homo, Equus. Non tamen neceſſe eſt, ut ipſo actu tangantur, ſed ſufficit, ita comparatas eſſe, ut tangi poſſint; multæ enim res ſunt in profundo maris, aut terræ viſceribus, quas nemo unquam tetigit. Atque hæ Res Corporales iterum ſunt vel Mobiles,

vel Immobiles. *Incorporales Res* ſunt, quæ ſua na-
tura tangi nequeunt.

Titulus 9.
De Senatoribus.

SEnatores vocantur, quicunque Romæ in Sena
ſententiam dicere poterant.

Fuerunt *Romæ tres Ordines*, Senatorius, Equeſtr
Plebejus; ſecundum illud:

Martia Roma triplex: Equitatu, Plebe, Senatu

Senatus aut erat *Legitimus*, qui ſtatis diebus hal
batur; aut *Edictus*, ſive *Indictus*, qui ob negotia in
dentia extra ordinem indicebatur.

Senatores Majorum Gentium dicti, qui a Romu
Minorum Gentium, qui a Tarquinio Priſco conſtit
fuerunt.

Secundum Plutarchum, Senatores ab initio tant
Patres dicti ſunt, poſtea, pluribus in eundem ordin
adſcriptis, *Patres Conſcripti* appellari cœperunt.

Senatores Pedarii appellabantur, qui ſententian
Senatu verbis non dicebant, ſed, in alienam ſent
tiam pedibus ibant. Aut, qui non ſella curuli ve
bantur, ſed pedibus ibant in Curiam.

Senatorum alii ſunt *Conſulares*, alii *Præfectorii*,
Quæſtorii &c. qui ſcilicet Conſulatu, Præfectu
Quæſtura &c. functi ſunt. Nam, poſt Magiſtr
geſtos, fere in Senatum legi ſolebant.

Tres ſunt *Senatorum Ordines*, in primo ſunt I
ſtres, in ſecundo Spectabiles, in tertio Clariſſimi.

Titulus 10.
De Officio Conſulis.

COnſules, ex eo dicti, quod plurimum Reip
conſulerent. Exactis Regibus, Conſules

creati, annuam potestatem habentes. Penes hos initio summum fuit jus, & par cum Regibus potestas. Sed, lege deinde lata, cautum est, ut ab eis *provocatio* esset, neve possent in caput Civis Romani animadvertere, injussu Populi; solumq; relictum illis est, ut coërcere possent, & in vincula publica duci juberent. Consulum potestatem imminuerunt *Tribuni Plebis*, ideo creati, ut Plebi adversus Consules opem ferrent. Tandem eo res recidit, Græcorum Imperatorum tempore, ut fere nomen inane Consulum fuerit.

Titulus 11.
De Officio Præfecti Prætorio.

PRæfectus *Prætorio*, Consuli dignitate proximus, potestate superior erat. Veteres, secundum Asconium, *Prætorem* dixerunt omnem Magistratum, cui pareret exercitus; & *Prætorium*, tabernaculum ejus. Inde, Aula Principis Prætorium dicta est; &, Præfecti Prætorio, qui Aulæ præerant. Hi erant in Comitatu Principis; Præsides Provinciarum illorum censuræ subditi fuere, judicabantq; vice Imperatoris. Ab iis non appellare, sed intra biennium supplicare licebat.

Titulus 12.
De Officio Præfecti Vrbi.

PRæfecto *Vrbi* Vrbs commendata fuit, & quicquid intra, vel extra Vrbem, *intra centesimum milliare*, committebatur, ad ejus notionem pertinebat: nec solum de criminibus, sed etiam causis pecuniariis cognoscebat.

Titulus 13.
De Officio Quæstoris.

QVæstores pecunias publicas curabant; quorum alii in *Vrbe Ærario* præerant, alii *Provincias* sortiebantur.

bantur. Quidam etiam *Epistolis Principalibus* Senatu legendis vacabant.

Titulus 14.

De Officio Prætoris.

PRætores plurimi fuerunt: præcipua tamen potest erat penes *Prætorem Vrbanum*, qui inter Civ Romanos, ac *Peregrinum*, qui inter Peregrinos, v inter Cives Romanos & Peregrinos, jura reddeba Illorum autoritas quanta fuerit, ex *Edictis* appare sed ea imminuta est, postquam ex *Edicto Perpetu* quod Salvius Julianus sub Imperatore Adriano com posuit, jus dici cœptum est. Prætores habebant no jurisdictionem tantum voluntariam, sed & conten tiosam; de Criminibus tamen non cognoscebant.

Titulus 15.

De Officio Præfecti Vigilum.

PRæfectus Vigilum, cohortibus Vigilum præerat odioso nomine *Nycteparchus* dictus; unde Justi nianus constituit, ut *Præfectus Plebis* vocaretur. I noctu, pro Magistratu fungebatur, curabat, ne quo incendium oriretur. Servos ultimo supplicio afficer poterat, liberos homines non item.

Titulus 16.

De Officio Proconsulis & Legati.

PRovincias, quæ, stante libera Republica, in *Consu- lares* & *Prætorias* dividebantur, Augustus aliter divisit; alias namque *Senatui P. Q. R.* concessit, alias, & quidem validiores, ipse suscepit. In illas mitte- bantur *Proconsules*, qui Consularem potestatem & Insignia Consularia habebant, hoc excepto, quod non

12: fa-

12. fascibus, ut Consules, sed 6. tantum utebantur. Accipiebant unum vel plures *Legatos*, quibus jurisdictionem suam mandabant. In Provincias, quas sibi reservavit Imperator, *Præsides* missi, qui & *Legati Cæsaris* dicti.

Titulus 17.
De Officio Præfecti Augustalis.

QVi *Ægypto* ab Imperatore præficiebatur, speciali nomine *Præfectus Ægypti*, aut *Præfectus Augustalis* dictus est, sive, quia ab Augusto constitutus, sive, quia præerat Prætorio Augustali in Ægypto.

Titulus 18.
De Officio Præsidis.

PRæsidis nomen generale est, quo omnes, qui Provincias regunt, appellantur. Sed *proprie* Præses dicitur Legatus Cæsaris, cui Princeps aliquam e suis Provinciis regendam committit. Jus habet gladii, sed non alterius supplicii capitalis.

Titulus 19.
De Officio Procuratoris Cæsaris, vel Rationalis.

QVi *Causis Fiscalibus* in Vrbe præest, Præfectus Ærario dicitur, qui vero in Provinciis, Procurator Cæsaris, Curator divinæ Domus, aut Rationalis.

Titulus 20.
De Officio Juridici Alexandriæ.

CVm in aliis Provinciis Præsides, aut eorum Legati, jus redderent, aut judices darent, *Alexandriæ*, ne omnino Ægyptus in potestate Præfecti esset, unus, qui jus diceret, ab ipso Cæsare constituebatur, qui *Juridicus* dictus fuit.

Introducto iterum A. V. 700. Statu Monarchic potestas legum condendarum ad *Principes* delata, plurimæ ab iis editæ sunt Constitutiones. Jussu it Hadriani, *Edictum Perpetuum* a Salviano JCto fuit dinatum.

In Statu Monarchico, tres temporum intercap dines observandæ. 1. *Gentilium* Imperatorum, Augusto, ad Constantini usque initia. Ex illor Cæsarum Constitutionibus, eas, quæ ab Hadriano sequentibus, ad Valerianum & Gallienum usque l sunt, collegit *Gregorius* JC. & porro succedentiu usque ad Constantinum, *Hermogenes*. 2. Interca do est *Principum Christianorum*, a Constantino usque ad Theodosium juniorem. Horum, suas Constitutiones, *Theodosius* iste *junior* in unum C dicem collegit. 3. Intercapedo est Imperatoru qui deinceps sequuti, ad *Justinianum* usque.

Justinianus, usus opera *Triboniani*, A. C. 528. tribus antiquis Codicibus, additisque secutorum I peratorum, suisque, ad id tempus, Constitutionib *Codicem* composuit, quem ex se *Justinianeum* ap lavit. Mox, ex Veterum JCtorum libris, *Pandec seu Digesta*, componi jussit, & 50. *Decisiones*, dictas, quod veterum JCtorum controversias, de ris aliquo articulo, memorent, & mox decida quæque Codici hinc inde insertæ sunt, ita ut vix agnoscantur, promulgavit. Denique *Institutio* edidit. Priore quoque Codice abolito, novum *dicem Repetitæ Prælectionis* evulgavit. Postren post hunc Codicem, varias pro re nata emisit *No las Constitutiones, sive τὰ Νεαρά*, idque Græco mone. Novellarum prima versio, quæ ante Acc sium edita est, & cujus Autor ignoratur, etsi quic

I

Bulgaro, alii Pileo, alii aliis eam assignant, *Authentica* fuit appellata. Cum Novellis cohærent *Edicta* 13. Justiniani, non ad certum hominem, aut populum scripta, sed, in genere promulgata. Seculo XII. *Irnerius*, Codici, *Authenticas*, tanquam Breviaria Novellarum inseruit.

Post Justinianum, Gothis, Vandalis, Longobardis, Italiam, & alias Imperii Occidentalis Regiones invadentibus, juris Romani autoritas valde ibi imminuta fuit. Quin & sensim in Oriente quoq; obsolevit, recedente paulatim Linguæ Latinæ usu, & Novellis subinde insecutorum Principum Constitutionibus accedentibus, insuper in novas formas opere Justiniani redacto. Sic *Theophilus* quidam, proxime post Justinianum, Institutionum Paraphrasin composuit. *Basilius Macedo* Imp. cum filiis *Constantino*, & *Leone Philosopho* A. 870. πρόχειρον νομικὸν edidit. Successit *Nomocanon* a Photio Patriarcha A. 880. compositus. Maxime vero per *Basilicorum libros* 60. libri Justinianei omnes commixti. Id opus, a *Basilio Macedone* cœptum, *Leo VI.* filius Macedonis perfecit, & postea *Constantinus Porphyrogeneta*, filius Leonis, revidit, ac in lucem emisit. Hos libros, præter 19. qui desiderantur, Græce edidit & Latine novissime vertit Carolus Annibal Fabrotus.

Seculo XII. revixit juris Justinianei autoritas in Italia, commendatione *Irnerii*, & hortatu ac jussu *Comitissæ Mathildis*, fuitq; Bononiæ Schola publica instituta. Sequenti Seculo XIII. in *Galliam* & *Hispaniam* hæc jura penetrarunt, & successu temporis in *Germaniam* quoque translata, quia tum Scholæ Publicæ, ad exemplum Italicarum, in his regionibus condebantur, accersitis ex Italia Doctoribus.

Titulus 3.

De Legibus & SCtis, & longa Consuetudine.

LEx quibusdam dicitur a *ligando*, quia obligat ad sui observantiam; Aliis, a *legendo*, quia legend& promulganda; Rursus aliis, ab *eligendo*, quia quic eligendum sit, ostendit.

Legis vocabulum accipitur 5. modis. 1. Pro quovis Jure, sive sit Naturale, sive ex Hominum institu to. 2. Pro Jure Positivo, quod Naturali opponitur 3. Pro Jure Scripto. 4. Pro Lege lata a Populo, sive Plebiscito. 5. Pro Lege XII. Tabularum.

Lex, proprie est jussum Superioris, ac proinde necesse est, ut ab eo feratur, *qui vim habet cogendi* eum cui præcipit; nec enim par in parem imperium exercet.

Justa lex est, quæ versatur circa materiam honestam, & ad bonum commune salutemq; publicam dirigitur. Ac potest *Lex malum permittens*, etiam justa dici, non quidem quoad materiam quæ pravitatem habet, sed quoad permissionem, quæ bona est, ut majora mala evitentur. Huc referunt tolerationem lupanarium; cædem uxoris marito permissam, cum eam in adulterio deprehendit; & exactionem usurarum; item, Divortiorum veniam in Republica Judaica.

Leges Civiles obligant etiam in conscientia, cum eas transgrediens videatur resistere Magistratui, cui resistentes, Apostolus ordinationi divinæ resistere asserit Augetur autem & minuitur peccatum, pro qualitate materiæ, & circumstantiarum, Legislatoris insuper fine & intentione.

Sena-

Senatusconsultum est, quod Senatus Romanus sine Plebis arbitrio constituit. Nam, quia Populum omnem difficile erat congregare, cura Reipubl. in Senatum translata est, atque frequenter a Consulis interrogantis nomine, Senatus decreta nomen accipiebant, ut SCtum Trebellianum, Vellejanum, & alia.

Consuetudo, est Jus, ex usu & frequentibus moribus ortum. Ad id ergo, ut justa sit Consuetudo, requiritur, inductam fuisse a communitate, non quavis, sed ea, quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsa, vel saltem sufficiens, ut lex ei imponi possit, cujusmodi est Civitas. Amplius requiritur, actuum publice notoriorum frequentia, & temporis (quam pleriq; decennio definiunt) diuturnitas.

Titulus 4.

De Constitutionibus Principum.

Constitutionum *Principum* aliæ sunt *Generales*, quæ vim legis habent; aliæ *Personales*, quæ, cum personam non egrediantur, non sunt proprie Leges, sed Privilegia. Constitutionum Species sunt: Epistola seu Rescriptum, Subscriptio, Decretum, Interlocutio, Edictum, Oratio.

Epistola seu *Rescriptum* est, quod Imperator consulentibus aut supplicantibus respondet.

Subscriptio est, cum Imperator præsens libello supplici sententiam suam subscribit.

Decretum, est sententia Imperatoris inter duas partes, de quarum jure ipse cognovit, lata.

Interlocutio, est sententia Principis de plano lata.

Edictum est, cum Imperator quid publice ac generaliter jubet, aut prohibet.

Ora-

Oratio Principis eſt, quæ in Senatu recitabatur, ut in ejus ſententiam SConſultum fieret.

Titulus 5.

De Statu Hominum.

STatus, tria complectitur, Libertatem, Civitatem, Familiam.

Servorum una eſt conditio; Liberorum hominum quidam ſunt Ingenui, quidam Libertini.

Libertinorum diviſionem in *Cives Romanos*, *Latinos*, & *Dedititios*, Juſtinianus ſuſtulit, omnesq; Libertinos, Cives Romanos, & adeo Nov. 78. ingenuos fecit; ſalvo tamen in manumiſſos Jure Patronatus.

Reſpectu Civitatis, alii ſunt Cives Romani, alii Peregrini.

Reſpectu Familiæ, quidam ſunt in eadem familia, ut Agnati; quidam in diverſis familiis, ut Cognati, Extranei.

Titulus 6.

De His, qui ſui vel alieni Juris ſunt.

PErſonæ aliæ ſunt ſui Juris, aliæ, Juri alieno ſubjectæ. *Sui Juris* ſunt Paterfamilias & Materfamilias, etiamſi ſint impuberes. *Qui alieno Juri ſubjiciuntur*, ſunt vel in Poteſtate Dominica, vel Patria.

In Poteſtate Dominica ſunt Servi, quorum ſubjectio Jure Gentium introducta fuit, & conſiſtit vel in Coërcitione, vel in Acquiſitione. *Coërcitio* olim ſe ad jus vitæ & necis extendebat; quæ ſeveritas poſtmodum ex conſtitutione Antonini mitigata eſt, ut neque interficere domino ſervum ſine cauſa legibus cognita, liceret, ſub pœna interficientis ſervum alienum, neque aſperitatem majorem exercere, ſub pœna ne

ceſſa

cessariæ venditionis, & castigationis severæ. Ad *Acquisitionem* Servi quod attinet, quicquid is acquirebat, id penitus Domino acquirebat.

In potestate patria sunt Liberi, qui ex justis nuptiis suscipiuntur; per eamque pater liberis legitimis, qui sunt in familia, imperat quoad res & personas eorum, ad communem familiæ utilitatem.

Titulus 7.

De Adoptionibus, & Emancipationibus, & aliis modis, quibus Jus Patriæ Potestatis solvitur.

ADoptio, est legitima liberi hominis in filium assumtio; cui occasionem dedit liberorum orbitas. Suntq; duæ ejus species: Adoptio specifica, & Arrogatio.

Adoptio specifica, est liberi hominis, qui potestati alterius subest, autoritate Magistratus, in filium assumtio. *Arrogatio*, est liberi hominis, qui sui juris est, autoritate Principis in filium assumptio. Ad Adoptionem sufficiebat Magistratus consensus, quia in ea pater filium, quem in potestate habet, adoptandum dat, qui præsumitur, eidem optime prospectum velle. At in Arrogatione, cum de statu Civis Romani agatur, super eo non nisi Populo auctore, aut Principe, in quem Populus jus suum transtulit, erat statuendum. Vtrique speciei hoc olim commune fuit, quod subjiceret potestati adoptantis, & concederet jura agnationis, non tantum quoad liberos adoptantis, sed & fratres, patruos, cæterosq; ab eodem avo & proavo descendentes, non requisito eorum consensu: ita poscente nominis & sacrorum conservandorum cu-

 jusq;

jusq; familiæ ratione. Nec ex ea re Agnatis præjudicium creabatur, quibus, si nollent bona sua ad adoptivos transire, salvum erat remedium exclusionis. Erat vero differentia inter Adoptatum & Arrogatum, quod hic, cum bonis omnibus & liberis transibat in potestatem arrogantis, ille vero solus, sine liberis ex se natis.

Patria Potestas solvitur 1. *Emancipatione*, cum pater coram competente judice filium e potestate dimittit. Ea olim requirebat certas solemnitates, ac in his trinam venditionem. 2. *Morte naturali*, sive ejus, qui in potestate est, sive ejus, qui in potestate habet. Sublato enim subjecto, tolluntur etiam jura ei cohærentia. 3. *Morte civili*, quæ, salva vita, adimit vel libertatem, uti servitus, & damnatio in metallum; vel civitatem, ejusque jura, ut deportatio. 4. *Patriciatu filii*, quem, sub Imperatoribus, habere cœperunt Principum Consiliarii, quos sibi tanquam Patres elegerant, ut indignum esset, eos censeri alieni juris. 5. *Captivitate*, sive patris, sive filii, quia per eam desinit quis esse Civis Romanus, & est incapax Jurium Romanorum active & passive. 6. *Datione in adoptionem*, quia nemo in plurium potestate esse simul potest. 7. *Præscriptione*, si pater patiatur filium agere tanquam hominem sui juris.

Titulus 8.

De Rerum Divisione & Qualitate.

POst Jus Personarum, sequitur *Jus Rerum*, quod est facultas moralis, circa Res aliquid agendi. Non tam vero spectant Jureconsulti rerum substantiam aut qualitatem intrinsecam & naturalem, quam jus circa rem, sive quod Cives in rebus habent.

Res

Res 1. ſunt vel Divini; vel Humani juris.

Divini juris ſunt res Sacræ, Religioſæ, & Sanctæ, quæ in nullius exiſtunt bonis. Atque *Sacræ Res* dicuntur, quæ olim per Pontifices, vel Principes, qui Pontificatu quoque fungebantur, fuere ſacratæ; uti Ædes ſacræ, & earundem utenſilia. *Res Religioſæ* dicuntur, quæ mortui illatione, animo ſepeliendi facta, commercio hominum ſunt exemtæ. *Res Sanctæ* dicuntur, quæ ſanctione aliqua munitæ ſunt; ut valla, leges, portæ, & muri civitatum, quos hoſtili animo tranſcendere capitale eſt.

Res Humani juris, iterum ſunt vel Publici, vel Privati juris.

Publici juris eſſe dicuntur Res Communes, Publicæ, & Vniverſitatis.

Communes Res ſunt, quarum proprietas eſt nullius, uſus vero omnibus patet: ut Aër; Aqua profluens, quatenus præſtat uſum bibendi & lavandi; Mare; Litora maris; & Feræ beſtiæ. *Publicæ Res* ſunt, quarum proprietas eſt certi alicujus populi, uſus vero omnibus ex illo populo communis. Tales ſunt Flumina, quatenus recipiunt uſum navigandi & piſcandi; item Portus, & Ripæ. *Vniverſitatis Res* ſunt, quarum proprietas eſt certæ alicujus Vniverſitatis, aut Collegii, uſus vero ſingulis ex illa Vniverſitate communis manet; uti Theatra, Balnea, Porticus.

Res 2. ſunt vel Corporales, vel Incorporales.

Corporales Res ſunt, quæ ſua natura tangi poſſunt, ut Homo, Equus. Non tamen neceſſe eſt, ut ipſo actu tangantur, ſed ſufficit, ita comparatas eſſe, ut tangi poſſint; multæ enim res ſunt in profundo maris, aut terræ viſceribus, quas nemo unquam tetigit. Atque hæ Res Corporales iterum ſunt vel Mobiles,

 vel

vel Immobiles. *Incorporales Res* ſunt, quæ ſua natura tangi nequeunt.

Titulus 9.
De Senatoribus.

SEnatores vocantur, quicunque Romæ in Senatu ſententiam dicere poterant.

Fuerunt *Romæ tres Ordines*, Senatorius, Equeſtris, Plebejus; ſecundum illud:

Martia Roma triplex: Equitatu, Plebe, Senatu.

Senatus aut erat *Legitimus*, qui ſtatis diebus habebatur; aut *Edictus*, ſive *Indictus*, qui ob negotia incidentia extra ordinem indicebatur.

Senatores Majorum Gentium dicti, qui a Romulo, *Minorum Gentium*, qui a Tarquinio Priſco conſtituti fuerunt.

Secundum Plutarchum, Senatores ab initio tantum *Patres* dicti ſunt, poſtea, pluribus in eundem ordinem adſcriptis, *Patres Conſcripti* appellari cœperunt.

Senatores Pedarii appellabantur, qui ſententiam in Senatu verbis non dicebant, ſed, in alienam ſententiam pedibus ibant. Aut, qui non ſella curuli vehebantur, ſed pedibus ibant in Curiam.

Senatorum alii ſunt *Conſulares*, alii *Præfectorii*, alii *Quæſtorii* &c. qui ſcilicet Conſulatu, Præfectura, Quæſtura &c. functi ſunt. Nam, poſt Magiſtratus geſtos, fere in Senatum legi ſolebant.

Tres ſunt *Senatorum Ordines*, in primo ſunt Illuſtres, in ſecundo Spectabiles, in tertio Clariſſimi.

Titulus 10.
De Officio Conſulis.

COnſules, ex eo dicti, quod plurimum Reipubl conſulerent. Exactis Regibus, Conſules duo crea-

creati, annuam poteſtatem habentes. Penes hos initio ſummum fuit jus, & par cum Regibus poteſtas. Sed, lege deinde lata, cautum eſt, ut ab eis *provocatio* eſſet, neve poſſent in caput Civis Romani animadvertere, injuſſu Populi; ſolumq; relictum illis eſt, ut coërcere poſſent, & in vincula publica duci juberent. Conſulum poteſtatem imminuerunt *Tribuni Plebis*, ideo creati, ut Plebi adverſus Conſules opem ferrent. Tandem eo res recidit, Græcorum Imperatorum tempore, ut fere nomen inane Conſulum fuerit.

Titulus 11.
De Officio Præfecti Prætorio.

PRæfectus *Prætorio*, Conſuli dignitate proximus, poteſtate ſuperior erat. Veteres, ſecundum Aſconium, *Prætorem* dixerunt omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus; & *Prætorium*, tabernaculum ejus. Inde, Aula Principis Prætorium dicta eſt; &, Præfecti Prætorio, qui Aulæ præerant. Hi erant in Comitatu Principis; Præſides Provinciarum illorum cenſuræ ſubditi fuere, judicabantq; vice Imperatoris. Ab iis non appellare, ſed intra biennium ſupplicare licebat.

Titulus 12.
De Officio Præfecti Vrbi.

PRæfecto *Vrbi* Vrbs commendata fuit, & quicquid intra, vel extra Vrbem, *intra centeſimum milliare*, committebatur, ad ejus notionem pertinebat: nec ſolum de criminibus, ſed etiam cauſis pecuniariis cognoſcebat.

Titulus 13.
De Officio Quæſtoris.

QVæſtores pecunias publicas curabant; quorum alii in *Vrbe Ærario* præerant, alii *Provincias* ſortiebantur.

bantur. Quidam etiam *Epiſtolis Principalibus* in Senatu legendis vacabant.

Titulus 14.
De Officio Prætoris.

PRætores plurimi fuerunt: præcipua tamen poteſtas erat penes *Prætorem Vrbanum*, qui inter Cives Romanos, ac *Peregrinum*, qui inter Peregrinos, vel inter Cives Romanos & Peregrinos, jura reddebat. Illorum autoritas quanta fuerit, ex *Edictis* apparet; ſed ea imminuta eſt, poſtquam ex *Edicto Perpetuo*, quod Salvius Julianus ſub Imperatore Adriano compoſuit, jus dici cœptum eſt. Prætores habebant non jurisdictionem tantum voluntariam, ſed & contentioſam; de Criminibus tamen non cognoſcebant.

Titulus 15.
De Officio Præfecti Vigilum.

PRæfectus *Vigilum*, cohortibus Vigilum præerat, odioſo nomine *Nycteparchus* dictus; unde Juſtinianus conſtituit, ut *Præfectus Plebis* vocaretur. Is noctu, pro Magiſtratu fungebatur, curabat, ne quod incendium oriretur. Servos ultimo ſupplicio afficere poterat, liberos homines non item.

Titulus 16.
De Officio Proconſulis & Legati.

PRovincias, quæ, ſtante libera Republica, in *Conſulares* & *Prætorias* dividebantur, Auguſtus aliter diviſit; alias namque *Senatui P. Q. R.* conceſſit, alias, & quidem validiores, ipſe ſuſcepit. In illas mittebantur *Proconſules*, qui Conſularem poteſtatem & Inſignia Conſularia habebant, hoc excepto, quod non

12. fascibus, ut Consules, sed 6. tantum utebantur. Accipiebant unum vel plures *Legatos*, quibus jurisdictionem suam mandabant. In Provincias, quas sibi reservavit Imperator, *Præsides* missi, qui & *Legati Cæsaris* dicti.

Titulus 17.

De Officio Præfecti Augustalis.

QVi *Ægypto* ab Imperatore præficiebatur, speciali nomine *Præfectus Ægypti*, aut *Præfectus Augustalis* dictus est, sive, quia ab Augusto constitutus, sive, quia præerat Prætorio Augustali in Ægypto.

Titulus 18.

De Officio Præsidis.

PRæsidis nomen generale est, quo omnes, qui Provincias regunt, appellantur. Sed *proprie* Præses dicitur Legatus Cæsaris, cui Princeps aliquam e suis Provinciis regendam committit. Jus habet gladii, sed non alterius supplicii capitalis.

Titulus 19.

De Officio Procuratoris Cæsaris, vel Rationalis.

QVi *Causis Fiscalibus* in Vrbe præest, Præfectus Ærario dicitur, qui vero in Provinciis, Procurator Cæsaris, Curator divinæ Domus, aut Rationalis.

Titulus 20.

De Officio Juridici Alexandriæ.

CVm in aliis Provinciis Præsides, aut eorum Legati, jus redderent, aut judices darent, *Alexandriæ*, ne omnino Ægyptus in potestate Præfecti esset, unus, qui jus diceret, ab ipso Cæsare constituebatur, qui *Juridicus* dictus fuit.

Titulus 21.

De Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio.

QVoniam Magistratus tam Vrbani, quam Provinciales, negotiis varie districti, ipsi, rebus omnibus vacare non possunt, ideo Jurisdictionem suam alteri mandare solent.

Mandari possunt, quæ jure Magistratus competunt, non quæ specialiter Lege, vel SCto, vel Principali Constitutione tributa sunt. Si enim fines privati mandati diligenter custodiendi sunt, & qui hoc expediendum suscepit, alteri delegare vices suas nequit, quanto religiosius, præscripto Legis Principisve est parendum. Vnde Merum Imperium & Jus Gladii, quod Lege dari solet, mandata Jurisdictione, non transit; transit tamen modica coërcitio, sine qua Jurisdictio nulla est. Mandatur autem vel *tota* Jurisdictio, vel ejus *pars*; atque, vel *alteri Magistratui*, vel *alicui Privato.*

Titulus 22.

De Officio Assessorum.

MAgistratibus, & iis, qui mandatam a Magistratibus Jurisdictionem suscipiunt, Consiliarii assidebant *Jurisperiti*, quorum consiliis & operis in exercenda jurisdictione uterentur, qui causas cognoscerent, postulationes litigantium audirent, decreta & interlocutiones facerent. Ex his, alii *publicum salarium e Fisco* percipiebant, qui in sua patria ultra 4. menses assidere non poterant, quod tamen iis concessum, qui publico salario non fruebantur.

DI-

DIGESTORVM
LIBER II.
Titulus I.
De Jurisdictione.

JVrisdictio, est Magistratus de causis notio, earundemque definitio, quam, ex ordinario officii sui jure, habet & exercet.

Jurisdictio alia *de plano*, alia *pro tribunali* tantum expediri potest. Item, alia est *Voluntaria*, quæ inter volentes locum habet, eaque expediuntur Emancipationes, Adoptiones, Manumissiones: alia *Contentiosa*, quæ in nolentes, imperii vi, exercetur.

Est quoque Jurisdictio alia *Criminalis*, alia *Civilis*. Quæ ad causas Criminales pertinet, *Merum Imperium* proprie dicitur; quæ in Civilibus causis consistit, *Imperium Mixtum*, aut *Jurisdictio*.

Merum Imperium, sive *Jus gladii*, est potestas animadvertendi in facinorosos homines gladio, vel alia coërcitione, uti Securi, Laqueo, Telo. Dicitur *Merum*, quia purum est, nec commixtum cum jurisdictione proprie dicta; uti merum Jus Gentium dicitur, quod est a Jure Civili sejunctum. Dicitur *Jus Gladii*, quia, ut Hasta jurisdictionis, ita Gladius, hujus imperii apud Romanos Insigne erat.

Mixtum Imperium, quod etiam *Non-merum* appellatur, est illud, cui jurisdictio inest, & modica coërcitio, sine qua jurisdictio expediri nequit.

Jurisdictio proprie dicta est, quæ in jure dicundo potius, quam in jubendo, consistit.

Jurisdictio eadem est, sive mandetur, sive non mandetur; nam mandata, ejus est, qui mandavit, non ejus, qui suscepit.

Titulus 2.

Quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.

EX Prætoris Edicto, is, qui Magiſtratum, poteſtatemque habet, ſi quid in aliquem *novi juris & cum effectu ſtatuit*, ipſe, quandocunque poſtulante adverſario, eodem jure uti debet; hoc eſt, Judex, quando abiit Magiſtratu, (nam quoad eum gerit, in jus vocari non poteſt) non modo illo, qui læſus eſt, ſed & quocunque, qui jure adverſus eum experitur, poſtulante, pati debet, ut idem jus adverſus ſe decernatur, quod ipſe adverſus alterum decrevit; nec in eam rem Actione aliqua ordinaria opus eſt, ſed officium judicis implorare ſufficit. Proinde vim ſuam exerit in Judicem lex, quam ipſe tulit, quæ, etſi per ſe iniqua ſit, tamen hactenus æqua evadit, quod illam in altero æquam judicaverat.

Aſſeſſoris imperitia, qui novum jus ſuggeſſit, non jus dicenti, ſed ipſi aſſeſſori nocere debet, ac, propter temere arrogatam ſibi juris poſſeſſionem, tenetur.

Porro, Is *qui apud eum, qui magiſtratum poteſtatemq; habebit, aliquid novi juris obtinuerit, poſtea, quandocunq; adverſario ejus poſtulante, idem adverſus eum decernetur*: ut habent verba Edicti. Hoc eſt, litigans, qui jus novum impetravit, eodem jure uti debet, non tantum poſtulante læſo, ſed & aliis quibuscunq;. Nempe, quod quis in alterius perſona æquum eſſe credidit, id in ſua quoq; perſona ut valeat, pati debet.

Titulus 3.

Si quis Jus dicenti non obtemperaverit.

QVi *Jus dicenti non obtemperat*, hoc eſt, non facit id, quod extremum eſt in jurisdictione, & ultra

quod

quod jus dicens non progreditur, solvere debet, *quanti hæc contumacia æstimatur*; &, cum meram hæc actio pœnam contineat, neque post annum, neque in heredem datur.

Titulus 4.

De in Jus vocando.

IN *Jus vocare*, est, ad eum, qui jurisdictioni præest, juris experiundi causa, vocare.

In Jus vocari non possunt Majores Magistratus. Quidam non nisi *permissu Prætoris* vocari possunt, ut Parentes, Patroni, Patronorum liberi, & cæteri, quibus talis reverentia debetur. Si quis secus fecerit, pœna 50. aureorum, aut, si tantum in ære non habeat, corporaliter plectitur.

Titulus 5.

Si quis in Jus vocatus non ierit: sive quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit.

IN *Jus vocatus*, ad eum venire debet, qui jurisdictioni præest, etiam cum dubitatur, an ejus sit jurisdictio. Prætoris enim est æstimare, an sua sit jurisdictio; vocati, non contemnere autoritatem Prætoris.

Si quis in Jus vocatus non ierit, a competenti judice mulctabitur. Excusatur 1. Qui ex Edicto in jus vocari non debuit. 2. Qui per rusticitatem non venit. 3. Qui eo non venit, quo vocari illum non debuisse certum est. 4. Qui frustra venisset: quia actoris non intererat, ut veniret, puta quia dies feriata erat.

Titu-

Titulus 6.

In jus vocati, ut eant, aut satis, vel cautum dent.

EXcusatur 5. qui *judicio sisti idonee satisdedit*, aut cavit. Itaque si is, qui in jus vocatur, forte sit occupatus, vel justa prætexat impedimenta, quo minus in præsentia venire possit, satisdationemque, judicio sisti certo aliquo commodoque die, offerat, erit dimittendus, adeo quidem, ut si non contentus fidejussore locuplete Actor, in jus porro trahere pergat, injuriarum teneatur.

Titulus 7.

Ne quis eum, qui in Jus vocabitur, vi eximat.

E*Ximere*, est quoquo modo facere, quo minus in jus vocatus veniat. Talis in id condemnatur, quanti ea res, de qua controversia est, ab Actore æstimatur.

Titulus 8.

Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suæ promissioni committantur.

QVia dictum, eum, qui in jus rapitur, si satisdare paratus sit, dimittendum esse, videndum nunc, Qui, & Quomodo satisdare cogantur.

Cautionis *tres* species sunt: Satisdatio, Juratoria cautio, Repromissio.

Satisdare, est adversario, pro eo, quod petit, ita cavere, ut eo nomine securus fiat. Satisdatio aut est *Voluntaria*, aut *Necessaria*; item, aut fit datis *Fidejusso-*

jussoribus, aut *Pignoribus*. Proprie tamen Satisdatio dicitur, quæ fit datis fideiussoribus; qualis etiam in cautione judicio sisti intelligenda.

Dandus est *fidejussor locuples*, hoc est, is, qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quam actor petit. Qui talem non accipit, injuriarum tenetur, tam ei, qui illum in jus duxit, quam fidejussori.

Inter *necessarias personas* Prætor qualemcunque fidejussorem, etiam non locupletem, accipere jubet, in renuentes 50. aureorum judicium dat.

Jurato promittunt nonnulli ob *Dignitatem*, ut Illustres & Senatorii; pleriq; ob *Necessitatem*, quia fidejussores idoneos invenire non possunt. Ne enim, per difficultatem inveniendi, differantur judicia, ideo jurijurando reus relinquitur, ut illud pro satisdatione præstet. Si tamen reus de fuga suspectus, aut peregrinus sit, non facile cautioni juratoriæ committitur, sed arrestari debet.

Repromissioni, hoc est, suæ, nudæque promissioni committuntur, qui res immobiles, in terrirorio, ubi litigatur, possident. Cum enim pro prædibus prædia sufficiant, quorum in possessionem mittatur Actor, si Reus in jus vocationem aspernetur, merito ab his alia cautio non est requirenda, puta in civilibus, sed sufficit nuda de sistendo promissio, interposita scilicet stipulatione.

Titulus 9.

Si ex Noxali Causa agatur, quemadmodum caveatur.

SI quis *Servum*, *de quo Noxalis Actio* est, judicio sisti promiserit, debet eum in eadem causa exhibere, in qua tunc est, donec judicium accipiatur. *In*

In eâdem causa sistere videtur, qui ad experiendum non facit actoris jus deterius.

Titulus 10.

De eo, per quem factum erit, quo minus quis in judicio sistat.

CAutione data, vitat quidem Reus necessitatem sequendi eum, qui in jus vocat, sed postea debet sicut promisit, judicio se sistere. Actor quoque adesse debet. *Ne vero quis iis impedimenta struat*, visum est Prætori, dolum ejus coërcere, qui impedit aliquem judicio sisti. Hæc Actio non solum ei competit, qui in jus vocaverat, si se impeditum fuisse dicat, sed & in jus vocato; daturque In factum, in id quod interest.

Titulus 11.

Si quis Cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperaverit.

S*I quis in judicio non stiterit*, sive *non in eadem causa stiterit*, stipulatio committitur adversus Reum, & fidejussores ab eo datos. Ex ea igitur stipulatione Actio competit, hoc est, aut certi condictio, si certa pœna promissa sit, aut incerti, in id quod interest, si pœna expressa non fuerit. Eliditur hæc actio, ipso jure, si principalis actio, transactione, morte, vel alio modo, sublata sit. Eliditur per Exceptionem, si Reus justam causam afferat, quare in judicio non stitit, veluti si adversam valetudinem, tempestatem, vim fluminis alleget.

Titu-

Titulus 12.

De Feriis, & Dilationibus, & Diversis Temporibus.

EXcusatur, qui *die feriato* in jus vocatus non ivit. *Feriæ*, sunt vacationes a forensibus negotiis. Dividuntur, in *Generales*, quæ ubique locorum observantur, & *Particulares*, quæ certo loco concluduntur. Item, in *Solemnes*, quæ ex ordine observantur, & *Repentinas*, quæ extra ordinem, ob res puta prosperas, indicuntur.

Solemnes, partim sunt *Divinæ*, quæ divini cultus causa observantur; partim *Humanæ*, ut Messium, & Vindemiarum.

Est quoque Excusatio, si quis in judicio non stitit, propter *Dilationem*.

Dilatio, est diei judicii diffusio atque prorogatio, qua pendente cognitio sustinetur, & officium judicis conquiescit. Dividitur in *Peremptoriam*, quæ perimit disceptationem, neque ultra patitur adversarium tergiversari: nam,ea comminatur judex, etiam absente diversa parte cogniturum se & pronunciaturum: & *Nonperemtoriam*, quæ disceptationem duntaxat profert, non perimit.

Amplius dividitur Dilatio, in Conventionalem, Judicialem, & Legalem. *Conventionalis* est, quæ fit ex consensu litigatorum. *Judicialis* est, cujus autor est judex, instante fortassis altero litigatorum. *Legalis* est, quæ fit a Lege, veluti propter ferias.

Dies Naturalis apud Romanos a media nocte incipiebat, & sequentis noctis media parte finiebatur.

Titu-

In eàdem causa sistere videtur, qui ad experiend
non facit actoris jus deterius.

Titulus 10.

De eo, per quem factum erit, quo mi quis in judicio sistat.

CAutione data, vitat quidem Reus necessitat quendi eum, qui in jus vocat, sed postea sicut promisit, judicio se sistere. Actor quoc esse debet. *Ne vero quis iis impedimenta stru* sum est Prætori, dolum ejus coërcere, qui i aliquem judicio sisti. Hæc Actio non solum petit, qui in jus vocaverat, si se impeditum f cat, sed & in jus vocato; daturque In factu quod interest.

Titulus 11.

Si quis Cautionibus in judicio sist factis non obtemperave

S*I quis in judicio non stiterit*, sive non *stiterit*, stipulatio committitur & fidejussores ab eo datos. Ex ea Actio competit, hoc est, aut pœna promissa sit, aut inc pœna expressa non fuer jure. si principalis act sit

nici ſui, in
ſt, expone-
linc quidam
am illi, *Do-*
i, *Oratores,*

dmitteretur,
ctum propo-
xus eſt: quoſ-
inores 17. an-
cum pro ſe po-
& Cæcis, & in-
ad Fœminas at-
eas virilibus offi-
alienæ cauſæ præ-
De Cæcis cauſa
nequeunt.
t perſonis
Liberis,
unt quoq;
mia juris

mia.
poſtulare non
qui notantur in-
In-

Titulus 13.

De Edendo.

VEl Actio editur, vel Instrumentum.

Editio Actionis, est futuræ litis demonstratio, ut is qui convenitur, sciat, utrum cedere, an contendere debeat: &, si contendendum putat, veniat instructu ad se defendendum, cognita actione, qua convenitur. *Editio Instrumenti* est, per quam scriptura in judici profertur, ut fides veri constare possit.

Instrumenta coguntur edere alii Edicto Prætoris, ali alia Actione Prætoria, alii Actione Civili, alii Offici Judicis.

Titulus 14.

De Pactis.

PActum, est duorum pluriumve in idem placitur nudus consensus atque conventio, de re aliqu danda vel facienda. *Differt a Contractu*, quod hi causam habet, quo pactum nudum destituitur. Tu vero Contractus illas tantummodo convention complectitur, in quibus obligatio inest mutua.

Edictum Prætoris de Pactis sic conceptum est: *Pa cta conventa, quæ neq; dolo malo, neq; adversus Le ges, Plebiscita, SCta, Edicta Principum, neq; qu fraus cui eorum fiat*, (h. e. quæ non in fraudem Le gis facta sunt) *facta erunt, servabo.*

Titulus 15.

De Transactionibus.

TRansactio, est conventio de re dubia, vel litigio qua illa terminatur, & finem accipit. *Fit* vel n do pacto, vel stipulatione. *Estq;* aut Pura, aut Co ditionalis, aut Judicialis, aut Extrajudicialis. &c.

D

DIGESTORVM LIBER III.

Titulus I.

De Postulando.

POstulare, est desiderium suum, vel amici sui, in jure, apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Hinc quidam pro se, quidam pro aliis postulant: quorum illi, *Domini litis*; hi, *Advocati*, *Patroni*, *Causidici*, *Oratores*, appellantur.

Ne quis sine delectu ad postulandum admitteretur, Prætor suæ dignitatis tuendæ causa, Edictum proposuit, quo *tres* hominum ordines complexus est: quosdam in *totum postulare prohibens*, uti Minores 17. annis, Furiosos, Surdos: Quibusdam *tantum pro se* postulare permittens, uti Mulieribus, & Cæcis, & insigni infamia notatis. Nam, quod ad Fœminas attinet, remotum est a pudore sexus, eas virilibus officiis fungi; virile autem est officium, alienæ causæ præesse, intercedere, & patrocinari. De Cæcis causa est, quia revereri Magistratus dignitatem nequeunt.

Nonnullis, *pro se*, & *pro certis duntaxat personis* postulare, Prætor concedit, uti Parentibus, Liberis, Fratribus, Sororibus, Vxoribus, &c. Tales sunt quoq; omnes, non singulari, sed qualibet infamia juris notati.

Titulus 2.

De His, qui notantur Infamia.

QVia dictum, eos, qui Infames sunt, postulare non posse, ratio postulat, de his, qui notantur infamia, aliquid sigillatim exponere.

Titulus 13.
De Edendo.

VEl Actio editur, vel Instrumentum.

Editio Actionis, est futuræ litis demonstratio, ut is qui convenitur, sciat, utrum cedere, an contendere debeat: &, si contendendum putat, veniat instructu ad se defendendum, cognita actione, qua convenitu *Editio Instrumenti* est, per quam scriptura in judici profertur, ut fides veri constare possit.

Instrumenta coguntur edere alii Edicto Prætoris, a alia Actione Prætoria, alii Actione Civili, alii Offic Judicis.

Titulus 14.
De Pactis.

P*Actum*, est duorum pluriumve in idem placitu nudus consensus atque conventio, de re aliq danda vel facienda. *Differt a Contractu*, quod causam habet, quo pactum nudum destituitur. T vero Contractus illas tantummodo conventio complectitur, in quibus obligatio inest mutua.

Edictum Prætoris de Pactis sic conceptum est: *cta conventa, quæ neq; dolo malo, neq; adversus ges, Plebiscita, SCta, Edicta Principum, neq; fraus cui eorum fiat*, (h. e. quæ non in fraudem gis facta sunt) *facta erunt, servabo.*

Titulus 15.
De Transactionibus.

T*Ransactio*, est conventio de re dubia, vel litig qua illa terminatur, & finem accipit. *Fit* ve do pacto, vel stipulatione. *Estq;* aut Pura, aut C ditionalis, aut Judicialis, aut Extrajudicialis. &c.

DIGESTORVM LIBER III.

Titulus I.

De Postulando.

POstulare, est desiderium suum, vel amici sui, in jure, apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Hinc quidam pro se, quidam pro aliis postulant: quorum illi, *Domini litis*; hi, *Advocati, Patroni, Causidici, Oratores*, appellantur.

Ne quis sine delectu ad postulandum admitteretur, Prætor suæ dignitatis tuendæ causa, Edictum proposuit, quo *tres* hominum ordines complexus est: quosdam in *totum postulare prohibens*, uti Minores 17. annis, Furiosos, Surdos: Quibusdam *tantum pro se* postulare permittens, uti Mulieribus, & Cæcis, & insigni infamia notatis. Nam, quod ad Fœminas attinet, remotum est a pudore sexus, eas virilibus officiis fungi; virile autem est officium, alienæ causæ præesse, intercedere, & patrocinari. De Cæcis causa est, quia revereri Magistratus dignitatem nequeunt.

Nonnullis, *pro se, & pro certis duntaxat personis* postulare, Prætor concedit, uti Parentibus, Liberis, Fratribus, Sororibus, Vxoribus, &c. Tales sunt quoq; omnes, non singulari, sed qualibet infamia juris notati.

Titulus 2.

De His, qui notantur Infamia.

QVia dictum, eos, qui Infames sunt, postulare non posse, ratio postulat, de his, qui notantur infamia, aliquid sigillatim exponere.

Titulus 13.
De Edendo.

VEl Actio editur, vel Instrumentum.

Editio Actionis, est futuræ litis demonstratio, ut is qui convenitur, sciat, utrum cedere, an contendere debeat: &, si contendendum putat, veniat instructu ad se defendendum, cognita actione, qua conveniti *Editio Instrumenti* est, per quam scriptura in judici profertur, ut fides veri constare possit.

Instrumenta coguntur edere alii Edicto Prætoris, a alia Actione Prætoria, alii Actione Civili, alii Offic Judicis.

Titulus 14.
De Pactis.

PActum, est duorum pluriumve in idem placitu nudus consensus atque conventio, de re aliq danda vel facienda. *Differt a Contractu*, quod causam habet, quo pactum nudum destituitur. T vero Contractus illas tantummodo conventio complectitur, in quibus obligatio inest mutua.

Edictum Prætoris de Pactis sic conceptum est: *Eta conventa, quæ neq; dolo malo, neq; adversus ges, Plebiscita, SCta, Edicta Principum, neq; fraus cui eorum fiat*, (h. e. quæ non in fraudem gis facta sunt) *facta erunt, servabo.*

Titulus 15.
De Transactionibus.

TRansactio, est conventio de re dubia, vel litig qua illa terminatur, & finem accipit. *Fit* ve do pacto, vel stipulatione. *Estq;* aut Pura, aut C ditionalis, aut Judicialis, aut Extrajudicialis. &c.

DIGESTORVM LIBER III.

Titulus 1.
De Postulando.

POstulare, est desiderium suum, vel amici sui, in jure, apud eum, qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Hinc quidam pro se, quidam pro aliis postulant: quorum illi, *Domini litis*; hi, *Advocati*, *Patroni*, *Causidici*, *Oratores*, appellantur.

Ne quis sine delectu ad postulandum admitteretur, Prætor suæ dignitatis tuendæ causa, Edictum proposuit, quo *tres* hominum ordines complexus est: quosdam in *totum postulare prohibens*, uti Minores 17. annis, Furiosos, Surdos: Quibusdam *tantum pro se* postulare permittens, uti Mulieribus, & Cæcis, & insigni infamia notatis. Nam, quod ad Fœminas attinet, remotum est a pudore sexus, eas virilibus officiis fungi; virile autem est officium, alienæ causæ præesse, intercedere, & patrocinari. De Cæcis causa est, quia revereri Magistratus dignitatem nequeunt.

Nonnullis, *pro se*, & *pro certis duntaxat personis* postulare, Prætor concedit, uti Parentibus, Liberis, Fratribus, Sororibus, Vxoribus, &c. Tales sunt quoq; omnes, non singulari, sed qualibet infamia juris notati.

Titulus 2.
De His, qui notantur Infamia.

QVia dictum, eos, qui Infames sunt, postulare non posse, ratio postulat, de his, qui notantur infamia, aliquid sigillatim exponere.

Titulus 13.
De Edendo.

VEl Actio editur, vel Instrumentum.

Editio Actionis, est futuræ litis demonstratio, ut i qui convenitur, sciat, utrum cedere, an contendere d beat: &, si contendendum putat, veniat instructu ad se defendendum, cognita actione, qua convenitu *Editio Instrumenti* est, per quam scriptura in judic profertur, ut fides veri constare possit.

Instrumenta coguntur edere alii Edicto Prætoris, a alia Actione Prætoria, alii Actione Civili, alii Offic Judicis.

Titulus 14.
De Pactis.

P*Actum*, est duorum pluriumve in idem placitu nudus consensus atque conventio, de re alic danda vel facienda. *Differt a Contractu*, quod causam habet, quo pactum nudum destituitur. T vero Contractus illas tantummodo conventio complectitur, in quibus obligatio inest mutua.

Edictum Prætoris de Pactis sic conceptum est: *cta conventa, quæ neq; dolo malo, neq; adversus ges, Plebiscita, SCta, Edicta Principum, neq; fraus cui eorum fiat*, (h. e. quæ non in fraudem gis facta sunt) *facta erunt, servabo.*

Titulus 15.
De Transactionibus.

T*Ransactio*, est conventio de re dubia, vel litig qua illa terminatur, & finem accipit. *Fit* ve do pacto, vel stipulatione. *Estq;* aut Pura, aut C ditionalis, aut Judicialis, aut Extrajudicialis. &c.

DIGESTORVM LIBER III.

Titulus 1.

De Postulando.

POstulare, est desiderium suum, vel amici sui, in jure, apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Hinc quidam pro se, quidam pro aliis postulant: quorum illi, *Domini litis*; hi, *Advocati*, *Patroni*, *Causidici*, *Oratores*, appellantur.

Ne quis sine delectu ad postulandum admitteretur, Prætor suæ dignitatis tuendæ causa, Edictum proposuit, quo *tres* hominum ordines complexus est: quosdam in *totum postulare prohibens*, uti Minores 17. annis, Furiosos, Surdos: Quibusdam *tantum pro se* postulare permittens, uti Mulieribus, & Cæcis, & insigni infamia notatis. Nam, quod ad Fœminas attinet, remotum est a pudore sexus, eas virilibus officiis fungi; virile autem est officium, alienæ causæ præesse, intercedere, & patrocinari. De Cæcis causa est, quia revereri Magistratus dignitatem nequeunt.

Nonnullis, *pro se*, *& pro certis duntaxat personis* postulare, Prætor concedit, uti Parentibus, Liberis, Fratribus, Sororibus, Vxoribus, &c. Tales sunt quoq; omnes, non singulari, sed qualibet infamia juris notati.

Titulus 2.

De His, qui notantur Infamia.

QVia dictum, eos, qui Infames sunt, postulare non posse, ratio postulat, de his, qui notantur infamia, aliquid sigillatim exponere.

Infamia, eſt læſio exiſtimationis.

Exiſtimatio, eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus moribus comprobatus, qui, autoritate Legum, delicto aliquo, aut conſumitur, aut minuitur.

Infamia proprie dicitur, quæ eſt Juris: *Facti infamia* eſt, quæ non jure, ſed re tantum, & opinione hominum infamem facit, vel potius pudorem duntax apud bonos & honeſtos viros onerat.

Infamia Juris, partim Edicto Prætoris, partim Ju Civili, partim ſententia Judicis nocenti irrogatur, turpe aliquid commiſſum.

Titulus 3.

De Procuratoribus, & Defenſoribus.

ADvocati officium nobile eſt; idcirco Infames, ab omnibus dignitatibus arcentur, eo fungi queunt. *Procuratores* tamen fieri non prohibent quia illorum munus vile eſt, & abjectum.

Advocatus eſt, vel, qui conſilio ſuo adeſt Actori Reo, ac jus ſuggerit; vel, qui præſentiam ſuam am commodat. Erat enim quondam moris, in judi tam privatis, quam publicis, amicos omnes advo re, quorum autoritate moveri poſſe Judices putab tur. Reſpicit igitur Advocati munus præci *Perſonam*.

Procurator eſt, qui aliena negotia mandato mini adminiſtrat: nam, ſi mandato caret, eſt po negotiorum geſtor, qnam procurator. Reſpicit tur Procuratoris munus præcipue *Negotia*.

Procurator alius eſt *generalis*, omnium bonor alius *ſpecialis*, unius rei, ut Procurator ad lites, ad gotia extrajudicialia. Alius eſt Procurator *Actoris* vere Procurator; alius *Rei*, qui proprieDefenſor dic

Inter Dominum & Procuratorem, si *mandatum* intervenerit, nascitur Actio mandati; si *merces* constituta, Actio locati conducti; si *nec merces sit constituta, nec gratis procurator gerat*, sed tantum accepturus, quantum postea inter ipsum & dominum convenerit, Actio præscriptis verbis: si *domino ignorante* ad administrationem accesserit, Actio negotiorum gestorum competit.

Titulus 4.

Quod cujusque Vniversitatis nomine, vel contra eam agatur.

V*Niversitas*, est corpus ex distantibus personis, viventibus in civili societate. In uno igitur consistere non potest, sed, si ad unum recidat, placuit, jus omnium ab eo retineri, & stare nomen Vniversitatis.

Vniversitatum *varia sunt genera*, veluti Civium, Publicanorum, Pistorum &c.

Qui pro Vniversitate interveniunt, modo *Syndici*, modo *Defensores*, modo *Magistri Vniversitatis* vocantur.

Titulus 5.

De Negotiis gestis.

N*Egotiorum gestor*, est procurator sine mandato. De eo extat Prætoris Edictum: *Si quis negotia alterius, sive negotia, quæ cujusq;, cum is moreretur, fuerint, gesserit; judicium eo nomine dabo.* Ex hoc Edicto datur *Directa* actio domino, contra gestorem, ut rationem administrationis reddat. Datur *Contraria*, quæ gestori competit adversus dominum, ut dominus eum indemnem conservet, restituens, quicquid ei, ob negotia gesta abest, vel absuturum est.

Titulus 6.
De Calumniatoribus.

C*Alumniator in genere* est, qui per fraudem & fru-strationem aliquem lite vexat. *Speciatim* Ca-lumniator dicitur, qui pecuniam accepit, ut negotiu alicui faceret, vel non faceret. In hunc, *intra annu* in quadruplum, ejus pecuniæ, quam accepisse diceti *post annum*, in simplum actio competit.

DIGESTORVM
LIBER IV.

Titulus 1.
De in Integrum Restitutionibus.

R*Estituere*, est in pristinum statum, & condit-nem reducere.

Restituitur ergo in integrum is, quem Præto integrum pristinumque statum & conditionem, qua fuerat ante captionem, reponit.

Restitutio alia est ex Speciali Edicto, ut pro metum vel dolum; alia ex generali clausula. T buitur Restitutio, vel Extraordinaria Prætoris co tione, vel data Actione, ut, Quod metus causa.

Titulus 2.
Quod Metus causa gestum erit.

M Etus est causa in integrum restituendi; ait e Prætor: *Quod metus causa gestum erit, ra non habebo.*

Metus; est exspectatio mali: atque in hoc Ed non notat quemlibet timorem, sed alicujus ma mali; nec vani hominis, sed, qui merito in con

tiſſimum hominem cadit, illumque præſentem, non ejus inferendi ſuſpicionem.

Prætor metum paſſo dat Actionem & Exceptionem Quod metus cauſa. Qui igitur *vim fecit*, jubetur reſtituere, etiamſi ad alium res pervenerit. Is vero, *ad quem res pervenit*, tenetur eam reſtituere, etiamſi alius metum fecerit. Hæc Actio datur *intra annum* in quadruplum, *poſt annum*, in ſimplum. In quadruplo ſimplum eſt, ita, ut res reſtituatur, & pœna tripli ſit. Et, cum Actio Arbitraria ſit, pœnam vitabit *reus*, qui metum fecit, ſi ante ſententiam definitivam rem reſtituat.

Titulus 3.
De Dolo malo.

DOlus quoque Reſtitutionis cauſa eſt, cum quis, dolo malo adverſarii circumventus, in fraudem & damnum incidit; dicente Prætore: *Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur, judicium dabo.* Hæc Actio, olim intra annum utilem, hodie intra biennium continuum competit, poſt quod tempus, datur Actio in factum perpetua. Adverſus *Heredem* ejus, qui dolum commiſit, perpetuo datur Actio, non famoſa, ſed, quatenus ad eum pervenit. *Exitus hujus judicii* eſt, ut, niſi arbitrio Judicis fiat reſtitutio, ſequatur condemnatio, quanti ea res eſt, ſive quanti Actor in litem juraverit. Sed, officio Judicis, debet jusjurandum taxatione refrænari.

Titulus 4.
De Minoribus viginti quinq; annis.

PRætor, naturalem æquitatem ſecutus, *Tutelam Minorum 25. annis* ſuſcepit, ſciens, fragile eſſe & infir-

infirmum hujus ætatis consilium, & multorum in-
sidiis expositum. Quocirca sic edixit: *Quod cu[m]
minore quam viginti quinq; annis natu gestum esse d[i]-
cetur, uti quæq; res erit, animadvertam.*

Duæ circa Minorem sunt *restitutionis causæ*, vide-
licet, si minor sit ab alio circumventus, vel sua facil[i]-
tate deceptus, ac ætatis lubrico lapsus.

Cessat restitutio in iis, quæ fato contigerunt, in de-
lictis, &, cum Minor mandato alterius gessit.

Tempus in integrum restitutionis olim erat annu[s]
utilis, hodie est quadriennium continuum, quod tem-
pus currit post 25. annum completum. *Successo[r]
minoris* tantum temporis conceditur, quantum de-
functus mortis tempore habuit, nisi & successori mi-
nor ætas subveniat.

Titulus 5.
De Capite minutis.

QVarta restitutionis causa, est *Capitis diminuti[o].*
Nam, si debitor capite minuatur, Actio, quæ co[n]-
tra eum competebat, stricto jure extinguitur, s[ed]
Edicto Prætoris restituitur, edicentis: *Qui quæv[e]
posteaquam quid cum his actum, contractumve sit, c[a]-
pite deminuti, deminutæve esse dicentur, in eos easv[e]
perinde quasi id factum non sit, judicium dabo.*

Pertinet hoc Edictum, ad *Minimam capitis dim[i]-
nutionem*, nam, qui civitatem, aut etiam libertate[m]
amiserunt, conveniri non possunt. Item, in delict[is]
locum non habet. Hoc judicium, cum sit rei pe[r]-
secutorium, *perpetuum* est, ac in heredes, & hered[i]-
bus datur.

Titu[lus]

Titulus 6.

Ex quibus causis Majores viginti quinque annis in integrum restituuntur.

QVinta restituendi causa, est absentia, vel vincula, vel servitus, vel alia similis: ex quibus causis Prætor Majoribus, & contra Majores succurrit, ne hujusmodi casus iis obsint, vel prosint. Verba Edicti sunt: *Si cujus quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo malo, Reipublicæ causa, abesset: sive vinculis, servitute, hostiumq; potestate esset: sive cujus Actionis eorum, cui dies exisse dicetur, * item si quis quid usu suum fecisset, aut, quod non utendo amisit, consecutus: Actioneve, qua solutus ob id, quod dies ejus exierit, cum absens non defenderetur, sive vinculis esset, secumve agendi potestatem non faceret: aut cum eum invitum in jus vocare non liceret, neq; defenderetur, cumve Magistratus de ea re appellatus esset, sive cui pro Magistratu, sine dolo ipsius, Actio exempta esse dicetur: earum rerum Actionem intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit, * Item, si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam: quod ejus per Leges, Plebiscita, SCta, Edicta, Decreta Principum licebit.* Pollicitus igitur in his casibus est Prætor restitutionem *intra annum*, sed ex Justiniani constitutione, pro anno utili, est *quadriennium* continuum.

Titulus 7.

De Alienatione, judicii mutandi causa, facta.

SExta restitutionis causa, est *Alienatio judicii mutandi causa facta.* Hac adversus eum, qui dolo,

cum actionem in rem metueret, transtulit rem in duriorem vel potentiorem, quis in integrum restituitur, ac antiquus possessor, nisi restitutio fiat, condemnatur, quanti interfuit actoris, talem adversarium non habuisse. Hæc actio Heredi competit, non tamen in heredem, neq; post annum datur.

Titulus 8.

De Receptis, qui Arbitrium receperunt, ut sententiam dicant.

ARbitrorum duo sunt genera, *unum* ejusmodi, ut, sive æquum, sive iniquum statuant, mos gerendus sit, quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrium itum est: *alterum* ejusmodi, ut ad boni viri arbitratum pronunciatum redigi debeat, etiamsi nominatim certa persona sit comprehensa, cujus arbitratu fiat.

Arbitri ex compromisso, de recepto tenentur, id est, ideo tenentur sententiam dicere, quia arbitrium receperunt. Vt hoc arbitrium valeat, requiritur 1. ut pœna compromissa sit, nisi Arbitro pareatur; aut saltem sententiæ stari promissum sit; quo casu, nisi Arbitro pareatur, incerti, in id quod interest, actio competit. Requiritur 2. ut is, in quem compromissum est, arbitrium receperit.

Arbiter, si nolit sententiam dicere, a Prætore cogitur, nisi ex justa causa excusetur, quo minus sententiam dicere compellatur. Tales inter alias sunt, si Arbitrum infamaverint litigantes; si inimicitiæ capitales inter eum & litigatores oriantur; si ætas, valetudo, profectio urgens, munus aliquod Reip. post susceptum arbitrium obveniant.

Qua-

Qualem sententiam Arbiter dicat, ad Prætorem non pertinet; modo dicat, quid sibi videatur. *Dicit* autem *sententiam*, cum ea mente aliquid pronunciat, ut secundum id litigatores discedere a tota controversia velit.

Non debet Arbiter fines compromissi egredi, nec sententiam mutare. Ea, nisi quis stet, pœna ex stipulatione peti potest: aut, nisi pœna adjecta fuerit, datur Actio incerti, in id quod interest.

Ex Arbitri sententia, neque Actio, neq; Exceptio datur, nisi partes eam sententiam, vel consensu expresso, id est, subscriptione, vel consensu tacito, id est, decem dierum silentio, probaverint.

Titulus 9.

Nautæ, Capones, Stabularii, ut recepta restituant.

QVemadmodum Arbitri, ita & *Nautæ*, *Caupones*, & *Stabularii* de recepto tenentur: quia, cum nenecesse sit, plerunq; eorum fidem sequi, & res ipsorum custodiæ committere, nisi hoc statutum esset, occasio eis daretur, cum furibus, adversus illos, quos recipiunt, coëundi. Ait igitur Prætor: ***Nautæ, Caupones, Stabularii, quod cujusq; salvum fore receperint, nisi restituent, in eos judicium dabo.*** Sed vero ***Nautæ, Caupones, Stabularii*** dicuntur, qui Navem, Cauponam, Stabulum exercent.

Recipi res videntur, etiamsi non sint custodiæ expressim assignatæ, sed solum immissæ fuerint. Ipso enim facto, qui immittit, testatur, se suaque fidei custodiæque Exercitoris committere, & is silentio atq; exercitio quasi profitetur, se suamque navim aut di-

versorium idoneum esse, cui res tota credatur. Sed oportet, ut res, occasione negotii, quod Nautæ, Caupones, Stabularii exercent, non extra illud, accipiantur.

Nautæ ergo, Caupones, & Stabularii, custodiæ nomine tenentur, etiamsi dolo & culpa careant, nisi quid vi fatali aut majori contigerit; ac factum quoque vectorum aut viatorum præstant.

Hæc actio in factum est, &, cum rei persecutionem contineat, perpetuo, & tam heredi, quam contra heredem competit.

DIGESTORUM
LIBER V.
Titulus I.
De Judiciis: & ubi quisque agere, vel conveniri debeat.

JUdices Pedanei nullam jurisdictionem, sed tantum judicandi facultatem habent, adeo ut sententiam suam exequi non possint, sed eam executioni mandet Prætor, qui judicem dedit.

Litigaturus quondam non adibat statim Judicem, sed Prætorem. Is rem expediebat, sive cognitio major esset, quam ut Judici Pedaneo committi posset, veluti, de in Integrum restitutione: Sive manifestum esset jus actoris, ita ut Prætor illico jubeat reum solvere; Sive, manifesta esset actoris calumnia, ita ut Prætor ei actionem denegaret. Quod si res Judicis Pedanei notionem non superaret, ac dubia esset, Prætor judicem dabat, qui de causa cognosceret ac pronunciaret.

 Judi-

Judicium, est inter Actorem & Reum coram Judice controversia, quæ per hunc cognoscitur, & dirimitur. Sunt autem Judicia ideo constituta, ut sint legitimum & publicum unicuique præsidium, ne quis per semetipsum, sed per Judicem, jus suum repetat.

Judiciorum divisiones multæ sunt, & variæ.

Titulus 2.

De Inofficioso Testamento.

QVerela *Inofficiosi Testamenti*, proprie loquendo, neque est Actio, cum ea jus nostrum non persequamur; nec est Accusatio, cum non detur ad pœnam; sed est querela quædam, qua conquerimur de iniqua exheredatione, vel præteritione.

Datur Querela, contra quemcunq; heredem scriptum; contra eum, qui ex causa fideicommissi hereditatem tenet; contra heredis scripti heredem, itemq; contra Fiscum, qui heredis illius scripti bona, tanquam vacantia, occupavit. Datur, intra *quinquennium*, a die aditæ hereditatis computandum.

Si pro herede scripto judicatum fuerit, is, qui de inofficioso egit, si quid ei in testamento relictum fuerit, id amittit. *Si contra testamentum judicetur*, paterfamilias intestatus fit, & videtur non habuisse jus testandi. *Si plures sint heredes scripti*, quorum alii hoc judicio obtinent, alii succumbunt, paterfamilias pro parte fit testatus, pro parte intestatus.

Titulus 3.

De Hereditatis Petitione.

HEreditas accipitur vel pro *successione* in jus defuncti, per quam res hereditariæ acquiruntur; vel pro ipsis *rebus hereditariis*. Vtraque significatio de

de eo obtinet, qui hereditatem petit; nam & successionem sibi adjudicari, & consequenter res hereditarias sibi restitui postulat.

Titulus 4.

Si Pars Hereditatis petatur.

QVi *partem hereditatis petit*, quia ex parte heres institutus, non id consequitur, ut a communione discedatur, sed incumbit judici, ut partem pro indiviso restitui jubeat. Quanquam non principaliter hac Actione ad id agitur, ut bona restituantur: verum ad id, ut Actor heres declaretur, eique, ut heredi & domino, bona per consequentiam & accessionis vice restituantur.

Titulus 5.

De Possessoria Hereditatis Petitione.

POssessoria Hereditatis Petitio datur illis, quibus est Edicto Prætoris bonorum possessio concessa: eaq; non competit, uti Interdictum, ad solam bonorum possessionem, sed habet eundem effectum, quem Civilis petitio hereditatis.

Nimirum, post Civiles Actiones Heredibus propositas, Prætor etiam rationem eorum habet, quos ipse velut heredes facit, hoc est, quibus bonorum possessio data est. Iis igitur datur Possessoria hereditatis petitio, per quam tantundem consequuntur, quantum superioribus Civilibus Actionibus heres consequi potest.

Titulus 6.

De Fideicommissaria Hereditatis Petitione.

TRiplex *est hereditatis petitio*. 1. Civilis, vero heredi competens. 2. Prætoria, quæ datur bonorum

norum possessori. 3. Fideicommissaria, quæ datur, ex SCto Trebelliano, Fideicommissario universali, quasi heredi.

DIGESTORUM LIBER VI.

Titulus 1.

De Rei Vindicatione.

OMnis *Actio in Rem* appellatur Vindicatio. Sed alia est vindicatio dominii Rei corporalis, alia Servitutis, alia Possessionis.

Rei Vindicatio est, qua dominus rem suam ab alio possessam petit. Sive; Rei Vindicatio, est Actio Realis, qua quis petit, se dominum rei controversæ declarari, & eam officio Judicis a possessore sibi restitui.

Dicitur Rei Vindicatio, a *vindicando*, hoc est, liberando & asserendo de manu ac jure possessoris.

Titulus 2.

De Publiciana in Rem Actione.

EI, *qui rem usucapere cœpit*, necdum usucapionem absolvit, quasi usuceperit, contra quemcunque Possessorem, præterquam contra verum dominum, Prætor dat utilem in rem Actionem, quæ, ab auctore *Publicio*, vocatur *Publiciana*. Nempe, cum is, cui ex justa causa res aliqua a non domino tradita fuerat, ejusque rei, ante completam usucapionem, casu possessionem amisisset, nullam haberet in rem directam Actionem, ad eam persequendam, quippe ita proditæ erant Jure Civili Actiones, ut quis dominium suum vindicaret, durum vero videretur eo casu deficere Actio-

Actionem: inventa est a Publicio Prætore Actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, quam usu non cepit, & ita vindicat suam esse. Visum enim est, æquius fore, hunc colorem obtendi potius Actioni, quam pati, ut ejus defectu possessor bonæ fidei, amissa forte possessione, jus omne & facultatem rei recuperandæ amittat, & injustus possessor id omne lucretur: cum bona fides possidenti tantundem præstare soleat, quam veritas.

Titulus 3.

Si Ager vectigalis, id est Emphyteuticarius, petatur.

CIvitates, quæ agros steriles & incultos habebant, dabant eos colendos, & fruendos, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, pro certa pensione. Hi agri vocantur *Vectigales*, quia illa pensio, Civitati debita, vocatur vectigal: vocantur etiam *Emphyteuticarii*, παρὰ τὸ ἐμφυτεύειν, quod est inserere; quia potissimum arborum inserendarum causa ita colendi dabantur. Postea privati quoque homines ceperunt ita fundos suos fruendos dare. Cumque dubitaretur, num hic contractus esset Venditio, an Locatio, Zeno Imp. constituit, esse specialem Contractum. Ergo Emphyteutæ datur, quasi domino, Utilis in Rem contra quemcunque possessorem, atq; adeo contra ipsum dominum, Actio. Quamdiu enim vectigal pendit, tamdiu ne ipsis quidem dominis vel ab eo, vel ab iis, qui in locum illius successere, illos fundos ullatenus auferre licet.

DI-

DIGESTORVM LIBER VII.

Titulus 1.

De Vsufructu, & quemadmodum quis utatur & fruatur.

VSusfructus, est jus alienis rebus utendi, salva earum substantia. Est igitur Vsusfructus, separatum jus a proprietate, sive dominio rei: & quidem jus, hoc est, jure constituta facultas, utendi, fruendi. Vsusfructus multæ sunt proprietates. 1. Vsusfructus est res in Corpore, cujus tamen Vsus sine abusu esse potest: adeoque Corpore sublato, necesse est usumfructum tolli. 2. Vsufructuarius rem recte colere, & quasi bonus paterfamilias uti debet, ita ut causam proprietatis deteriorem non faciat. 3. Omnes fructus ad fructuarium pertinent, & omnia emolumenta, quæcunque ex fundo, aut ejus occasione, percipiuntur, non modo naturalia, sed etiam civilia, uti pensiones, usuræ, aliæque civiles obventiones. Hinc igitur differt Vsusfructus ab Vsu, quod Vsus non plus habet, quam quantum satis est quotidianis necessitatibus utentis: Vnde *usus esse*, pro, opus esse, Latinis dicitur. At *Fructus* comprehendit omne omnino commodum, non modo ad necessitatem, sed etiam ad lucrum, & voluptatem pertinens. 4. Fructuarius quædam onera sustinere debet, veluti modicam domus fructuariæ refectionem, & stipendium, vel tributum, quod ab ea re, cujus habet usumfructum, relictum est. 5. Non solum ipse fructuarius uti frui potest, sed etiam hoc jus in alium transferre, tanquam per alium

uta-

utatur, fruatur. Non tamen potest alium Vsufructuarium constituere; quia hoc jus est Personale.

Titulus 2.

De Vsufructu accrescendo.

JVs Accrescendi est, cum, duobus aut pluribus conjunctis, altero deficiente, alteri pars deficientis adjicitur, & accrescit.

Si pluribus idem usufructus legatus sit, deficientis portio non revertitur ad proprietatem, sed Collegatario accrescit. Debent autem Collegatarii, a lege vel homine ita connecti, ut pro uno habeantur, sive, ut conjunctim ususfructus legatus sit: Vti si quis dicat: Titio usumfructum fundi lego: Sejo ejusdem fundi usumfructum lego. Aut: Titio & Mævio usumfructum æquis partibus do lego. Atque in his casibus proprie locum habet jus accrescendi, ut, si alteruter moriatur, aut repudiet legatum, alteri pars ejus accrescat. At, si separatim unicuique partis rei alicujus ususfructus relinquatur, v. c. Mævio fundi Tusculani usumfructum pro dimidia parte do lego: alteram partem ususfructus Titio lego; jus accrescendi cessabit.

Titulus 3.

Quando Dies Vsusfructus legati cedat.

D*Ies Vsusfructus legati cedit*, ab adita hereditate etsi cæterorum legatorum dies cedit a morte testatoris. Quippe, Vsusfructus intelligi non potest nisi sit, qui eum constituat, quique frui patiatur, nempe Heres, qui nullus existit, ante aditam hereditatem Tum vero ratio, quamobrem ceterorum legatorum dies cedat a morte testatoris, hic cessat. Nempe in

hi

his ideo statim cedit, ut Legata, moriente ante aditam hereditatem Legatario, ad heredem ejus transmitti possint, neque fiant caduca: quod in Vsufructu locum habere non potest, cum is semper moriente Vsufructuario una extinguatur, & personæ ejus cohæreat.

Legati dies cedere dicitur, quando Legatum deberi incipit, ita ut ad heredes Legatarii transmittatur, si sit res, quæ transmitti possit.

Titulus 4.

Quibus modis Vsusfructus vel Vsus amittitur.

VSusfructus non potest perpetuo durare, & a proprietate sejunctus esse, ne proprietas sit inutilis, sed, certis modis extinguitur, & ad proprietatem revertitur. *Finitur* autem morte; & maxima vel media capitis diminutione Fructuarii; & non utendo per modum & tempus; & Consolidatione cum proprietate; & rei Interitu.

Titulus 5.

De Vsufructu earum Rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur.

V*Erus Vsusfructus* in iis rebus consistit, quæ usu non consumuntur, ut Fundo, Ædibus. *Quasi-usus-fructus* est in iis rebus, quæ usu consumuntur, ut Vinum, Oleum, Frumentum; vel, quasi consumuntur, ut, Pecunia numerata, quæ non proprie consumitur, sed, dum impenditur, assidua permutatione quasi consumitur. In iis autem rebus, quæ usu minuuntur, & paulatim atteruntur, ut Vestimenta, tam verus, quam quasi Vsusfructus constitui potest. Verum Vsumfructum habens, eo finito restituere debet, quod inde

extabit. Qui vero habet quasi usumfructum, rerum quæ usu consumuntur, is, aut eandem quantitatem, id est, rem ejusdem generis, aut æstimationem restituit.

Titulus 6.

Si Usfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.

VSusfructus, ut & cæterarum servitutum nomine, datur *duplex in Rem actio.* Confessoria, & Negatoria. *Confessoria*, datur Fructuario usumfructum vindicanti, non domino fundi; quia, qui proprietatem habet, usumfructum formalem non habet; nemini enim res sua servit. Hac igitur actione petitur usufructus formalis, non causalis. Datur hæc Actio tam adversus dominum, quam adversus extraneum quemlibet possessorem, qui non patitur Fructuarium uti frui. Dicitur Confessoria Actio, quia quis confitetur, & asserit, usumfructum sibi deberi. *Negatoria* datur Domino proprietatis, neganti, jus utendi fruendi adversario competere, proinde rei suæ libertatem asserenti.

Titulus 7.

De Operis Servorum.

SImilis usuifructui est *Operarum Servilium* legatio, aut inter vivos constitutio. Cum enim fructus hominis in operis consistat, consequens est, operis servorum legatis vel concessis, etiam usumfructum eorum effectu concessum intelligi. Cæterum, in hoc discrimen est, quod operæ, nec capitis diminutione, imo ne morte quidem ipsius, cui debentur, item, nec non utendo amittuntur. Quippe Operæ in actione homi-

hominis consistunt, neque sunt in rerum natura, priusquam præstantur. Quod autem non est, id neque capitis diminutione, nec morte, aut non utendo perire potest. Operæ igitur præstandæ erunt, donec is, a quo sunt edendæ, fuerit superstes. Nam, hujus tandem morte finiuntur.

Titulus 8.
De Vsu, & Habitatione.

V*Sus*, est servitus personalis, qua datum est jus alienis rebus utendi, in quantum necessitati personæ, secundum ejus conditionem & dignitatem, sufficit. *Convenit cum Vsufructu*, quod fere iisdem modis constituitur, & finitur. *Differt* 1. Quod Vsufructuarius omnes consequitur fructus; Vsuarius tantum eos, qui inserviunt necessitati quotidianæ. 2. Quod Vsufructuarius omnia potest aliis concedere gratis, vel accepto pretio; Vsuarius nec jus suum cedere, nec quid vendere potest, nisi nullus sit alius usus, quam per venditionem. 3. Vsufructuario potest pro parte jus constitui, non Vsuario, licet plures possint usum habere: unde Vsus, sicut & cæteræ servitutes, dicitur individuus; Vsusfructus dividuus.

Qui habet *Vsum Ædium*, eas una cum familia habitare, hospites ibi excipere, &, dummodo ipse inhabitet, recipere pensionem soluturos inquilinos potest.

Habitatio, est jus habitandi ædes alienas, jure servitutis. *Convenit cum Vsu*, quod iisdem modis constituitur, & quod in heredes non transfertur. *Differt*, quod plus in habitatione est, quam in usu. Nam, cui Habitatio relicta est, ædes alteri locare, quamvis ipse non inhabitet, potest. Item, quod Habitatio

tantum amittitur morte naturali, non civili, quodq; non perit non utendo.

Titulus 9.
Vſufructuarius quemadmodum caveat.

A Prætore proviſum eſt, ut Legatarius, vel is, cui alio modo conſtitutus eſt Vſusfructus aut Vſus, idoneam præſtet cautionem.

In *vero Vſufructu & Vſu duo ſunt membra cautionis. Unum* eſt, de utendo fruendo ad arbitrium boni viri, id eſt, utendo ita, ut viro bono convenit. *Alterum* eſt, de re uſufructuaria reſtituenda, finito uſufructu. *In Quaſi uſufructu* unicum eſt, de reſtituenda re in genere, ſive ejus æſtimatione, finito uſufructu. Hæ cautiones non ſunt de ſubſtantia, & *remitti poſſunt*, neceſſario tamen præſtandæ, quoties eas heres exigit.

DIGESTORVM
LIBER VIII.

Titulus 1.
De Servitutibus.

S*Ervitus Realis* eſt, qua res aliena noſtræ rei ſervit, hoc eſt, utilitatem præſtat: ſive, eſt jus, quo prædium alieno prædio ſervit. Eſt igitur Servitus, jus agendi, habendive aliquid in fundo alieno, ad ſui prædii utilitatem, quod jure communi cæteroqui agere aut habere non liceret. Dicitur *jus agendi habendive*, nam, ſi nec agatur, nec habeatur quippiam in fundo alieno, jam inutilis futura eſt Servitus. Dicitur, *in fundo*, quia ſine fundo hæc Servitus conſtitui, aut

eſſe

esse nequit, debetque fundus esse alienus; quia nemini res sua servit, sed jure dominii tenetur. Sunt proinde prædia duo: Unum, quod debet servitutem, cujusque dominus patitur aliquid in suo fundo fieri, aut non fieri; idq; prædium *Serviens* appellatur. Alteri prædio servitus debetur, idque *Dominans* vulgo dicitur.

Titulus 2.

De Servitutibus Prædiorum Vrbanorum.

Sicut aliud *Prædium est Vrbanum*, nempe ædificium, habitandi causa ubicunq; extructum; aliud *Rusticum*, id est, quodvis aliud prædium, ut Ager, Area, Stabulum ab ædificio separatum: ita Servitutum aliæ sunt Vrbanæ, aliæ Rusticæ, id est, urbanorum, vel rusticorum prædiorum.

Vrbana igitur *Servitus* est, qua urbanum vel rusticum prædium urbano prædio servit. Denominatio enim servitutum a potiore parte, id est, a prædio dominante desumenda, non a serviente, adeo ut talis sit servitus, quale est prædium dominans, cui servitus præstatur. Vrbanæ Servitutes sunt, jus immittendi stillicidii in tectum alienum, vel alienam aream: vel tecti projiciendi supra alienas ædes, vel supra alienam aream. Item Servitus altius non tollendi, cum, vicino nostro, contra naturalem libertatem, qua quisque in solo suo in infinitum, & ad cœlum usque, ædificare potest, imponimus necessitatem, ne ædes suas, ultra præscriptam aliquam, certamque & nobis utilem altitudinem, extollat. Huc pertinet Servitus Luminum, qua id acquisitum videtur, ne vicinus lumina nostra, hoc est fenestras, quibus cœli lumen hauritur, obstruat.

Titulus 3.

De Servitutibus Prædiorum Rusticorum.

R*ustica Servitus* est, qua rusticum vel urbanum prædium rustico prædio servit: ut, jus eundi ad nostrum fundum, per alienum fundum, vel, per alienas ædes. Rusticæ igitur Servitutes præcipue ad utilitatem fundi, fructusq; colligendos, sunt comparatæ; cujusmodi præcipuæ, magisq; necessariæ sunt, Iter, Actus, Via.

Titulus 4.

Communia Prædiorum, tam Vrbanorum, quam Rusticorum.

MVlta sunt utrique *Servitutum generi communia*, 1. Omnes Servitutes sunt *Incorporales*, idcirco neque proprie tradi possunt, sed usus, & domini patientia pro traditione habetur; neque per se possideri, sed, qui prædium possidet, etiam servitutem, quæ ei prædio præstatur, possidere intelligitur. 2. Omnes habent *Causam Continuam*, licet non omnes habeant possessionem continuam, id est usum continuum: nemo enim potest, v. c. continenter per fundum alienum ire, sed potest ire, quandocunq; vult, quia fundus semper servit. 3. Natura Servitutis non est, ut serviens aliquid faciat, sed, ut *patiatur*, puta, duci aquam ex fundo. Excipitur Servitus Oneris ferendi; quia dominus columnæ, vel parietis servientis, reficere columnam vel parietem tenetur, ut onus sustinere possit. 4. Omnes Servitutes sunt *individuæ*, & per partes acquiri nequeunt. 5. Tam inter vivos, quam in ultima voluntate *constitui* possunt. 6. Non possunt imponi *locis religiosis*. 7. *Pure* tantum constitui possunt, non ex die, nec

ad diem, nec ſub conditione. 8. Alienatum prædium ſequuntur.

Titulus 5.

Si Servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

COmmunes omnibus Servitutibus ſunt etiam Actiones, Confeſſoria, & Negatoria; quæ quidem ſunt in rem, non in perſonam.

Confeſſoria, datur domino prædii dominantis, qui ſervitutem ſibi competere contendit.

Negatoria, datur domino alterius prædii, quod ipſe negat ſervire, ſed, contendit eſſe liberum.

Titulus 6.

Quemadmodum Servitutes amittuntur.

COmmune Servitutibus omnibus eſt, *extingui* 1. *Confuſione*, id eſt, ſi idem utriusq; prædii dominus eſſe cœperit. 2. *Permiſſione* actus contrarii ſervituti: veluti, ſi, cum vicini ædes altius me invito tolli non poſſint, ego permittam, ut altius tollantur. 3. Rei interitu. 4. Si heres prædio, ſub conditione legato, ſervitutem impoſuerit, & legati conditio exiſtat. 5. Servitus ruſtica amittitur, non utendo per ſtatutum tempus. Statutum autem tempus eſt decennium; ſed hoc tempus duplicatur, & fiunt 20. anni, ſive is, cui ſervitus præſtatur, abſit, ſive talis ſit ſervitus, ut uſus ejus ſaltem alternis menſibus aut annis ſit interruptus. Servitus autem urbana non amittitur non utendo, niſi adverſarius libertatem uſucapiat. Hinc eſt, quod jus tigni immittendi in parietem vicini non amittitur non utendo, niſi dominus parietis ſervientis, foramen claudat, atque ita in poſ-

ſeſſionem libertatis ſe conſtituat, & libertatem uſucapiat.

DIGESTORUM LIBER IX.

Titulus 1.

Si Quadrupes Pauperiem feciſſe dicatur.

A*Ctio, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*, ſic dicitur, a primis verbis Edicti, quod quidem non amplius extat; ſic autem conceptum fuiſſe videtur: *Si Quadrupes pauperiem feciſſe dicetur, ei, cujus intererit, in eum, qui dominus erit, quo tempore de noxia quæretur, Actio eſto, ut vel noxæ quadrupedem dedat, vel noxiæ æſtimationem præſtet.* Competit ei, cui quadrupes aliena, non propter loci iniquitatem, vel nimium onus, vel alterius culpa, ſed ingenita ſibi feritate, præter naturam generis ſui, nocuit; ut quia equus calcitroſus calce percuſſit, & bos cornupeta cornu petiit: Competitq; adverſus dominum quadrupedis, ut vel damnum reſarciat, vel animal noxæ dedat.

Aliquando tamen non alternative, ſed in ſolidum Dominus convenitur, hoc eſt, non ut noxæ dedat, ſed ut æſtimationem damni ſolidam præſtet; idque propter inficiationem, ſi, in jure interrogatus, an ſua ſit quadrupes, falſo & per mendacium reſpondeat, ſuam non eſſe.

Titulus 2.

Ad Legem Aquiliam.

L*Ege Aquilia*, quæ proprie Plebiscitum erat, & quam Aquilius Tribunus Plebis rogavit, vindicatur

catui damnum, non jure rebus alienis ab homine aliquo illatum.

Non jure commissum dicitur, quod dolo, vel culpa, etiam levissima, committitur; si nimirum tale sit negotium, in quo levissima culpa præstari debet.

Legis Aquiliæ tria sunt capita: quorum primo de occiso alieno homine, tertio de vulnerato, aliisque rebus deterioratis cavetur. Secundum caput, nusquam extat, & jam olim in usu non fuit.

Ac *primo* quidem *capite* ita cautum est: *Qui Servum Servamve, alienum alienamve, Quadrupedem vel Pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs domino dare damnas esto; adversus inficiantem, in duplo actio est.* Servis igitur exæquantur Quadrupedes, quæ scilicet Pecudum numero sunt, & gregatim habentur, veluti Oves, Boves, Equi. Nam Canis, inter pecudes non est, quamvis domesticum sit animal, & multo minus feræ bestiæ, quia hæc animantia per greges non habentur, neque pascuntur. Condemnatur ex hoc capite Reus, quanti eo anno Servus aut Pecus plurimi fuit. Itaq; si artificioso Pictori, aut Scribæ, pollex fuerit præcisus, ac is intra annum, quo damnum hoc passus est, occidatur, in Actione Aquiliana eo pretio æstimabitur, quanti fuit, priusquam artem cum pollice amisisset.

Tertio capite, lex Aquilia ait: *Cæterarum rerum, præter Hominem & Pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quidve usserit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res fuit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas esto.* Venit in hanc Actionem, non quanti plurimi toto retrorsum anno, sed quanti in triginta diebus proximis res plurimi fuit;

nec enim tam graviter puniendus eſt qui læſit, quam qui occidit: neque tanti cædes æſtimanda eſt ferarum quadrupedum, quæ hoc capite vindicatur, quanti hominum vel pecudum, quorum uſus & commoditas major exiſtit.

Titulus 3.

De his, qui effuderint, vel dejecerint.

ACtio in factum datur adverſus eum, ex cujus habitatione aliquid ſolidum dejectum, vel liquidum effuſum eſt, quod alteri prætereunti nocuit. Nec intereſt, ſive is locus publicus, ſive privatus fuerit, dummodo per eum vulgo iter fiat. Semper enim ea loca, per quæ vulgo iter fieri ſolet, eandem ſecuritatem habere debent. Quare, ſi quis in ſecretum aut infrequentem locum dejecerit, aut effuderit, non debet hoc Edicto teneri; quod idem quoque de iis valet, qui noctu nocuere.

Datur Actio *in eum, qui inhabitavit*, non vero in dominum ædium. Culpa enim penes habitatorem eſt, vel quia dejecit, vel, quia ne ſui dejicerent, curam non habuit. Suorum enim unusquisque culpam præſtat.

Datur hæc Actio *in duplum* damni dati: atque ſic hæc pœna gravior eſt pœna legis Aquiliæ, niſi hæc inficiatione creſcat. Cauſa rei, ut pœnæ metu, itinera publica reddantur tutiora, quod, ut fiat, publice prodeſt. Atque iſtud quidem obtinet, ubi Res vel Corpus læſum eſt, quod æſtimationem recipit. Nam ſi liber homo dejectione periit, damni æſtimatio non fit in duplum, quia in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt. Quod autem æſtimationem non recipit, & in quo ſimplum conſtitui nequit, id

mul

multo minus duplicari poteſt: itaq; hoc caſu 50. Aureorum judicium dabitur. Quod ſi vivet, nocitumque ejus corpori fuerit, rurſus minime in duplum Actio erit: ut enim totum corpus, ita partes quoque ejus & membra, æſtimationem non recipiunt, ſed quanti Judici æquum eſſe videbitur, tanti judicium erit.

Titulus 4.
De Noxalibus Actionibus.

A*ctio Noxalis* eſt, quæ ex Servi aut Quadrupedis facto in Dominum redditur, ita, ut in arbitrio domini ſit, utrum æſtimationem ſeu pœnam ſolvere, an ſervum ſeu quadrupedem noxæ dedere malit.

Vt dominus beneficium noxæ dedendi habeat, duo requiruntur. *Vnum* eſt, ut neſciverit, aut ſaltem prohibere non potuerit, ne noxia committeretur. *Alterum* eſt, ne per mendacium neget, ſe habere ſervum in poteſtate,

Noxa caput ſequitur, adeo, ut actio noxalis contra eum detur, qui nunc, cum agitur, eſt dominus; non contra eum, qui tempore admiſſi delicti dominus erat, ac poſtea dominus eſſe deſiit. Quod ſi Servus, qui deliquit, manumittatur, in ipſum redditur Actio directa, quia per manumiſſionem incipit habere caput; quemadmodum e contrario, ſi homo liber, qui deliquit, in ſervitutem redigatur, Actio, quæ in eum directa erat, in dominum ejus reddetur noxalis. Noxales Actiones tantum locum habent *in privatis judiciis*, quæ damnum perſequuntur. Nam, ad publica maleficia, quibus & liberi homines, & ſervi ſontes, ad exemplum & vindictam, corporali ſupplicio afficiuntur, Noxales Actiones non pertinent.

Dicun-

Dicuntur Noxales Actiones, *adjectitiæ quædam qualitates*, & formulæ, ad alias principales appositæ, ut: Noxalis Actio Furti, Noxalis Aquilia, Noxalis Injuriarum.

DIGESTORUM
LIBER X.
Titulus I.
Finium Regundorum.

AD Agrorum distinctionem pertinet *Judicium Finium regundorum*: datur enim inter confines de finibus regundis, id est dirigendis.

Fines Agrorum sunt spatium quinque pedum, quod ex lege Manilia purum a cultura manere debet, ut illac iri sine alterius incommodo, agri colendi causa, & aratrum circumduci possit. Ergo, de hoc spatio est Quæstio Finalis, id est, de finibus agrorum, quæ per hoc judicium terminatur: ultra quinque pedes autem quæstio, Proprietatis est, ad rei vindicationem pertinens.

Judicium finium regundorum est *Mixtum*. Datur enim partim *in Personam*, ut reliqua judicia, in quibus de divisione agitur: idque vel ex maleficio, contra violantem terminos; vel ex negatione, adversus eum, qui alios limites præscribit, quam nos esse intendimus: partim *in Rem*, quandoquidem nostrum petimus, ut videlicet domino, vel potius agris, jus suum adjudicetur.

Finis hujus Actionis est, ut veteres termini officio Judicis restituantur: vel, si non apparent, dirigantur novi; & ut ejus, quod interest, &, post litem contestatam, fructuum ratio habeatur.

Judi-

Judicium hoc est Duplex: quia unusquisque & agentis, & ejus, quo cum agitur, partes sustinet; siquidem uterq; petit, & ab utroque petitur.

Titulus 2.
Familiæ erciscundæ.

F*Amilia* significat hereditatem, id est res hereditarias. *Erciscere*, est dividere.

Actio familiæ erciscundæ datur inter coheredes, de hereditate dividenda, id est, de corporibus hereditariis arbitrio Judicis dividendis, & indemnitate invicem præstanda, si cui forte ex parte alterius adjudicetur, vel aliquis heres solus fructus perceperit, aut damnum in rebus hereditariis dederit.

Quia materia communionis excitare solet discordias, & ideo invitum in communione detinere Lex vetat, necessarium videbatur, aliquam heredibus largiri Actionem, qua res, jure successionis communicatas, ad divisionem revocare, ad eamque divisionem faciendam, provocare coheredes possent. Huc autem tum demum perveniri solet, cum neque ex testatoris, neque ex heredum voluntate, res divisa est.

Titulus 3.
Communi Dividundo.

SIngulæ Res dividuntur *Judicio Communi Dividundo*, sive ex causa Societatis, sive sine societate communes sint. Accedunt autem *præstationes personales*, veluti, quia ex re communi aliquis fructus percepit, aut in ea damnum dedit, aut quia alicui aliquid ex parte socii adjudicatum est. Hæc igitur omnia, vel cumulatum in judicium veniunt, vel separate. Nam, de præ-

præstationibus agi potest, etiamsi res non petatur dividi; vel quod non placet a communione recedi, vel quia res communis esse desiit, aut extincta est.

Titulus 4.

Ad Exhibendum.

ACtio *ad Exhibendum*, est præparatoria Rei vindicationis, & aliarum actionum, qua actor desiderat, rem aliquam sibi exhiberi. *Exhibere*, est facere in publico potestatem rei, ut experiundi sit copia, adeoque est, præsentiam corporis facere. Quapropter Actio ad Exhibendum, nihil est aliud, quam Actio Personalis, in rem directa, qua petitur ut res exhibeatur, ejusque videndæ apprehendendæque Actori copia fiat.

Datur hæc Actio omnibus, qui in rem acturi sunt, qualicunque Actione, sive Pigneratitia, sive Vindicatione, sive Noxali, adeoque competit omnibus, quorum exhiberi interest. *Datur contra eos*, qui vel Civiliter vel Naturaliter possessioni incumbunt, adeoq; & Creditorem, qui pignori rem accipit, Depositarium, Commodatarium, Conductorem, aliosque omnes, qui exhibendi habent potestatem, sive possideant rei servandæ causa, sive ex causa ususfructus, vel simili, etiam eum, qui dolo malo desiit possidere.

Hæc actio est *Arbitraria*, cujus is effectus est, ut, nisi reus arbitrio Judicis rem exhibeat, in id condemnetur, quod Actoris interest. Oritur autem ex naturali æquitate; qua, detinens rem, adstrictus est, eam exhibere. Quidam perperam ex quasicontractu illam arcessunt.

DI-

DIGESTORVM LIBER XI.

Titulus I.

De Interrogationibus in Jure faciendis, & Interrogatoriis Actionibus.

CVm sæpe difficulter posset intelligi, ex qua parte, vel quo jure quis rem haberet vel possideret, introduxit Prætor *Interrogatorias Actiones*, quæ fundabantur in responsionibus Reorum ad propositas interrogationes. Qui igitur agere in Rem volebat, ut Adversarium sua confessione constringeret, & ex ejus confessione certam impetrare efficacemque posset Actionem, ejuscemodi Interrogationes, Vtrum possideret? &, an pro herede possideret Adversarius? atque alia id genus, ante judicium cœptum, in Jure, id est, apud Magistratum Populi Romani, proponebat.

His summarie cognitis, si ad instituendum judicium eas multum pertinere Prætor comperisset, Adversarium respondere jubebat: qui, si confitebatur, quod erat interrogatum, quasi ex confesso erat obligatus, atq; sic Actio fundabatur: si vero falso negabat, aut contumaciter in jure tacebat, eam mendacii vel contumaciæ ferebat pœnam; quod in solidum conveniebatur, condemnabaturque ex ea Actione, cujus respectu Interrogationes erant factæ. Verum, iis hodie non utimur, quia nemo cogitur ante judicium de suo jure respondere: proinde interrogationibus probationis tantum causa utimur, ut Adversarius sua confessione convincatur.

Titu-

Titulus 2.

De quibus Rebus ad eundem Judicem eatur.

FIt sæpe, *ut plures ad eundem Judicem ire jubeantur.* Nam, si plures Familiæ ercifcunndæ, vel communi dividundo, vel finium regundorum agant, omnes coram eodem judice litigare debent: Et, si ex pluribus tutoribus unus, eo quod cæteri tutores non sint solvendo, tutelæ judicio conveniatur, eo postulante, omnes ad eundem judicem mittuntur. Nec enim continentia causæ dividi debet.

Titulus 3.

De Servo corrupto.

QVi *alienum Servum receperit*, dolove malo corruperit, quanti ea res est, in duplum judicium datur. *Recipere*, est refugium, abscondendi causa, servo præstare: *Corrumpere* vero, est persuadere. *Persuadet* is, qui ad delinquendum inducit, vel delinquentem laudat.

Titulus 4.

De Fugitivis.

QVi *Servum fugitivum celavit*, furti tenetur, & ex Constitutionibus, si privati hominis servum occultavit, eum cum alio simili, vel 20. solidis restituit si *secundo* eum suscepit, illum cum duobus aliis, ve 40. aureis reddit; si *tertio* eum celavit, cum tribu aliis, vel 60. aureis domino ipsum repræsentat. *Si ser vum fiscalem occultavit*, non solum hunc restituit, se etiam 12. libris argenti, Fisco inferendis, mulctatur.

Inve

Investiganti Servum, literæ a Magistratu dantur, & Apparitor adjungitur, ut libere possit ingredi, & inquirere, ac cubilia occultantium scrutari; pœna imminente illis, qui inquirerere non permittunt.

Titulus 5.
De Aleatoribus.

ALea, est fortunæ lusus, uti chartis, vel talis. *Pœna suscipientis Aleatores* est, ut ubicunque & quandocunque injuria vel damnum impune ei detur: *ob furtum* autem ei factum, Actio tam in rem, quam in personam, tum denegetur, si domi lusus tempore hoc passus sit. *Pœna compellentis ludere*, est arbitraria. Præterea, *qui Aleæ ludo victus est*, solvere non cogitur, imo si solvat, repetere potest: &, eo non repetente, quivis alius potest repetere, præsertim Pater, vel Defensor civitatis, ut in opera civitatis id expendat.

Titulus 6.
Si Mensor falsum modum dixerit.

CVm intersit publice, ne quis fallatur in rei mensurandæ renunciatione, proposita est Actio Prætoria in personam, *adversus mensorem*, qui falsum modum sive mensuram dixit. Datur ei, cujus interest, falsum modum non dici, sive is Emtor sit, sive Venditor, in id quod interest, si quid minus acceperit, aut amplius dederit. Qui falsam mensuram dixerunt, si plures sint, adversus singulos in solidum datur Actio; sed, ut unius satisfactione alter liberetur.

Hæc Actio adversus Mensorem Agrorum proprie intenditur, qui falsum modum mensuramve renunciavit, sive unum, sive plures; atque huc pertinent ver-

ba Edicti. Latius tamen id porrexit Prætor, atque, si maxime alterius rei mensuram falsam Mensor renunciasse dicetur, hæc Actio, & quidem Directa, competit.

Titulus 7.

De Religiosis, & sumtibus Funerum, & ut Funus ducere liceat.

S*I quis mortuum intulerit*, quo jus inferendi non habuit, tenetur Actione in factum Prætoria pecuniaria. Nam, qui in locum alienum intulit, aut tollere, quod intulit, aut loci pretium præstare cogitur. Qui in locum publicis usibus destinatum intulit, si dolo malo intulit, extra ordinem modica coërcitone plectitur; si dolo caret, absolvitur.

Merito autem Actio in eam rem prodita est. Nam, propria autoritate corpus, aut ossa in suum fundum illata, nemo debet, propter reverentiam Manium, & quia corpus recte sepultum non est inquietandum, effodere vel transportare; quamvis in aliis rebus profanis id concedatur.

Qui igitur mortuum intulit, quo inferre non debuit ea illatione locum non facit religiosum. Religiosum enim locum facit, illatio mortui, vel præcipuæ partis, i. e. capitis, in locum, in quem inferre licet sepulturæ causa facta.

Si quis in Funus, ad alium pertinens, sumtus impenderit, ei Prætor, si repetendi sumtus causa funeravit nec sumtus nimis modicos contumeliose fecit, dat Actionem Funerariam, adversus eos, ad quos funus pertinet, uti heredes, & similes personas; qua id repetitur, quod funeris causa impensum fuit. Ejus favor tantus est, ut placuerit, impensam funeris omne creditur

ditum præcedere, cum bona defuncti solvendo non sunt.

Ne quis probibeatur funus ducere, ad curam Magistratus pertinet. Is enim providere debet, ne corpora aut ossa mortuorum detineantur, neve quis impediatur, quo minus via publica cadaver transferre, aut sepelire possit. Quare, ne quidem ob æs alienum inhiberi sepulturam, & arrestari cadaver posse, dicendum est.

Titulus 8.

De Mortuo inferendo, & Sepulchro ædificando.

S*I quis probibeatur mortuum inferre, quo inferendi jus habet*, duplex remedium Prætor tribuit. Nam, prohibito, liberum permittit, num malit statim Interdicto prohibitorio uti, ad amoliendum, ne vis sibi fiat, quo minus mortuum inferat; an adversario vim facienti cedere, & quovis alio inferre, deinde in factum agere, in id, quod sua interest, prohibitum non esse.

Si quis probibeatur Sepulcbrum ædificare, ubi mortuum sepeliendi jus habet; huic Prætor dat simile Interdictum prohibitorium, ne ei vis fiat, quo minus illo loco ædificet.

DIGESTORVM LIBER XII.

Titulus 1.

De Rebus Creditis, si Certum petetur, & de Condictione.

C*Rediti* vocabulum, generaliter acceptum, refertur ad quamcunque causam, ex qua, qui alienam

fidem ſecuti ſunt, exigere poſſunt, quod ex conventione debetur.

Condictio nomen eſt generis, quo perſonales Actiones omnes comprehenduntur; proprie, ad eam refertur Actionem, quæ ex mutui contractu naſcitur.

Certi condictio, eſt Actio perſonalis, ex quacunque cauſa competens, ex qua certum, ſive id, quod apparet, quid, quale, & quantum ſit, petitur.

Inter Certi condictiones, potiſſimum locum ſibi vindicat *Mutuum*, quod eſt contractus, quo pecunia ſic datur, ut accipientis fiat, & eo tempore, de quo inter contrahentes convenit, tantundem, ex eodem genere, & ejusdem bonitatis, reddatur. *Pecuniæ* appellatione, hic continentur res, numero, pondere, vel menſura conſtantes.

Titulus 2.

De Jurejurando, ſive Voluntario, ſive Neceſſario, ſive Judiciali.

JUsjurandum, eſt Divini Nominis aſſumtio, ad id, quod aſſeritur, confirmandum. Ejus diviſiones variæ ſunt. Inter cæteras, Jusjurandum aliud eſt *Voluntarium*, quod extra judicium præſtatur, ex conventione partium: aliud *Neceſſarium*, quod præſtatur lege jubente: aliud *Judiciale*, quod in judicio defertur, vel refertur.

Titulus 3.

De in Litem jurando.

JUramentum in Litem eſt, quo lis, vel id, quod intereſt, jurato æſtimatur. Sive, Jusjurandum in Litem eſt, quod ex delatione Judicis præſtatur, cum ab Adverſario contumaciter, & dolo malo, res vel non reſtituitur,

tuitur, vel dolo ejus factum est, quo minus exhiberi, vel restitui possit. Hoc jurejurando permittitur illi, æstimationem ipsius rei, ac ejus, quod interest, etiam in infinitum, facere. *Defert* hoc tantum Judex; si vero alius detulerit, nulla erit religio. *Defertur domino litis*, eique, qui suo nomine litem contestatus est; adeoque Curatores, vel Tutores, jurare non coguntur. *Defertur in iis*, quæ non habent certam æstimationem.

Distinguitur hoc Juramentum, in Affectionis, & Veritatis. *Affectionis* est, cum exceditur verum rei pretium, & affectioni, quæ alias in æstimationem non venit, quid tribuitur. *Veritatis* est, quo, quanti revera interest, fit æstimatio.

Judex, ne in immensum juretur, potest quantitatem taxare, intra quam juretur, atque sic modum statuere juramento: item, potest ex magna causa minoris reum condemnare, quam actor juraverit.

Titulus 4.

De Condictione Causa data, Causa non secuta.

C*Ondictio causa data, causa non secuta* est, qua, quod ob causam non inhonestam, v. c. Dotem, ut filius emancipetur, vel, ut a lite discedatur, datum est, repetitur, causa ea non secuta. Hinc is, qui ob causam dedit, potest re integra pœnitere, & condicere, quia verum est, causam nondum esse secutam. Nulla enim ei, qui accepit, injuria fit, si alter rem suam repetat, quæ apud priorem est sine causa; cum nullum damnum inde patiatur. Quod si Acceptor aliquid præstiterit, non modo facto impleto, sed etiam affecto aut inchoato, jam quia res non est integra, neque

ſine ejus damno Dator pœnitere poteſt, inhibenda erat repetitio, niſi indemnitas Acceptori præſtetur ejus, quod impendit.

Titulus 5.

De Condictione ob Turpem, vel Injuſtam cauſam.

DAtum ob turpem cauſam, ſi *ſolius dantis* turpitudo ſit, veluti ſi meretrici datum ſit, non repetitur. *Si utriusq;*, ſimiliter non repetitur; veluti ſi pecunia data ſit, ut male judicetur, vel ſtupri, aut adulterii cauſa. *Si ſolius accipientis*, repetitur, veluti ſi tibi pecuniam dedi, ne delinqueres.

Si cui quid datum ſit ex injuſta cauſa, puta ex ſtipulatione per vim extorta, aut, ſi quovis modo aliquid ex injuſta cauſa ad eum pervenerit, id ab eo repeti, per Condictionem ob injuſtam cauſam poteſt.

Titulus 6.

De Condictione Indebiti.

COndictio Indebiti, eſt Actio perſonalis, qua quis id repetit, quod per ignorantiam facti ſolvit, aut ſe ſoluturum cavit. Indebitum, quod *naturaliter tantum* debetur, uti ex pacto nudo, ſolutum, non repetitur. Quod vero *civiliter tantum* debetur, ſolutum indebite repetitur. *Debitum in diem*, ſi ante diem ſolvatur, non repetitur; *debitum* autem *ſub conditione*, ſi pendente conditione ſolvatur, repetitur. Qui indebitum ſolvit, vel promittit, aut facit id *ſciens*, aut per *ignorantiam juris*, veluti ſi heres legata ſolvit ultra dodrantem, ignoratione legis Falcidiæ; aut per *ignorationem facti*, veluti ſi heres legatum ex teſtamento

mento ſolvat, ignorans id fuiſſe in codicillis ademtum. *Primo* caſu non repetit ſolutum, quia cenſetur donare. *Secundo*, ſimiliter non repetit, quia ignorantia juris non excuſat. *Tertio* caſu, repetit.

Titulus 7.

De Condictione ſine Cauſa.

SI res noſtra apud alium ſine cauſa ſit, ad eam repetendam datur *Condictio ſine cauſa.* Contingit vero tribus modis, ut res ſit apud aliquem ſine cauſa. 1. Si ab initio nulla ſit cauſa; veluti, ſi promiſſum ſit nomine dotis, cum matrimonium ob juris prohibitionem ſequi non poſſit. 2. Si cauſa non ſit ſecuta; veluti, ſi quis promiſerit, ſpe pecuniæ mutuo accipiendæ, quam poſtea non accepit. 3. Si cauſa ſit finita; veluti ſi is, qui chirographum creditori dedit, pecuniam, cujus obligatio eo chirographo continebatur, creditori ſolverit.

DIGESTORVM LIBER XIII.

Titulus 1.

De Condictione Furtiva.

COndictio Furtiva, eſt perſonalis actio, rei ſurreptæ & fructuum perſecutoria, ei competens, qui furtum paſſus eſt, adverſus furem, & heredem ejus, pro qua parte eſt heres. Proinde definitur Condictio Furtiva, Actio perſonalis, civilis, qua dominus intendit a fure, aut ejus herede, rem furto ſublatam ſibi dari oportere. Eſt autem hæc Actio arbitraria; ideoque ex hac cauſa in litem juratur.

Titulus 2.

De Condictione ex Lege.

SI *nova Lex*, i. e. legibus 12. tabularum posterior, obligationem inducat, neque caveat, quo genere Actionis experiri oporteat, datur Condictio ex lege. v. g. Justiniani constitutione *l. 35. §. fin. C. de donat.* datur Actio ex donatione, nudo pacto facta.

Titulus 3.

De Condictione Triticaria.

COndictio *Triticaria*, est actio personalis, quæ datur, ad rem, arbitrio judicis, pro ratione locorum ac temporum, æstimandam.

Vocatur Triticaria, vel a *tritico*, ceu Cujacio placet, quod ita in facto contigit, ut, qui primus hac actione expertus est, de tritico egerit, ac proinde tritici mentio in formula agendi facta fuerit: vel, a *Triticio Prætore*, uti Publiciana a Publicio: sed sic, *Triticiaria* vocari deberet.

Titulus 4.

De eo, quod certo loco dari oportet.

SI *quis certo loco dare debeat*, & eo loco conveniatur, ac certum debeat, certum ab eo petetur: sed si alio loco agatur, etiamsi certum quid in obligationem stricti juris, puta in Stipulationem vel Mutuum deductum sit, tamen incertum peti debet, data Judici facultate, æstimandi, quanti Actoris vel Rei intersit, suo potius loco solvi, quam ubi petitum est.

Titu

Titulus 5.

De Pecunia constituta.

CONstitutum, est conventio, sive nudum pactum, de re debita, vel alia ejus loco solvenda, intra aliquod tempus. Hinc, *constituere pecuniam*, est denuo paciści, & sine solemnitate statuere ac convenire, de pecunia certo tempore solvenda, quæ antea ex aliqua obligatione, sive valida jure civili, sive invalida, debebatur.

Succurrit hoc casu Prætor, etsi solemnitas juris civilis, &, cum ea, jus quoque deficit; quia grave videbatur, & contra naturalem æquitatem, geminatam contractus fidem fallere. Quod si tempus non est in conventione expressum, subauditur modicum tempus, h. e. decem dierum.

Titulus 6.

Commodati, vel contra.

COmmodatum, est contractus, quo res gratis traditur, certi usus gratia, ut, eo finito, eadem species restituatur.

Actio Commodati, est civilis, personalis, & bonæ fidei.

Directa Actione Commodatarius tenetur, ad eandem speciem reddendam, in eodem statu, id est, non deterioratam,

Contraria Actione, Commodatarius a Commodatore recipit impensas non modicas, bona fide in rem commodatam factas, &, si quid damni passus est, ob rei commodatæ vitium, Commodatori non ignotum, vel ob intempestivam Commodantis repetitionem.

Titulus 7.

De Pigneratitia Actione, vel contra.

PIgnus est, quod Creditori nexum & obligatum est, in rei creditæ securitatem. Quod si tradatur Creditori, *proprie vocatur Pignus*, præsertim si sit res mobilis; si vero ejus possessionem debitor retineat, proprie appellatur *Hypotheca*, præsertim si sit res immobilis.

Actio Pigneratitia, est civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, daturque etiam heredibus, & contra heredes.

Directa Actione, Debitor, postquam Creditori totum debitum solvit, aut aliter satisfecit, rem pigneratam repetit, &, si quid damni, dolo aut culpa Cred'toris, in ea re datum est. *Contraria Actio* datur Creditori adversus Debitorem, ut ab eo indemnis servetur, si forte per id, quod pignori accepit, damnum passus sit, aut si deceptus sit; accipiens v. c. æs, pro auro, aut si in rem pigneratam impensas fecit necessarias, vel utiles.

DIGESTORUM

LIBER XIV.

Titulus I.

De Exercitoria Actione.

ACtio Exercitoria datur ei, qui cum Magistro navis contraxit, adversus Exercitorem, qui Magistrum navi præposuit; dummodo cum eo, tanquam cum navis magistro, id est, ex causa, cui præpositus fuit, contraxit.

Exer-

Exercitor est, ad quem omnes obventiones, & reditus ex navi perveniunt, sive sit dominus, sive conductor navis.

Magister est, cui totius navis cura incumbit, quia vel ab Exercitore navi præpositus est, vel a primo Magistro, quem Exercitor præposuit.

Titulus 2.

De Lege Rhodia, de Jactu.

LEge *Rhodia de jactu* agitur, si merces in mare, levandæ navis, & vitandi naufragii causa, projectæ sint. Nam, lege Rhodia, quam Romani, non minus quam Atheniensium leges, & Lacedæmoniorum mores, receperunt, cavetur, ut damnum commune sit, & omnium contributione sarciatur damnum, quod alicui ob jactum illum accidit: Vector autem contra alios, qui una vehuntur, nullam habet actionem, quia cum eis non contraxit; sed cum Magistro agere ex locato vel conducto potest, (prout merces vehendas locavit, aut locum in navi conduxit) ut merces aliorum retineat, donec contributio fiat. Per Magistrum autem obligatur Exercitor.

Fit Contributio, tum propter mercis & instrumenti nautici jactum, tum, si navis a piratis redemta: atque debent omnes contribuere, quorum interest jacturam fieri; proinde etiam navis dominus tenetur.

Contributioni obnoxiæ sunt res omnes, etiam navis, vestimenta, annuli; exceptis iis, quæ consumendi causa in navi sunt, ut vino, pane.

Fit vero *contributio* pro rata portione, æstimatis tam rebus amissis, quam iis, quæ servatæ sunt: atq; æstimantur res amissæ, quanti emtæ fuere; nec ad rem facit,

facit, quod pluris vendi potuerint, quia damni accepti, non lucri cessantis ratio habetur.

Titulus 3.
De Institoria Actione.

QVemadmodum ex negotiatione maritima nascitur Actio Exercitoria, ita ex terrestri, oritur *Institoria*, quæ ei, qui cum Institore, quatenus Institor est, id est, ex ea causa, cui fuit præpositus, contraxit, competit, adversus eum, qui Institorem illum tabernæ, aut cuivis negotiationi præposuit. Æquum enim visum est Prætori, sicuti commoda sentimus ex contractu Institorum, ita etiam obligari nos ex ipsorum contractibus, & conveniri, quamvis in rem versum esse nostram nihil probetur. Nec enim contrahentes decipi debent, qui fidem præponentis sequi videntur.

Institor est, qui tabernæ, aut cuivis negotiationi præpositus est, ex eo dictus, quod negotio gerendo insistat.

Titulus 4.
De Tributoria Actione.

TRibutoria *Actio*, dicitur a tribuendo, id est, distribuendo, & dividendo. Nam si Filiusfamilias, vel Servus, sciente nec contradicente Patre vel Domino, in peculio negotietur, Creditores ejus, adversus Patrem vel Dominum hanc Actionem habent, ut merx peculiaris inter omnes creditores, pro rata portione, dividatur, ita ut nec Patris, vel Domini, nec occupantis melior sit conditio. Etsi enim cæteroqui Dominus in Servi, & Pater in Filii contractibus privilegium habent, quippe, cum de peculio duntaxat tene-

teneantur; tamen si Dominus Servum, & Pater Filium, sciat in merce peculiari negotiari, velut extraneus creditor, nulla deductione facta, ex hoc Edicto in tributum vocantur.

Titulus 5.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

VErbum *Gestum*, lato significatu, omnem Contractum, & Quasi-contractum complectitur.

Si negotium cum servo gestum sit, Actio de peculio, vel de in rem verso, vel quod jussu, in Dominum competit: contra Servum vero nulla est Actio, quia Servus jure Romano pro mortuo habetur. *Qui vero cum Filiofamilias contraxit*, non solum Patrem dictis actionibus habet obligatum, sed etiam contra ipsum Filiumfamilas directam habet actionem: quia filiusfamilias ex omnibus causis, tanquam paterfamilias obligatur, & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefamilias, potest.

Titulus 6.

De SCto Macedoniano.

QVod dictum, ex contractu Filiifamilias, tam in ipsum, quam in Patrem, actionem dari, patitur hanc exceptionem, *nisi mutua pecunia Filiofamilias data sit*: hunc enim contractum SC. Macedonianum irritum reddit. *Dicitur Macedonianum*, a Macedone quodam, non, ceu falso putat Theophilus, Filiofamilias, qui, contracto ære alieno, ut haberet, unde solveret, parentis vitæ insidiatus sit, sed improbo fœneratore, qui filiisfamilias mutuam pecuniam dare solebat.

H. c

Hoc SC. *extra numeratam pecuniam creditam non habet locum*; nisi quid in ejus fraudem factum sit, puta, frumento mutuo dato, ut filiusfamilias ex ejus venditione pecuniam redigeret, qua uteretur.

DIGESTORVM
LIBER XV.
Titulus I.
De Peculio.

PEculium, ceu volunt, dicitur quasi pusilla pecunia seu pusillum patrimonium, & est universitas eorum, quæ Filiusfamilias, aut Servus, Patre, seu Domino permittente, habet a paternis vel dominicis rationibus separata.

Peculii Servilis unum est genus: Ejus vero, quod *Filiusfamilias habet*, quatuor sunt genera: *Castrense* quod occasione militiæ armatæ; *Quasi castrense*, quod occasione militiæ togatæ, aut religiosæ, acquisivit *Profectitium*, quod a parente accepit, seu, a parente in cujus est potestate, profectum est: & *Adventitium* quod ex aliis quibuscunque causis ad eum pervenit. In Castrensi & Quasi castrensi, plenum dominium est ipsius Filiifamilias; in Profectitio, plenum dominium est patris. Adventitii nudam proprietatem Filius usumfructum pater habet.

Actio de Peculio, datur filiifamilias, vel servi, vel hominis liberi bona fide possessi, Creditori, ex contractu vel quasicontractu, adversus Patrem vel Dominum vel eum, qui pro domino habetur, veluti Fructuarium, Vsuarium, Bonæ fidei possessorem, ut peculio tenus condemnetur.

Titu

Titulus 2.

Quando de Peculio Actio, annalis est.

ACtio de peculio perpetua est, quamdiu filius vel servus in potestate est; post eam potestatem finitam, si nimirum Filiusfamilias moriatur, aut emancipetur, Servus vero manumittatur, vel alienetur, annalis est, i. e. anno utili concluditur ac terminatur. Cum enim, soluta & extincta potestate, extinguatur Peculium, sufficit, ad exemplum cæterarum Prætoriarum Actionum, ad annum deinceps utilem, obligationem produci.

Titulus 3.

De in Rem verso.

IN *Rem Versum* dicitur, quod Filius in utilitatem Patris, vel Servus in utilitatem Domini convertit. Hac actione, Pater, vel Dominus, ex Filii aut Servi contractu, eatenus condemnatur, quatenus in rem suam versum est.

Titulus 4.

Quod Jussu.

J*ussus*, est consensus, actum præcedens, cum imperio conjunctus. *Actione quod jussu*, ei, qui cum Filiofamilias, aut cum Servo contraxit, Pater vel Dominus, ob suum consensum, in solidum tenetur: quia quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet. Jussui autem & *Ratihabitio* comparatur, quando, quod insciente aliquo gestum est, ratum postea: ab isto habetur.

DI-

DIGESTORUM
LIBER XVI.
Titulus I.
Ad SCtum Vellejanum.

SEnatus *Consultum Vellejanum*, sic dicitur a Vellejo Consule, qui, una cum Collega suo, Senatum rogavit. Appellatur etiam *SCtum de Intercessionibus fœminarum*, quia per id succurritur mulieribus, pro alio intercedentibus, non donantibus. Nam, quia mulier facilius intercedit, quam donat, animadvertit Senatus, mulierem magis in Intercessionibus, quam in donationibus, auxilio egere.

Intercedere, sive *intervenire* dicitur, qui inter debitorem & creditorem interjicitur, se, vel res suas, pro alio obligans. Nec refert, utrum re, an literis, aliove quovis modo, intercedat.

Ex hoc SC. mulier, quæ intercessit, non tenetur efficaciter: quia se tueri potest, per exceptionem SCti, quæ est perpetua, &, quam mulier, non solum post litem contestatam, sed etiam post sententiam definitivam, proponere potest.

Hoc SConsultum non obtinet in casibus, quibus mulier obligatur inefficaciter, & ipso jure tuta est, videlicet, si ejus obligatio non sit redacta in publicum instrumentum, subsignatum a tribus testibus. *Cessat quoq;, cum mulier efficaciter obligatur*, nimirum, si pro libertate, dote, in rem suam, uti pro suo procuratore, apud minorem pro debitore inope, intercesserit, vel intercessionem, ante biennium factam, post biennium confirmaverit, atque iterum se obligaverit.

Mulier

Mulier, suo nomine contrahens, efficaciter obligatur.

Renunciare Mulier SConsulto Vellejano potest, ita ut postea etiam invita, ab hoc beneficio excludatur. Sed, renunciatio, neutiquam promiscue, & repentino animi motu, quin, nec extra judicium fieri debet.

Titulus 2.

De Compensationibus.

Compensatio, est debiti ac crediti mutua inter se contributio, sive collatio. *Differt a Retentione*, quod *Retentio* est corporis, vel speciei alienæ, ob id, quod nobis propter sumtus in rem factos, vel ex alia causa debetur: *Compensatio* autem, est quantitatum utrinque debitarum.

Notandum, compensari etiam, quod naturaliter tantum debetur. Haud vero compensatur debitum non liquidum, nec debitum in diem, antequam dies veniat, nec Conditionale, pendente conditione: sed, nec compensatio fit, nisi inter eos, qui sibi invicem debent.

Omnes res in Compensationem cadunt, non tantum pecunia. Cum enim compensatio vim solutionis habeat, ea, quæ possunt solvi, possunt compensari: itaque & qualitates, & genera, & species, compensantur, modo idem hinc inde debeatur: quia, uti non potest aliud pro alio solvi, invito creditori, ita nec compensari. Ergo, compensatur pecunia cum pecunia, genus cum genere, & species cum specie. Nam, si mihi equum debeas, ego tibi bovem debeam: aut si mihi Stichum debeas, ego tibi Pamphilum, compensatio non admittitur, nisi ambo consentiamus.

Compensatio in omnibus causis & contractibus, sive sint stricti juris, sive bonæ fidei, sive in personam, locum habet. *Excipitur Depositum*, quod omnino compensationem respuit: item *Commodatum*, nec enim Commodatarius, vi compensationis, rem commodatam retinere potest.

Compensatio, non tantum in Contractibus, sed & in *Maleficiis* locum habet, ita ut dolus cum dolo, delictum cum delicto compensetur, dum tamen Civiliter agitur. Nam, in publicis judiciis, ubi non privatorum jus, sed publica vindicta, ad coërcendum maleficia, spectatur, non admittitur compensatio, verum, utrumque criminosum suæ manent pœnæ.

Nititur Compensatio, & Naturali, & Civili æquitate. *Naturali*, quia nostra interest, potius non solvere, quam solutum repetere: *Civili*, quia Compensatio ad dirimendas lites pertinet, ne fiat per plura, quod confici potest per pauciora.

Titulus 3.

Depositi, vel contra.

DEpositum, est contractus, quo res gratis custodienda, &, quotiescunque deponens reposcet, restituenda, traditur.

Restituenda eadem species, & quidem non deteriorata, cum iis, quæ rei depositæ accedunt, licet deposita non sint; ut vestimenta hominis depositi.

Depositi Actio directa datur Depositori, contra Depositarium; Contraria vero, Depositario, contra Depositorem competit.

Directa Actio datur adversus eum, apud quem res deposita est. Is enim, qui deposuit, potest rem suam, alterius custodiæ traditam, repetere, statim ac deposuit,

ſuit, etiamſi de certo tempore convenit. Quia enim ejus ſolius gratia contractus initus, non prohibendus eſt pro arbitrio eum revocare, & mutare voluntatem; quod & in Mandato fit.

Contraria Actio Depoſitario competit, hacque impendia, in rei depoſitæ cuſtodiam facta, repetuntur, ne officium ſuum illi damnoſum exiſtat.

Directa Actio regulariter eſt in ſimplum, ſed, in inficiantem eſt in duplum, ſi cum eo agatur, apud quem incendii, ruinæ, tumultus, naufragii cauſa depoſitum eſt. Directo judicio damnatus, notatur infamia. Contrario autem judicio damnatus, non eſt infamis, quoniam hoc judicio de impenſarum calculo agitur, illo autem, de bona fide, vel dolo Depoſitarii.

Cum Depoſito affinitatem habet *Sequeſtrum*, cum, apud medium quendam, litigatores rem litigioſam dedeponunt. Differt a Depoſito, quod vel unus poteſt deponere, & id quidem, de quo nulla eſt controverſia: apud Sequeſtrum, non niſi plures deponunt rem litigioſam. Deinde, apud Sequeſtrum unusquisque in ſolidum videtur deponere, cum rem totam ſuam putet; id vero aliter eſt, quando id, quod commune exiſtit, plures deponunt, quorum quisque pro parte tantum ſe novit eſſe dominum.

DIGESTORUM LIBER XVII.

Titulus I.

Mandati, vel contra.

M*Andatum*, eſt contractus, ſolo conſenſu conſtans, quo dominus, negotium bona fide gerendum, ſine mercede ſuſcipienti procuratori committit.

Mandatarius, id eſt is, cui mandatur, vocatur *Procurator*: Mandator vero, id eſt is, qui mandat, appellatur *Dominus*, non, quod ſit Dominus Procuratoris, ſed negotii mandati.

Materia Mandati, ſunt res omnes futuræ; nam, factas & præteritas fruſtra quis mandet: ſed & honeſtæ ac licitæ eſſe debent; nam, generaliter, nulla rerum turpium eſt obligatio.

Procurator non debet excedere fines mandati. Is vero non excedit fines mandati, qui id facit, ſine quo negotium mandatum commode expediri nequit: quia hoc quoque tacite mandatum videtur. Qua ratione, præter id, quod expreſſe mandatum eſt, procurator non poteſt facere conditionem domini deteriorem.

Diſſolvitur Mandatum voluntate, ſicuti contrahitur, & quidem ſolius mandantis. Cujus enim eſt Mandati legem dare, ejus quoque eſt illud revocare, & cuique licet favori ſuo renunciare. Sed & Mandantis morte, quæ voluntatem finit, ſi quidem res adhuc ſit integra, revocatur. A Mandatario quoque renunciari mandato poteſt, dummodo integrum jus Mandatori ſervetur, vel per ſe, vel per alium, rem commode explicandi.

Actio mandati Directa datur Mandatori adverſus Mandatarium, in id quod intereſt. *Contraria*, datur Mandatario, adverſus Mandatorem, ad repetendas impenſas, bona fide in negotium mandatum factas, &, ſi quid præterea intereſt.

Titulus 2.
Pro Socio.

SOcietas, eſt contractus, qui conſenſu perficitur, de re, vel negotiatione honeſta, ejusque lucro, vel damno communicandis.

Ma-

Materia, de qua contrahitur Societas, ſunt Res, & Operæ honeſtæ omnes, quæ quidem in commercium cadunt; rerum autem turpium nulla eſt ſocietas. Vnde nec quæ delicto, ut furto, latrociniis, parta ſunt, nec quæ ob pœnam amiſſa fuere, inter ſocios jure communicantur.

Ab Æſopi apologo, *ſocietas* appellatur *Leonina*, & jure improbatur, ſi ita convenerit, ut ſociorum alter damnum ferat, ex lucro vero nihil accipiat.

Actio pro Socio, eſt utrinque Directa, qua ſocius a ſocio convenitur, vel quia ſocietati damnum dedit; vel quia ultra, quam ad ſe pertineat, ex re communi fructus percepit; vel quia pecuniam communem in ſuos uſus convertit; vel quia actor in rem communem impendit, damnumve ob ſocietatem, puta in itinere a latronibus, cum ad mercatum proficiſceretur, paſſus eſt.

Societas ſolvitur, ex Perſonis, ex Rebus, ex Voluntate, & ex Actione. *Ex Perſonis*, ſi aut naturali, aut civili morte, h. e. maxima & media capitis diminutione, ii perierint. *Ex Rebus*; ſi eæ, quarum gratia contractum erat, non amplius exiſtant, vel commercio exemtæ ſint: uti ſi finis negotio ſit impoſitus, ob quod ſocietas inita; aut, ſi publicata ſint ſocii bona, vel facta ceſſio. *Ex Voluntate*; cum ſocietati vel Expreſſe, vel Tacite, non fraudulenter tamen, renunciatur. *Ex Actione*; cum judicio agitur, in id, ut ſocietas diſtrahatur.

Non neceſſe eſt, æquales partes ſemper lucri & damni facere, ac poteſt conveniri, ut unus ſociorum unam, alter duas lucri damnive partes ſuſtineat, vel, ut nullam damni, aliquam lucri partem conſequatur: quæ inæqualitas ita demum recepta eſt, ſi tanti opera

Socii est, quanti verisimiliter damnum esse queat, & sic hostimentum sit opera pro pecunia.

DIGESTORVM LIBER XVIII.

Titulus I.

De contrahenda Emtione, & de Pactis inter Emtorem, & Venditorem compositis, &, quæ res venire non possunt.

E*Mtio & Venditio* est contractus, qui consensu perficitur, ut Emtori rem habere liceat, certo dato pretio, sive pecuniæ numeratæ quantitate, qua res æstimatur.

Regulariter hi *possunt contrahere*, qui possunt consentire.

Venditio ad pondus, numerum, vel mensuram facta, non censetur perfecta, antequam res appendatur, vel numeretur, vel mensuretur.

Traditio rei, & solutio pretii, non perficiunt, sed implent contractum.

Ad modum contrahendæ Emtionis & Venditionis, pertinent etiam *Pacta*, quæ a contrahentibus adjici solent, quia pacta conventa informant & reformant contractus, quibus apponuntur; & pertinent insuper *Actiones*, ex iis contractibus descendentes.

Emi & vendi *quæcunq; res* possunt, nisi jus nominatim prohibeat, ut, quia sunt extra commercium.

Cum quæritur, *Quid, Quantumcunq;* in Contractum veniat, dicendum est, quicquid tempore contractus cohæret rei venditæ, venditum intelligi. Vnde

de, Fundo vendito, fructus & instrumenta adhærentia, quasi pars fundi, vendita intelliguntur: &, Domum distractam, sequuntur, quæ terra, quæque operestructili tectorio continentur.

Titulus 2.
De in Diem Addictione.

ADdictio in Diem, est pactum additum emtioni, quo venditor, si intra certam diem aliquis majus pretium pro re vendita, vel alia quavis ratione meliorem conditionem obtulerit, eam in præjudicium primi emtoris recipere potest. Hoc casu, etiam Fructus Venditori restituendi sunt, quippe tanquam rescisso contractu.

Hoc pactum, etiamsi non sit expressum, tamen in *Venditione Fiscali* tacite inest, adeo, ut intra certum tempus (quod tamen nulla lege definitum reperitur) liceat meliorem conditionem offerre, atque ita rem primo emtori auferre, nisi primus emtor tantundem solvere sit paratus.

Titulus 3.
De Lege Commissoria.

LEx Commissoria, est pactum additum emtioni, qua id agitur, ut si emtor intra diem, de qua convenit, pretium non solverit, liceat venditori facere rem inemtam. Dicitur *Lex*, quia venditioni illico adjicitur, & proinde contractui inest, ac legem ei dat. Dicitur *Commissoria*, quia emtor non solvens pretium, in hanc legem committit.

Committitur, si Emtor, quamvis non interpellatus, pretium sua die non afferat: dies enim interpellat pro homine; nisi Emtor justas causas probare possit,

quibus impeditus fuerit, in repræſentanda ad diem ſolutione.

Eſt in poteſtate Venditoris, utrum Legem Commiſſoriam exercere, an pretium petere velit; nam, in ejus commodum & favorem hæc pactio additur. Altera tamen via electa, variare amplius nequit.

Titulus 4.

De Hereditate, vel Actione vendita.

POſſunt etiam *Res Incorporales* vendi; uti Hereditates, Servitutes, Actiones.

Quod ad *Hereditatem* attinet, non venditur ea, niſi defuncti, non viventis: etenim, qui viventis hereditatem vendidit, ſi ei poſtea defuncto ſuccedat, privatur hereditate, tanquam indignus.

Hereditate vendita, in emtorem tranſit omne jus, quod in bona defuncti venditor habuit, adeoq; transeunt Actiones hereditariæ adverſus debitores.

Venditor hereditatis, manet heres, quia qui ſemel eſt heres, non poteſt deſinere eſſe heres, Emtor tamen vicem heredis obtinet.

Licet quoque *Nomina*, ſeu *Debita* vendere, etiam invito Debitore. Hæc tamen non aliter quam ante litem conteſtatam venduntur: litigioſas enim res diſtrahi, & transferre hac ratione judicium in alium eſt interdictum.

Titulus 5.

De Reſcindenda Venditione, & quando licet ab Emtione diſcedere.

E*Mtio & Venditio non poteſt reſcindi*, niſi ex juſta cauſa; puta, quia per vim aut metum contracta ſit; *nec licet ab ea recedere*, niſi mutuo conſenſu, cum re-

res adhuc eſt integra, id eſt, nec res emtori tradita, nec pretium venditori ſolutum eſt.

Venditio reſcinditur, cum uno contrahentium petente, altero invito, per ſententiam Judicis diſſolvitur. Ab ea vero *diſceditur*, cum ſine judicio, hi qui contraxerunt, eam irritam faciunt, vel cum is non vult contractu ſtare, qui ipſo jure non tenetur.

Alterutra parte invita, abire ab Emtione non licet, nempe quia nec ab una parte perficitur: unde nec Reſcriptum Principis contrarium operatur, etiamſi duplum quis reddere paratus ſit, vel altera pars in implendo contractu moram faciat, aut inæquali injuſtoque pretio res venierit. Quod enim ad poſtremum hoc attinet, licet contrahentibus invicem naturaliter, id eſt, jure gentium, quadantenus (nam ultra dimidiam partem juſti pretij captio, propter nimiam inæqualitatem, revocatur *l. 2. C. de reſcind. vend.*) decipere, *l. in cauſa 16. §. pen. ff. de minor.* non quidem dolo malo, is enim contractum vitiat, ſed reipſa, ut minoris pluriſve res vendi poſſit; alioqui quotusquisque contractus non eſſet calumniæ proximus, ſi, ob minimam inæqualitatem, in controverſiam & dubium vocari queat?

Titulus 6.

De Periculo & Commodo rei venditæ.

P*ericulum & Commodum* rei venditæ ſpectat ad Emtorem, licet ei res nondum ſit tradita.

Sed neceſſe eſt, *perfecta fuerit Emtio:* hæc autem dicitur, cum de pretio convenit, & apparet, Quid, Quale, Quantumq; venditum ſit; nec adjecta eſt Conditio.

Si ſub *Conditione* facta emtio, ubi deficit conditio, nulla eſt emtio. Quod ſi ea extiterit, retrotrahitur

ad tempus contractus; unde emtoris est periculum deteriorationis, non vero interitus; quia rei non existentis emtio uti haud fieri, ita nec confirmari, aut convalescere potest.

Titulus 7.

De Servis exportandis, vel, si ita Mancipium venierit, ut manumittatur, vel contra.

SI *Servus exportandus veneat,* (id est, ea conditione vendatur, ne in illa civitate, vel provincia moretur, in qua venit) non potest ibi morari, invito venditore: imo venditus hoc pacto, ne in ea civitate moretur, in qua venditus est, etiam Romæ morari non debet: & venditus, ne in provincia moretur, etiam in Italia morari non debet. Si contra legem moretur, confiscatur, nisi Venditor pactus in eum casum sit, ut ipse manum injicere possit.

Si Mancipium ita venierit, ut manumittatur, emtore libertati moram faciente, id est, non manumittente, nihilominus, ex constitutione Divi Marci, mancipium ad libertatem pervenit, nisi Venditor voluntatem mutaverit.

Si Mancipium vendatur hac lege, ne manumittatur, emtor non potest illud ad libertatem producere.

Solebant Venditionibus Servorum sive Mancipiorum *Conditiones* adjici, Ne quo loco morentur, ubi venditori nocere possint: Vt in alias terras exportentur: Vt manumittantur post tempus; aut contra: ac, ni pactis stetur, ut certa pendatur pœna, vel sit manus injectio, id est, ut liceat priori domino, injecta manu, mancipium tanquam suum vindicare.

DI-

DIGESTORVM
LIBER XIX.

Titulus 1.
De Actionibus Emti, & Venditi.

EX *Emto Actione*, Emtor a Venditore petit, vel, ut ſibi rem tradat, vel id, quod ſua intereſt, rem traditam eſſe. *Ex Vendito Actio* Venditori competit, ad ea conſequenda, quæ ei ab emtore præſtari oportet. *Præſtare* autem *Emtor debet* pretium, & poſt diem, quo tradita eſt res vendita, uſuras pretii, & ſumtus, a Venditore in eam rem factos, & ſi quid præterea ſe præſtaturum pactus eſt.

Emtor non habet agendi facultatem, niſi ex ſua parte contractum impleverit, & pretium ſolverit, aut certe obtulerit: inique enim petit ab alio, ut conventionem impleat, qui ipſe nec dum ſatisfecit. Contra, ſi *Venditor* ad pretium prior agat, obſtabit illi Exceptio Rei venditæ, & non traditæ, donec plene rem tradat.

Titulus 2.
Locati, Conducti.

LOcare, proprie eſt in aliquo loco ponere. Hinc locare dicuntur, qui in Agro, Fundove conſtituunt aliquem ad utendum, vel habitandum: & generaliter uſu obtinuit, ut locare dicerentur, qui rem alteri fruendam, non gratis, ſed ob aliquid concedunt. Hinc, *locare*, *conducere numos*, apud Horatium, pro fœnori dare, & accipere.

Locatio & Conductio, eſt contractus, ſolo conſenſu conſtans, de re utenda, (uſus appellatione etiam fru-

fructum, & hominis operas intellige,) certa mercede.

Merces, est facti vel usus æstimatio, quæ interdum appellatur *Pretium*, atque in quacunque re, quæ pondere, numero, vel mensura constat, consistere potest, uti, vino, oleo, frumento. At, in Emtione, pretium tantum in pecunia numerata consistit.

Locati Actio, datur Locatori adversus Conductorem; *Conducti Actio*, Conductori adversus Locatorem. Vtraque id persequitur, quod alter alteri, ex bono & æquo, præstare debet, veluti, ut merces debita solvatur, una cum usuris post moram; item, ut Conductor præstet, si ejus dolo vel culpa res deteriorata, aut amissa est. *Locator* præstare debet, ut Conductor re utatur, fruatur, aut ei solvendum, quod interest.

Potest Locatio fieri, vel in perpetuum, vel ad tempus. Sed, si ultra *decennium*, vel, ut quidam volunt, quinquennium, fit locatio, transire solet in aliud contractus nomen, ut Emphyteusin, Censum &c.

Titulus 3.
De Æstimatoria.

INcertus contractus est, cum *Res æstimata vendenda datur*, ut is, qui accepit, aut rem, aut æstimationem restituat. De hoc contractu dubitatum est, utrum pariat actionem ex Vendito, quia æstimatio vim habere venditionis solet; an ex Locato, quasi rem vendendam locaverit; an ex Conducto, quasi operas conduxerit ejus, qui vendere debet; an Mandati, quasi rem vendendam mandaverit. Sed, tollendæ dubitationis causa, &, ut vitetur periculum, in quod incidit, qui actionem movet sibi non competentem, placuit, *Actionem Æstimatoriam* proponi.

Titu-

Titulus 4.
De Rerum Permutatione.

Permutatio, eſt contractus innominatus, quo certa ſpecies, pro alia certa ſpecie transfertur in alium. *Diſtinguitur ab Emtione*, quod hæc ab una parte deſiderat pretium; permutatio, fit rebus ſive ſpeciebus utrinque. Amplius, Emtio nuda voluntate contrahitur; Permutatio autem, ex re tradita initium obligationis quærit.

Titulus 5.
De Præſcriptis verbis, & in Factum Actionibus.

Contractus Innominati referuntur ad 4. genera: *Do, ut des; Do, ut facias; Facio, ut des; Facio, ut facias.* Cum enim omnis obligatio, vel in dando, vel in faciendo conſiſtat, hæc duo, 4. modis connecti poſſunt: quia Datio, vel conjungitur cum Datione, & eſt contractus Do, ut des; vel cum Facto, & eſt contractus Do, ut facias. Similiter Factum, vel cum Facto conjungitur, & eſt Facio, ut facias; vel cum Datione, & eſt Facio, ut des. Hi contractus non pariunt Actionem ex verbis legum 12. tabularum, ſed ex interpretatione JCtorum, qui legem, loquentem de contractibus nominatis, produxerunt ad contractus ſimiles innominatos. Nam, Permutatio, ſeu Do, ut des, eſt ſimilis Emtioni: Do, ut facias, Locationi: Facio, ut facias, Mandato; & his tribus caſibus datur *Civilis Actio præſcriptis verbis*. Sed contractus, Facio, ut des, nulli contractui nominato ſimilis eſt, unde non datur ex eo civilis actio, ſed, *Prætoria ſubſidiaria de dolo.*

Pro-

Proinde *Actio præscriptis verbis* datur, ex omni contractu innominato, diciturque incerta, quia & ex incerto contractu est.

Actio Præscriptis verbis, & In Factum actio, differunt, ut genus & species. Actio in factum non tantum est ex conventione, sed ex maleficiis, vel alia causa, competitque, quoties nomen Actionis deficit. Sed, si ex conventione detur, appellatur præscriptis verbis, & civili ordinariæ Actioni adjungi, & cum ea concurrere potest.

DIGESTORVM LIBER XX.

Titulus 1.

De Pignoribus & Hypothecis: & qualiter ea contrahantur: & de pactis eorum.

P*Ignus*, generatim dicitur res, quam debitor tradit creditori, sive ea sit mobilis, sive immobilis: at, propria significatione, *Pignus* est rerum mobilium, *Hypotheca*, immobilium.

Pignus proprie dictum, Re contrahitur, Hypotheca, nudo pacto.

Præter pactum de re obliganda, quo Hypotheca constituitur, sæpe adjiciuntur alia diversa pacta, veluti, ut creditor loco usurarum percipiat fructus ex re pignerata, quo casu dicitur *Antichresis*.

Titulus 2.

In quibus Causis, Pignus, vel Hypotheca, tacite contrahitur.

QVemadmodum *Pactum* est vel expressum, vel tacitum: ita etiam *Hypotheca*, quæ pacto contrahitur, est vel Manifestaria, vel Tacita.

Taci-

Tacita, obtinet in Ædibus, ob quarum restitutionem quis numos credidit. Item in invectis & illatis in prædium urbanum, pro mercedibus & deterioratione; in rebus mariti, pro dote restituenda; casibusque aliis.

Res, ex conventione expressim obligatæ, alienari nequeunt, nisi cum suo onere. Quæ vero secreto nexu tenentur, libere alienari possunt, antequam præcludantur, hoc est, ut vulgo nunc dicunt, arrestentur.

Titulus 3.

Quæ Res, Pignori, vel Hypothecæ datæ, obligari non possunt.

O*Ppignorari possunt* omnes res, etiam nomina creditorum, res futuræ, & quælibet, quæ non prohibentur.

Probibentur autem aliquæ oppignorari in totum, aliquæ sub certo modo. *In totum* oppignorari prohibentur, res sacræ, religiosæ, &, quæ non sunt in commercio, item dotales fundi, & res fideicommisso subjectæ. *Sub certo modo* non possunt oppignorari, res Minorum, scilicet sine decreto; Instrumenta ad agriculturam parata, scilicet si abstrahantur in totum ab agricolis.

Titulus 4.

Qui potiores in Pignore, vel Hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum Creditorum locum succedunt.

IN jure Pignoris, *Regula* cæteroqui generalis est, potiorem in eo esse, cui prius Res est obligata. Sed notandum, *in pignore, ante omnes creditores, præferri rerum dominos*; quia jus dominii fortius est, jure pigno-

ris. Inter *Pigneratitios Creditores*, est ratio *prima* eorum, qui crediderunt in causam primipilarem, sub qua causa comprehendi debet, quicquid Militibus immediate præstandum est. *Secunda*, mulieris in causa dotis, uti & liberorum ejus, non aliorum heredum. *Tertia*, eorum, quorum pecunia res est emta, & quibus specialiter ea est obligata. *Quarta*, eorum, qui in pignus conservandum crediderunt. *Quinta*, reliquorum hypothecariorum, qui privilegium nullum speciale habent; inter quos referendi etiam Fiscus, Pupilli, Minores.

Hypothecarius posterior, sive debitore volente, sive invito, sive ignorante, priori, solvat, vel, eo si cui offertur, non recipiente, si obsignatum deponat, jus prioris in se transfert, &, sibi confirmando pignus, in pignoris locum succedit.

Si Chirographarius priori solverit, transferet in se jus prioris, si nominatim hoc sit actum inter ipsum, & debitorem, vel priorem Hypothecarium, tempore solutionis, vel eo tempore id per Judicem obtinuerit. Et tenet hoc pignus eatenus, quatenus ad Hypothecarium pecunia pervenit.

Si tertius debitori numos credat, ut solvat priori, non aliter sibi confirmabit jus prioris, nisi de jure pignoris paciscatur, & numi ad priorem pervenerint.

Si Chirographarius non sit pactus de jure pignoris non habebit jus pignoris, sed personalia jura prioris creditoris; unde & ipsi datur actio Pauliana, quæ priori competebat, propter res in fraudem alienatas. Verum, si possideat pignus, utetur retentione adversus debitorem, donec ei refundatur pecunia priori soluta.

Titu

Titulus 5.

De Distractione Pignorum, & Hypothecarum.

DEbitore non ſolvente, nec aliter Creditori ſatisfaciente, *Creditor pignus diſtrahere poteſt.* Hæc venditio fit, *Vel juris neceſſitate*, cum priori Creditori poſterior Creditor, aut Debitoris Fidejuſſor, pecuniam offert: *Vel jure conventionis*, cum Creditor extraneo pignus vendit; quia Debitor vel expreſſe cum eo pactus eſt, vel tacite pactus cenſetur, ut, niſi debitum ſolveret, pignus vendere liceret.

Conventionale Pignus, ſi de tempore convenerit, poterit die condicto diſtrahi: ſi non, poſt biennium a die denunciationis, quæ teſtato fieri debet.

Si actum ſit, ne diſtrahatur, fieri oportet denunciationes tres, quarum ſingulis, tantum temporis intervallum, quantum Judici ſufficit, dabitur: poſt quas, elapſo biennio, fiet distractio.

Venditio facienda eſt bona fide, ac ſolenniter per præconem, ut abſit omnis colluſio. Atque ipſe Creditor non recte emet per ſe, aut per alium, niſi Debitor diſtrahat, vel Judex.

Titulus 6.

Quibus modis Pignus vel Hypotheca ſolvitur.

P*Ignoris vel Hypothecæ nexus ſolvitur*, 1. naturali debiti ſolutione. 2. Solutione ficta, ſi debitum fuerit oblatum, conſignatum, & depoſitum, vel compenſatum, aut judicio abſolutus ſit debitor. 3. Interitu pignoris.

DIGESTORVM
LIBER XXI.

Titulus I.

De Ædilitio Edicto, & Redhibitione, & Quanto minoris.

PEnes Ædiles cura erat, non tantum Ludorum, Ædium, & Viarum, sed & Annonæ, atque, propter hanc, etiam aliquo modo Contractuum; unde Edictum proposuere, ad exstirpandas & coërcendas Venditorum fallacias.

Ædilium Curulium Edicto, ex emtionis & venditionis contractu, Actio Redhibitoria & Æstimatoria competunt, ne Emtores, ob vitia rerum sibi venditarum, decipiantur.

Actio Redhibitoria, est prætoria, arbitraria, qua emtor contra venditorem, propter vitium rei, ob quod, si id scivisset, rem non emisset, agit, ut venditor rem, quam vendidit, cum omni causa recipiat, & pretium cum usuris reddat. Vitium tale intelligendum est, quod usum rei impedit, & quod ad corpus attinet: nam, propter animi vitia, non redhibetur Servus, etiamsi vinarius, iracundus, aut mendax fuerit.

Actio Æstimatoria, vel *Quanto minoris*, est prætoria, qua emtor ob vitium rei, ob quod, si id scivisset, minori pretio emisset, agit adversus venditorem, ut, quanto minoris emisset, sibi præstet. Proponenda est ab Emtore intra annum utilem, post hunc enim terminum elapsum, exspirat.

Titu-

Titulus 2.
De Evictionibus, & Duplæ stipulationibus.

Evictio, est rei nostræ, quam alius legitimo titulo acquisierat, per Judicem facta recuperatio.

Ad *Evictionem præstandam*, quo sic indemnis sit Emtor, quamvis ex natura contractus teneatur Venditor, etiamsi nihil de ea convenerit, tamen solebant Emtores sibi jure Romano de Evictione cavere, sine tamen satisdatione, per nudam stipulationem, idque vel promissione Simplæ, vel Duplæ.

In Stipulatione Simplæ, promittebat Venditor, si res Emtori evicta esset, Simplum restituere, hoc est simplum pretium, & ex natura Actionis ex Emto, quod Emtoris interesset. Quæ Stipulatio, cum congrua sit naturæ Emtionis, semper effectu inest contractui, nisi aliud fuerit actum.

Duplæ Stipulatio continet, ut, re evicta, Venditor duplum pretii conventi præstet, atque hoc in Mancipiorum venditione, etiam invitus Venditor, ex consuet.dine, repromittere cogebatur.

Titulus 3.
De Exceptione Rei venditæ & traditæ.

Exceptio rei venditæ & traditæ, datur ei, qui a non domino rem ex venditione accepit, contra eum, a quo accepit, si is ex post facto dominium acquisivit, & rem vindicare nititur. Quem enim de evictione tenet actio, eum agentem multo magis excludit exceptio. Itaque si fundum alienum vendideris, & tuum postea factum, petas, exceptione repelleris.

DIGESTORVM LIBER XXII.

Titulus I.

De Vsuris, & Fructibus, & Causis, & omnibus Accessionibus, & Mora.

VSura in genere, est pretium seu merces, ob usum rei. *In specie*, est accessio ad sortem, sive quantitatem debitam, ex eodem genere; uti cum oleum accedit oleo, frumentum frumento, numeratæ pecuniæ numus. Nam, si aliquid accedat ex diverso genere, uti, cum oleo tardius soluto, accedit pecunia numerata, non est proprie usura, sed aliquid datum vel promissum loco usuræ. Jure tamen Canonico Vsura dicetur, quo, usura est omne illud, quicquid sorti accedit.

Differunt Vsura, Reditus, Fructus, Interesse, & Pœna.

Vsura, est accessio ad quantitatem, seu, est pretium usus pecuniæ debitæ. *Reditus* dicitur in genere, quicquid ex re aliqua obvenit; at, in specie, est obventio, quæ ex rebus alienis, quas alius possidet, proficiscitur. *Fructus*, stricte accepti, sunt omnia emolumenta ex rebus, quas is, ad quem fructus pertinent, detinet, & quibus utitur. *Interesse* est, quanti æstimatur damnum acceptum, aut lucrum amissum. *Pœna* est, quod debetur, quia factum est, quod fieri non debuit, vel factum non est, quod fieri debuit. Vel, est accessio promissa in casum, quo aliquid fiat, vel non fiat, & præstatur in locum usurarum, vel ejus quod interest.

Vsura præstatur, vel ex Conventione, uti per stipulationem, in omnibus bonæ fidei, & stricti juris contractibus; vel ex Mora.

In

In Vſuris *is Modus ſervandus*, qui publica autoritate conſtitutus eſt, vel moribus ſervatur; adeo, ut nec ex Antichreſi, cum certo conſtare poteſt de proventu, nec ex pœna promiſſa in vicem uſurarum, major quantitas deberi poſſit.

Vſuræ Vſurarum promitti non debent, licet etiam in ſortem ſint redactæ: contractus tamen, per ejusmodi promiſſionem, in totum non erit inutilis, ſed, quod amplius eſt, ſorti imputabitur, vel reſtituetur.

Vſura, eſt vel Centeſima, vel pars centeſimæ, aut major centeſima. Sed, quia hæc omnino illicita eſt, idcirco centeſima, vocatur uſura maxima. Eſt vero *Vſura Centeſima*, cum centeſima pars ſortis ſolvitur ſingulis menſibus. Ergo, in ſingulos annos, in aureos centenos, penduntur aurei 12. Proinde, cum hæc uſura, reſpectu aliarum uſurarum permiſſarum, habeat rationem totius, ac 12. partibus conſtet, Aſſis rationem ſubit; & reliquæ uſuræ, ut hujus partes, & tanquam unciæ, ſpectantur. Itaque dicuntur deunces, cum undecim in centena ſingulis annis ſolvuntur: Dextantes, cum 10. Dodrantes, cum 9. Beſſes, cum 8. Septunces, cum 7. Semiſſes, cum 6. Quincunces, cum 5. Trientes, cum 4. Quadrantes, cum 3. Sextantes, cum 2. Vnciariæ, cum unum pendimus.

Vulgo dicimus *duodecim pro centum*, *undecim pro centum*. Galli dicunt *au denier* 24. cum pro uſu annuo 24. numorum, unus numus debetur. Sic *au denier douze*, cum pro 12. unus annuatim penditur.

Fructus vocabulum accipitur tribus modis: 1. *Proprie*, pro eo, quod ex re naſcitur: qualia ſunt, olera, ſegetes, poma ex fundo, fœtus, lac, pilus, lana ex pecoribus. Partus vero ancillæ non eſt in fructu. 2. *Late*, ut complectatur etiam ea, quæ non ex re, ſed pro-

propter rem percipiuntur, & a Doctoribus vocantur *fructus civiles*, quia non natura, ſed jure percipiuntur: non ſunt autem proprie fructus, ſed vicem fructuum obtinent, ut Vſura, & rei locatæ merces. 3. *Latisſime*, quatenus omnem rei commoditatem complectitur, veluti, facultatem rei pignerandæ.

Fructus (late ſumto vocabulo) *dividuntur* in Naturales & Civiles: quorum illi, natura ex corpore proveniunt, ut Poma, Fœnum, Fœtus: Hi contra jure, non ex re, ſed propter rem, percipiuntur, ut uſura, vectura, penſio ædium locatarum.

Fructus Naturales ſubdividuntur 1. in *mere naturales*, qui ſponte ſua, ſine hominis induſtria, proveniunt, ut Poma, Fœnum: & *Induſtriales*, qui hominis induſtriam requirunt, & ſine ea non producuntur, ut Segetes. 2. Sunt vel Conſumti, vel Percepti, vel Extantes. *Conſumti* dicuntur, qui non ſunt penes eum, qui illos percepit. *Percepti* dicuntur, qui ſeparati a ſolo, etiamnum ſunt penes poſſeſſorem. *Extantes* dicuntur, qui in re ſunt.

Cauſa, eſt omnis utilitas, quæ circa rem ſpectatur: itaque & fructus complectitur, & partum ancillæ, qui non eſt in fructu, & alia commoda.

Acceſſionis verbum latiſſime patet, ac ſuperiora quoque complectitur: nam, uſura ſorti, fructus fundo, vel pecori accedunt: ſimiliter Cauſa alicui rei principali, ut partus ancillæ, accedit. Sunt autem ea, quæ accedunt, in multiplici differentia. Quippe, quædam ex re proveniunt, ut fructus, & partus ancillæ: alia extrinſecus accedunt, vel ex conventione, ut uſuræ, & vectura navis, aut currus, & penſiones prædiorum locatorum: vel ſine conventione, ut quod per alluvionem fundo accedit, & cum uſusfructus ad pro-

prie-

prietatem redit, morte, vel capitis diminutione fructuarij. Verba igitur, *de omnibus accessionibus*, generalia sunt, & priorem Rubricæ partem concludunt.

Mora, est culpa ejus, qui non solvit, quod debet solvere, vel oblatum non accipit, quod debet accipere. Fit igitur vel per Debitorem, vel per Creditorem.

Moram non facit, qui justa causa ad judicium provocat. *Mora purgatur*, posteriore adversarii mora; veluti, si debitor, qui in solvendo moram commisit, postea creditori offerat, & is nolit accipere.

Titulus 2.

De Nautico Fœnore.

F*œnus Nauticum* est, quod ex pecunia trajectitia, quæ periculo creditoris trans mare vehenda creditur, debetur. Est igitur in hoc contractu, contra naturam mutui, sors periculo creditoris, atque licet fœnus nauticum stipulari, ut singulis mensibus præstetur pars centesima, & durat hoc fœnus, quoad periculum desinit: sublata enim causa fœnoris, ipsum fœnus tollitur, & succedunt usuræ vulgares.

Proinde ex hoc contractu, Nautæ certa summa mutuo datur, illo pacto adjecto, ut periculum sortis interea sit creditoris, & debitor non aliter solvat promissas usuras, quam si navis salva redierit.

Periculum non est creditoris, si debitor merces illicitas transportet, & omnes confiscentur; aut, si non servaverit legitimum & consuetum navigandi usum.

Cum pecunia trajectitia, affinitatem habet *Pecunia Cambialis*, Wechsel-Geld / quæ dari solet propter periculum itineris infesti, pro pecunia in cambium transcripta.

Titulus 3.

De Probationibus, & Præſumtionibus.

P*Robatio*, eſt actus judicialis, per quem de re dubia & controverſa, Judici fides fit.

Probatio proprie dicta, fit vel per Teſtes, vel per Inſtrumenta; atque poſſunt ſimul jungi hi modi diverſi, ut, dum quilibet eorum per ſe eſt imperfectus, omnes ſimul plene probent:

Nam, quæ non proſunt ſingula, multa juvant.

Relevant ab onere probandi, Indicia, confeſſio Adverſarii, jusjurandum, evidentia facti, fama cum aliis adminiculis juncta, & firma præſumtio.

Probatio, eſt vel Plena, vel Semiplena, vel minor Semiplena.

Plena Probatio eſt, quæ per ſe ſufficienter probat; ut per Teſtes, vel Inſtrumentum. *Semiplena* eſt, quæ per ſe non probat, niſi aliis adminiculis juvetur, ſed Judicem inducit ad deferendum jusjurandum; veluti probatio per ſcripturam privatam, aut unum teſtem. *Minor quam Semiplena* eſt, quæ non ſufficit ad hoc, ut Judex jusjurandum deferre debeat.

Ei probatio incumbit, *qui affirmat*, non, qui negat: negationis enim puræ, nulla eſt probatio. At negatio, quæ circumſcripta eſt loco, tempore, vel alia circumſtantia, aut adjuncto, optime poteſt & debet probari.

Vt Actor ſuam intentionem, ita Reus ſuam exceptionem, ſeu defenſionem, probare debet.

Monumenta publica majorem fidem faciunt, quam teſtes.

Præſumtio, quæ & *Suſpicio* interdum vocatur, eſt opinio, aliquo modo ſuffulta, de re incerta, non probata;

bata. Sive: Eſt probabilis conjectura, ex certo ſigno proveniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur.

Differt a Probatione, quia per legitimam probationem res fit certa, per præſumtionem, manet dubia. *Differt a Fictione*, quia, quod fingitur, ſemper eſt falſum: quod vero præſumitur, plerunque eſt verum.

Præſumtio, alia eſt *Hominis*, alia *Legis*; illa fit ab Homine; hæc, eſt Legis opinio, qua Lex aliquid pro vero præſumit, & ante capit, donec probetur contrarium.

Titulus 4.
De Fide Inſtrumentorum.

I*Nſtrumenta*, dicuntur ſcripturæ, quibus aliquid probatur.

Inſtrumentum, eſt vel Publicum, vel Privatum.

Publicum Inſtrumentum eſt, quod habet publicam autoritatem, quia vel a perſona publica, vel ſaltem juſſu perſonæ publicæ, ut Judicis, factum eſt. Talia ſunt: Scriptura cenſualis, literæ ſalvi conductus, inſtrumenta a tabellionibus conſcripta.

Privatum Inſtrumentum eſt, quod, autoritate privata, fit a privata perſona, uti Calendarium, Codex rationum, Chirographum.

Inſtrumentum Authenticum eſt, quod per ſe eſt perfectum, & probat, nec ex alia ſcriptura pendet.

Scheda eſt, per quam prima quaſi lineamenta ducuntur, ut inde authenticum facilius conficiatur.

Exemplum eſt, quod deſcriptum eſt ex authentico.

Index eſt, qui authentici ſententiam, brevius conceptam, continet. *Annotationes*, ſeu *Subnotationes* ſunt, in quas nonnulla, memoriæ cauſa, notantur: ut nomina debitorum, aut debitæ quantitates.

Instrumentum αὐτόχειρον, sive ὁλόγραφον est, quod totum propria manu scriptum est. Ετερόχειρον est, quod scriptum est omnino per alium; aut scriptum est, partim manu propria, partim per alium; ut cum testator tantummodo nomen heredis scribit in testamento.

De Probatione, quæ per Instrumenta fit, notandum: 1. In Instrumento a Tabellione conscribendo, hodierna praxis octo requirit: Nempe, Invocationem Nominis Divini; Annum a Christo nato, vel incarnato, prout consuetudo loci exigit: Romanam Indictionem: Mensem & diem rei gestæ: Nomen Imperatoris aut Principis, in cujus ditione Instrumentum fit: Rerum gestarum seriem: Nomina testium: Subscriptionem, & Signum tabellionis. His adhibitis, plene probat, & ei statur, nisi probetur contrarium. 2. Scriptura privata non probat pro scribente, sed contra scribentem. 3. Index, vel Exemplum, plene probat, si publica autoritate sit ex authentico descriptum, vel cum authentico collatum, quod vulgo vocant *Vidimatum*; quoniam is, qui cum authentico contulit, ad fidem hujus collationis faciendam, subscribere solet verbum *Vidimus*.

Quod ad *Interpretationem Instrumenti* attinet, sciendum est, ea stricti esse juris, nec recipere extraneam interpretationem, sed illam ex verbis desumi; quod illis non continetur, hoc pro omisso haberi.

Instrumentis variæ Exceptiones opponi possunt, quæ partim a causarum, partim a productionis vitio sumuntur: uti, quod non sit ab idoneo Notario factum: quod aliquid ex solennibus omissum: quod non debito modo signatum: quod cancellatum, rasum, innovatnm

quod

quod ſibi ipſi contrarium: quod aliqua in parte falſum: quod non rite productum, aut publicatum; & alia multa.

Inſtrumento amiſſo, obligatio, eo contenta, non extinguitur, nec eſt inutilis, ſi aliis quibuscunque modis probari poſſit.

Titulus 5.
De Teſtibus.

TEſtis eſt, qui de aliquo facto controverſo, teſtimonium dicit, vel alicui actui adhibetur, ut poſſit de eo, quandocunque opus erit, teſtimonium dicere.

Teſtimonium, eſt ipſius teſtis aſſertio.

Poſſunt omnes teſtimoninm dicere, niſi jure prohibeantur: & coguntur, niſi juſtam ob cauſam excuſentur.

Teſtimonium dicere jure probibentur, Impuberes ob lubricum conſilium, & quia ætas illa ad jusjurandum, ſine quo teſti non creditur, admitti non poteſt: item furioſi, muti, ſurdi, cæci, damnati publico judicio, qui in vinculis cuſtodiave publica detinentur; quæ palam quæſtum corpore fecerit; qui, ob teſtimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepiſſe judicatus, vel convictus fuerit, &c.

Excuſatur a teſtimonio dicendo, nec cogitur invitus quis teſtimonium dicere in ſocerum, generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrinam, & horum filios; item, in patronum, libertum, maritum, uxorem, aut horum liberos, ſcilicet iis caſibus, quibus alioqui teſtimonium dicere poſſunt; nam, quando prohibentur, non eſt opus excuſatione, cum ne volentes quidem admittantur, ut, Parentes & Liberi in infinitum, item in propria quisque cauſa; in transverſalibus vero excuſatio neceſſaria eſt, nam, volentes ad-

admittuntur, etiam intra tertium gradum. Invit quoque teſtimonium dicere non coguntur, ſenes majores 70. annis, valetudinarii, milites, qui Reip. cauſ abſunt, vel quibus venire non licet, ut in carcere, au alio impedimento juſto, publico, vel privato, de tentis.

Antequam Teſtes teſtimonium perhibeant, *jurar* coram judice debent, ſe de omnibus ad cauſam pertinentibus, de quibus interrogabuntur, dicturos, quo noverint, & neque verum aliquid celaturos, nequ falſum admixturos.

Teſtes tantum teſtificari debent ſuper articulis propoſitis. Cum enim ſuper his tantum jurent, no creditur iis velut injuratis, ſi de alia re, quam quæ articulis comprehenſa eſt, teſtentur.

Teſtes poſt litem conteſtatam demum producend ſunt, niſi cum ad æternam rei memoriam examinantur, aut alia juſta cauſa, puta valetudinis, ſenii, peregrinationis, accelerationem examinis urget.

Producuntur Teſtes ſumtibus producentis, citata parte adverſa, nec plures, quam cauſæ utilitas exigit. Sufficiunt regulariter *duo*, niſi lex plures requirat.

Non omnes Teſtes æque fidem faciunt; ſed alii majorem, alii minorem; quod Judex ex teſtium numero, & qualitate, & ex teſtimonii probabilitate, judicabit. Majorem autem fidem facit *viva vox* teſtis, quam teſtimonii recitatio; idcirco opus eſt, ut ipſe Judex teſtem examinet.

Titulus 6.
De Juris & Facti Ignorantia.

I*Gnorantia, generatim accepta*, complectitur Errorem, Titubationem ſeu Dubitationem, & Ignoran-

tiam

tiam proprie dictam. *Errat*, qui opinionem habet veritati contrariam. *Dubitat* aut *titubat*, cujus mens inter ſcientiam & errorem hæſitat, nec dum alterutrum ex duobus contrariis elegit. *Proprie ignorat*, cujus animam cogitatio de re aliqua non ſubit.

Ignorantia Facti eſt, quando, quod in caſu vel natura contingenter poſitum eſt, accidiſſe ignoratur: ut, ſi neſciam, mortuum eſſe illum, cujus mihi lege obvenit hereditas; aut, teſtamentum ab eo conditum eſſe.

Ignorantia Juris eſt, cum quis jus ſuum ignorat; uti, ſi quis neſciat, fratrem ſuum deceſſiſſe, ignorantia facti eſt: ſi vero ſciat defunctum eſſe, opinetur vero illius uxorem in ſucceſſione ſibi præferri, juris eſt ignorantia.

Regulariter Ignorantia Facti excuſat; Ignorantia vero Juris non excuſat: nam, in iis, quæ facti ſunt, etiam prudentiſſimi viri falluntur: jus vero finitum eſt, & certum, atq; omnibus notum eſſe debet.

DIGESTORVM
LIBER XXIII.
Titulus I.
De Sponſalibus.

Sponſalia, ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum, dicta a ſpondendo, quia moris fuit veteribus, ſtipulari, & ſpondere futuras uxores; ſed hodie nudo conſenſu fiunt.

In Sponſalibus *Conſenſus* requiritur contrahentium, & cæterorum, quorum in nuptiis deſideratur. *Contrahi non poſſunt* a minoribus 7. annis; *poſſunt* vero

vero inter præſentes, vel inter abſentes, ut per nuncium, vel per epiſtolam; item, vel in diem, vel ſub conditione; nec non per verba de futuro, veluti: Ego te in uxorem accipiam: aut, per verba de præſenti, veluti: Ego te in uxorem accipio. Hæc verba, de præſenti, ſi proferantur ab impuberibus, faciunt vera ſponſalia, quia, cum non poſſit matrimonium ab impuberibus contrahi, reſolvuntur, juris interpretatione, in Sponſalia de futuro. Cum autem proferuntur a puberibus, non faciunt Sponſalia, ſed matrimonium, quia matrimonium non concubitu, ſed ſolo conſenſu efficitur.

Titulus 2.
De Ritu Nuptiarum.

M*Atrimonium*, eſt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Intelligitur autem animorum potius conjunctio, quam corporum; nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit.

Ad juſtas Nuptias requiritur: 1. ut contrahentes ſint Cives Romani. 2. Vt ſint puberes. 3. Vt conſentiant omnes, hoc eſt, tam ii, qui contrahunt, quam in quorum ſunt poteſtate. 4. Vt non prohibeantur ex jure conſanguinitatis, vel affinitatis. 5. Vt contrahentes natura non ſint inidonei ad liberos procreandos: quia finis matrimonii eſt procreatio liberorum. 6. Vt ſpeciali lege non prohibeantur nuptiæ.

Etſi pater liberos, quos habet in poteſtate, non poteſt cogere ad nuptias; tamen matrimonium optime valet, quod ex ſola reverentia in patrem, filii inierunt.

Si

Si pater sit furiosus, contrahetur matrimonium coram Præside, & nobilioribus in familia, hi enim defectum, qui in patre est, supplebunt.

Titulus 3.
De Jure Dotium.

DOs, est pecunia, nuptiarum causa data: ubi verbum, *Pecunia*, late accipiendum est, pro quacunq; re, quæ est in patrimonio.

Dos est vel Profectitia, vel Adventitia. *Profectitia* est, quæ a patre, vel avo paterno profecta est, de bonis, vel facto ejus. *Adventitia* est, quæ aliunde, quam a patre, aut avo paterno, uti a matre, vel extraneo, imo etiam ab uxore, obvenit.

Dotare tenetur Pater, sive sit filia inops, sive locuples, sive sua, sive emancipata; non vero si turpiter vivat: pariter & Avus paternus, qui in potestate habet Neptem; imo & Mater, vel Avus maternus, si liberi nec patrem, nec bona habeant, unde dotari possint. Quin & Frater, si sit germana.

Titulus 4.
De Pactis Dotalibus.

NOn solum Gonjuges, sed & Parentes, & Extranei, qui dotem dant, *pacisci* possunt licite, modo nihil pugnet cum essentia dotis, bonis moribus, & legibus. Extranei vero, si non paciscantur sibi reddi dotem, eam, soluto matrimonio, repetere non possunt.

Alia pacta *ad voluntatem* pertinent, i. e. pro libitu apponuntur, vel omittuntur: veluti, ut mulier dote promissa se alat, aut certam summam viro præstet, & ab

ab eo alatur; alia, *ad jus dotis* pertinent, veluti, quemadmodum dos petatur; quemadmodum reddatur; quæ non ſempervalent. Nempe, non valent, cum deteriorem cauſam dotis, vel mulieris faciunt.

Titulus 5.
De Fundo Dotali.

LEx Julia *Prædium dotale*, invita muliere, tam alienari quam pignerari prohibuit, idq; propter fragilitatem ſexus, maritorum ſuaſionibus aut minis facile credendis obnoxii; ea conſentiente, alienari permiſit, non etiam pignerari. Noluit enim Lex, etiam conſenſu mulieris, poſſe fundum ejus obligari, quia facilius oppignorationi, quam alienationi aſſenſura credebatur. Eſt nimirum tenax fœminarum genus, nec perinde rerum ſuarum diſtractionem facile admittit, atque obligationem. Juſtinianus utrumque prohibuit, ſive mulier conſentiat, ſive diſſentiat.

Prædium dotale, intelligitur tam urbanum, quam ruſticum.

DIGESTORVM
LIBER XXIV.

Titulus I.
De Donationibus inter Virum & Vxorem.

S*Implex Donatio, inter Virum & Vxorem facta, non valet*; ne conjuges mutuo amore invicem ſpolientur, a donationibus abſtinentes, &, ut potius liberis procreandis ſtudeant, quam quærendæ pecuniæ.

Dona-

Donatio non valet, quia ſcilicet donanti permittitur, ut poſſit pœnitere, & eam revocare, ſi hæc donatio donantem pauperiorem, & accipientem locupletiorem fecit; heres autem, donantis illius, qui eadem voluntate retenta defunctus eſt, donationem revocare nequit.

Tacite confirmatur inter Conjuges facta donatio, ſi, ea nondum revocata, donator deceſſerit. Quæ autem *quingentos aureos* excedit donatio, non aliter in eo, quod excedit, confirmationem meretur, quam ſi expreſſa morientis conteſtatione, vel facta in actis inſinuatione, ſit ſtabilita.

Titulus 2.

De Divortiis, & Repudiis.

R*Epudium*, fit inter Sponſos proprie, cum matrimonium nondum eſt conſummatum: *Divortium* eſt, quo, matrimonium plene perfectum, ſolvitur.

Inter *Cauſas Repudii*, potiſſimum recenſenda eſt, ſi quis ignorans duxerit ab alio vitiatam, vel incurabilis morbus intervenerit, quo quis redditur ineptus ad conjugium.

Divortium Jure Civili, fit vel ex communi conſenſu, vel unius voluntate, ob cauſam jure probatam.

Noviſſime Juſtinianus Nov. 117. matrimonium, ſine juſta cauſa, mutuo conſenſu diſſolvi vetuit; ex cauſa vero caſtitatis, & vitæ cælibis, id permiſit. Divortio, ſecundum Jus Civile, diſſolvitur matrimonium: ſecundum jus Canonicum, non ſolvitur matrimonium, ſed inducitur thori ſeparatio, idq; vel in perpetuum, vel, ad certum aliquod, & definitum temporis ſpatium.

Titulus 3.

Soluto Matrimonio, Dos quemadmodum petatur.

Dos *olim ſoluto matrimonio repetebatur*, modo, Rei uxoriæ actione, modo, Actione ex ſtipulatu. Sed Juſtinianus, ſublata Rei uxoriæ actione, conſtituit, ut ſemper repetatur ex Stipulatu; ita, ut ſi ſtipulatio non fuerit expreſſa, a lege ſuppleatur, ac tacite intelligatur fuiſſe adhibita. Præterea conſtituit, dotem, ſi in rebus immobilibus conſiſtat, confeſtim reſtitui; ſi in aliis rebus, intra annum reddi, &,ut maritus condemnetur, in quantum facere poteſt.

In quæſtione, *Cui detur dotis repetitio?* ſic diſtinguitur: aut Pater puellæ dotem dedit, aut Extraneus aut ipſa mulier. *Primo caſu* pater repetit, licet ſib reddi ſtipulatus non ſit, quia tacite ſtipulatus intelligitur. *Secundo caſu*, ſi Extraneus nominatim ſib reddi pactus eſt, ipſe repetit; ſin minus, ipſa mulie tacite ſtipulata intelligitur, eique dos reſtituenda eſt quemadmodum & *Tertio caſu*.

Mulier, vel ejus filii, non vero alii illius heredes præferuntur omnibus creditoribus mariti, ſive expreſſam, ſive tacitam creditores alii habeant hypothecam.

Ceſſat Dotis repetitio, ex pacto, item, ſi maritu non ſit ſolvendo: nam, non tenetur ultra qua facere poteſt, ne ipſe egeat; porro, ſi res perierit, ſi culpa mariti; denique, ſi adulterium, deſertio, a aliud aliquod mulieris grave delictum, divortio cauſam dederint.

DIGESTORVM
LIBER XXV.
Titulus 1.
De Impenſis in Res dotales factis.

IMpenſas modicas, in res dotales factas, Arbiter in hoc judicio non curabit, ſed eas tantum, quæ ſunt alicujus momenti. Hæ, *ſi Neceſſariæ*, ſine quibus res interirent, vel deteriorarentur, ipſam dotem minuunt. *Si ſint Vtiles*, quæ rem meliorem faciunt, exigi poſſunt, & earum nomine deductio fiet, cum voluntate mulieris ſunt factæ. Si autem ſint *Voluptuariæ*, quæ ſpeciem tantum exornant, non exiguntur, ſed tolli poſſunt ſi profuturæ ſint marito; vel, ſi mulier non permittat tollere, ſolvi debent.

Titulus 2.
De Actione Rerum amotarum.

SI *Conjux Conjugi, divortii conſilio, furtum faciat*, licet vere furtum ſit, tamen, ne quidem divortio ſecuto, furti actio datur; quia matrimonii, etiam præteriti, reverentia, famoſam actionem, ob id, quod tempore matrimonii factum eſt, excludit. Sed, ſtante matrimonio, res condici poteſt: poſt divortium, rerum amotarum agere licet.

Amotæ dicuntur res, quæ ſurreptæ, & celatæ ſunt, vel venditæ, donatæ, aut quoquo modo conſumtæ.

Non venit in hoc judicium ulla pœna, ſed id duntaxat, ut Res reſtituantur.

In hoc judicio *Res æſtimantur*, quanti fuerunt eo tempore, quo amotæ ſunt; quin, & ejus quod intereſt actoris, ratio habetur.

Quanquam vero actiones pœnales hoc casu in Conjugibus cessant, Judex tamen ex officio, ut alia delicta, ita & hoc coërcere potest.

Titulus 3.
De agnoscendis, & alendis Liberis, vel Parentibus, vel Patronis, vel Libertis.

SCto *Planciano* (alii *Plautianum* vocant,) cautum est, ut, facto divortio, si mulier putet, se ex eo matrimonio prægnantem esse, intra dies 30. marito, vel patri ejus, vel, si copiam eorum non habeat, domum denunciare possit, (domum intellige hospitium, si in civitate habitet, vel ubi larem matrimonio collocavit, si extra urbem degat;) se ex eo prægnantem esse. Hac denunciatione facta, si maritus nolit partum agnoscere, contra denunciare debet, eam non esse ex se prægnantem; aut custodes mittere: alioqui, si id non fecerit, partum agnoscere cogetur.

Est ergo officium Parentum, ut filios agnoscant, & alant; adeo, ut, si alimenta denegent, eos necare videantur. Sed & vice versa, si parentes egeant, Liberi eos pro modo facultatum alere tenentur. Item Patroni egentes, & liberi eorundem, a Libertis pro modo facultatum sunt alendi. Imo & Patronorum Parentes, si egeant, & liberi non supersint, a quibus alantur, a libertis ali debent. Contra, Libertum quoque inopem, Patronus, si possit, alere jubetur; alioquin perdit jus patronatus.

Alimentorum nomine, non modo victus, sed cætera quoque onera, & vitæ necessitates comprehenduntur.

Titu-

Titulus 4.

De inſpiciendo Ventre, cuſtodiendoque Partu.

EX Reſcripto Divorum Fratrum, *ſi mulier, a viro divertens, neget ſe eſſe ex eo prægnantem*, maritus autem prægnantem aſſerat, tres obſtetrices eo poſtulante mittuntur, quæ ventrem inſpiciant, &, ſi vel omnes, vel duæ renunciaverint, prægnantem videri, perinde cuſtos illi adhibetur, ac ſi ipſa hoc deſideraſſet.

Ex Edicto Prætoris, *ſi mulier, mortuo marito, prægnantem ſe eſſe dicat*, & his, ad quos ea res pertinet, id denunciet, poſſunt ii mittere mulieres, quæ ventrem inſpiciant, & viros, qui cuſtodiant. Partus quoque editus, iis oſtendendus eſt.

Titulus 5.

Si, Ventris nomine, Muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium translata eſſe dicatur.

M*Vlier prægnans, mittitur ventris nomine in poſſeſſionem*, ob favorem partus. Prætor autem coërcet dolum & calumniam mulieris, quæ ventris nomine in poſſeſſionem miſſa eſt. Atq;, ſi dolo malo poſſeſſionem in alium tranſtulit, dat adverſus illam, patremque, qui ipſam in poteſtate habet, Actionem in factum, in quantum Actoris intereſt, admiſſum alium in poſſeſſionem non fuiſſe. Sed & eum, qui in poſſeſſionem admiſſus eſt, decedere jubet.

Titulus 6.

Si Mulier, Ventris nomine, in possessione calumniæ causa esse dicatur.

CAlumniam mulieris Prætor quoq; coercet. Quia, si per calumniam, quasi prægnans, cum sciret se non esse prægnantem, voluit in possessionem venire, in eam, vel parentem ejus, Actionem in factum dat, ei, cujus interest, mulierem in possessionem missam non esse.

Titulus 7.

De Concubinis.

COncubina est, quæ, cum uxor non sit, cum aliquo tamen vivit, & uxoris loco in domo est, ac corpus miscet.

Concubina quodammodo uxorem legitimam imitatur. *Differt* autem *Concubinatus a Matrimonio*: 1. Quia uxor, dignitate præstat concubinæ. 2. Nuptiæ sunt omni Jure permissæ, concubinatus vero est quidem Jure civili veteri & Justinianeo, *l. 3. §. 1. h. t.* permissus, modo quis, nec uxorem cum concubina, nec plures concubinas habeat, *Nov. 18. c. 5.* At, Novella Leonis, 91. & jure Canonico, *dist. 34. c. 7.* est prohibitus. 3. Nuptiæ, sunt divini & humani juris communicatio; quod de Concubinatu dicendum non est. 4. Matrimonium sine justa causa dissolvi nequit; Concubinatus pro lubitu dissolvitur, quia nulla lex solvere prohibet. 5. Filii matrem quidem semper certam habent, patrem autem certum non habent, nisi ex justis nuptiis sint suscepti. 6. Filii ex justis nuptiis, sunt Legitimi, & in potestate patris,

ex

ex concubinatu ſuſcepti, ſunt naturales tantum, & ſui juris.

Concubinas plures habere, improbatum eſt, uti & illud, conſuetudine uti ejus, quæ in patris aut filii fuit concubinatu; quia nefaria eſt hujusmodi conjunctio, quæ nemini concedenda.

DIGESTORUM
LIBER XXVI.
Titulus I.
De Tutelis.

T*Utela*, eſt vis, & poteſtas, in capite libero, ad tuendum eum, qui, propter ætatem ſuam, ſponte ſe defendere nequit, jure civili data ac permiſſa.

Tutela alia eſt *Teſtamentaria*, quæ Teſtamento; alia *Legitima*, quæ a Lege; alia *Dativa*, quæ a dante & decernente Magiſtratu, qui ſummus quaſi Tutor eſt, defertur.

Dicitur & alius *Tutor Adminiſtrans*, ſeu Verus; alius *Honorarius*, teſtamento ſcilicet datus, (nam Lex aut Judex ejusmodi Tutorem minime conſtituit,) cui nulla incumbit adminiſtratio, ſed tantum honoris cauſa interponitur: velut perſona dignior, & honoratior, quam pupillus præ reliquis timeat, & revereatur, &, qui ſit velut inſpector & obſervator totius adminiſtrationis, vulgo, *Supremum Tutorem*, nominant.

Tutor regulariter debet eſſe *maſculus*, *non fœmina*, ſed, ex ſpeciali privilegio, propter naturalem affectionem, Mater & Avia ad tutelam admittuntur, ſcilicet quamdiu in caſta viduitate permanent; contractis

enim secundis nuptiis, vel pudore prostrato, desinunt esse ipso jure tutrices.

Titulus 2.

De Testamentaria Tutela.

T*Utela Testamentaria* est, cum parens, liberis impuberibus, ejus potestati subjectis, post suam mortem non recasuris in alienam potestatem, sed futuris sui juris, vel suis posthumis, id est, qui in eadem causa essent, si vivo parente nascerentur, tutorem dat in testamento, vel codicillis, testamento confirmatis.

Testamento Tutores dari possunt ii, quibuscum est testamenti factio; hoc est, qui ex testamento capere possunt.

Horum Tutorum causa prima est, atque, iis constitutis, Legitima tutela cessat; quin & satisdare non coguntur, quia judicio testatoris probati videntur.

Titulus 3.

De Confirmando Tutore, vel Curatore.

S*I Tutor Filio Emancipato, aut Curator, a Patre datus sit*, datio Tutoris vel Curatoris ipso jure non valet, sed decreto Magistratus confirmanda est, etiam sine inquisitione, an sit idoneus.

Datus a Matre vel Extraneo Tutor, nec sine inquisitione, nec, nisi instituto heredi datus sit, confirmari debet.

Interdum etiam a patre datum Prætor reprobat, si nimirum aut ea de tutore comperta habeat, quæ testatorem latebant; aut ipse pater, qui tutorem testamento dedit, voluntatem postea mutavit.

Titu-

Titulus 4.

De Legitimis Tutoribus.

CEſſante Tutela Teſtamentaria, locus eſt *Legitimæ*, quæ, ipſo jure defertur: & quidem, vel ex *verbis legis 12. tabb.* ut tutela proximorum Agnatorum; vel, *ex mente* ejusdem legis, ut Patronorum, erga Libertos, & Parentum, erga liberos emancipatos; vel, *ex novo jure*, ut Fiduciaria. Per hanc, defuncto Parente, qui filii emancipati tutor eſt, non quidem legitimus (quia non habebat olim, diſſoluta agnatione, ſpem ſucceſſionis, niſi eam ſolemnibus pactionibus reſervaſſet,) ſed quaſi-legitimus, ſi Liberi, qui in poteſtate Patris ad mortem usque fuerunt, perfectæ ætatis exiſtant, Fiduciarii Tutores fratris emancipati, vel ſororis efficiuntur. Sed, nunc legitima Tutela defertur ex *Nov. 118. c. ult.* his, qui ad legitimam ſucceſſionem vocantur: ita, ut pari ordine vocentur, & ad emolumentum hereditatis, & ad onus tutelæ.

Titulus 5.

De Tutoribus & Curatoribus, datis ab his, qui jus dandi habent: & qui, & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſunt.

SI cui, neque Teſtamentarius, neque Legitimus tutor ſit, aut, ſi quis legitimo Curatore careat, ei competens *Magiſtratus*, tutorem vel curatorem dat, qui *Dativus* dici ſolet.

In Vrbe, Tutores vel Curatores dant, qui jurisdictionem habent, ut Prætor, vel Præfectus Vrbi: *In Pro-*

vincia, is, cui hanc facultatem Lex, vel SC, vel Princeps nominatim concessit.

Tutores vel Curatores dari possunt, qui dantis jurisdictioni subjiciuntur, sive sint patresfamilias, sive filiifamilias.

Titulus 6.

Qui petant Tutores vel Curatores, & ubi petantur.

P*Upillo, Tutores petere alii pro lubitu possunt*, ut Cognati, & Amici: *alii petere jubentur*, ut Mater, & Liberti: alioquin illa privatur successione, si filius in ætate pupillari decesserit; Liberti vero, a Magistratu puniuntur.

Curatorem, *Adultus* sibi ipse petit, vel, ejus voluntate, alii quilibet.

Ibi petendi sunt Tutores vel Curatores, unde is, cui dantur, originem ducit, aut ubi facultates ejus sitæ sunt.

Titulus 7.

De Administratione, & Periculo Tutorum & Curatorum, qui gesserint, vel non: & de agentibus, vel conveniendis uno, vel pluribus.

D*E Administratione Tutorum* (quæ eadem suo modo etiam de Curatoribus valent,) notandum: 1, Tutor cogitur tutelam gerere, nisi justa de causa excusetur, alioquin suo periculo cessat: prius tamen, quam gerat, Inventarium rerum pupillarium facere debet. 2, Non solum gerere creditur, qui ipse gerit, sed &, qui alii gerendum mandat, & qui satis a con-

tuto-

tutore accipit, rem pupilli ſalvam fore, eique adminiſtrationem committit. 3. Neque utilia prætermittere, neque inutilia admittere debet. 4. Quia plerunque utilius eſt, per unum, quam per plures, tutelam geri, idcirco placuit, eum ſolum gerere, qui ſatisdat, rem pupilli ſalvam fore, aut, quem teſtator, vel major tutorum pars, vel Prætor elegit: cæteri ſunt aut honoris cauſa dati, qui vocantur Honorarii, aut notitiæ cauſa, quia patrimonii pupillaris notitiam habent, unde poſſunt alios tutores inſtruere. Interdum Tutori electo, adjungitur Curator. Sed, ſi omnes velint ſimul gerere, aut inter ſe tutelam, id eſt, adminiſtrationem, dividere, Prætor iis morem geret.

De Periculo notandum: 1. Periculum tutelæ ad tutorem ſpectat, ex quo ſcit, ſe tutorem datum. 2. Tutor tenetur, ſi fecit, quod facere non debuit, vel non fecit, quod facere debuit. 3. Aut tutela eſt indiviſa; aut, vel voluntate teſtatoris, vel Prætoris diviſa; aut ipſi tutores ſponte ſua inter ſe tutelam diviſerunt. Cum tutela eſt *indiviſa*, ſubdiſtinguere oportet: aut enim nemo geſſit, aut quidam, aut omnes geſſerunt. *Primo* caſu, omnes æqualiter tenentur, ita, ut pupillo detur electio, contra quem agere velit. *Secundo* caſu, prius conveniendi, qui geſſerunt, ſi modo ſint ſolvendo. *Tertio* caſu, pupillus habet electionem, conveniendi omnes, vel aliquos. *Si omnes conveniantur*, & una ſententia damnentur, periculum diviſum eſt, nec alter pro altero tenetur. *Si aliqui conveniantur*, hi poſſunt petere, ut actio inter omnes, qui ſunt ſolvendo, dividatur, vel, ut actiones ſibi contra alios a pupillo cedantur. *Cum* autem *tutela ex ſola tutorum conventione diviſa* eſt, perinde eſt, ac ſi indiviſa manſiſſet: quia non debet eorum conventio, præjudicium

cium pupillo facere. Denique, *cum a testatore, vel judice, est divisa*, pro sua quisque parte tenetur, non pro parte contutoris; nisi quatenus dolo, aut culpa non curavit, eum tanquam suspectum removeri, vel serius id curavit,

De Actione per unum pluresve tutores movenda, vel subeunda, notandum, si tutela sit indivisa, omnes, vel, aliis cessantibus, unum posse agere, vel conveniri. Si vero sit divisa, quemlibet, pro parte sibi commissa, agere vel conveniri debere,

Titulus 8.

De Autoritate, & Consensu, Tutorum & Curatorum.

A*Vtoritas*, est species consensus, &, *auctorem fieri*, nihil aliud est, quam probare id, quod agitur.

Si multi sint tutores, tutelâ indivisâ, auctoritas unius sufficit; tutelâ divisâ, singuli debent pro suis partibus auctores fieri; at, si de tutela dissolvenda agatur, puta, si pupillus sit arrogandus, omnium consensus omnino requiritur.

Tutor non potest in rem suam auctor fieri.

Hactenus dicta, ad *Curatores* quoque attinent.

Titulus 9.

Quando ex Facto Tutoris, vel Curatoris, Minores agere, vel conveniri possunt.

E*X Facto Tutoris vel Curatoris, Minor certis tantum casibus habet Actionem*, eamq; non Directam, sed Vtilem: Veluti, si tutor vel curator pecuniam minoris credidit, & sibi stipulatus sit; vel, ex minoris pecunia rem emit; vel rem minoris locavit.

Minor

Minor contra, Vtili actione tenetur, ſi tutor vel curator condemnatus ſit, aut, ſi pecunia, quam tutor vel curator mutuo cepit, in rem minoris verſa ſit; aut, ſi ex dolo tutoris vel curatoris, minor locupletior factus ſit.

Titulus 10.

De Suſpectis Tutoribus, & Curatoribus.

S*Uſpectus Tutor vel Curator* dicitur, non ex facultatibus, ſed ex moribus; ſuſpectus enim eſt, qui male tutelam gerit, geſturusve eſſe videtur.

Hæc Accuſatio eſt quaſi publica, & quivis ad accuſandum admittitur. Impuberibus tamen, non permittitur, ſuſpectos tutores facere.

Cauſæ Suſpicionis juſtæ ſunt, dolus in tutela commiſſus, & culpa; denegatio alimentorum; item, ſi tutor repertorium non faciat; ſi nimis magnos ſumtus inſumat, aut res pupilli ſine juſta cauſa alienet. Eſt &, cum propter ſegnitiem, ruſticitatem, vel ſimplicitatem, tutor removetur. At, paupertate quamvis laboret tutor, tamen ſuſpectus non eſt; adjungi tamen ei Curator ex cauſa poteſt.

Pendente ſuſpecti judicio, adminiſtratio accuſato interdicitur.

Tutor ſuſpectus removetur, vel propter dolum, vel propter culpam: priori caſu, notatur infamia, poſteriori, non item.

DIGESTORVM LIBER XXVII.

Titulus I.

De Excuſationibus.

E*Xcuſatio*, eſt immunitatis allegatio; & eſt vel communis Tutori & Curatori, veluti propter ætatem

tem majorem 70. annis; aut propter numerum liberorum; vel Curatoris propria, veluti, ne quis cogatur curationem ejus suscipere, cujus tutelam gessit.

Qui se excusare vult, non appellabit, sed, ante inchoatam tutelam vel curam, causas coram Judice, sive unum, sive plures habuerit, intra 50. dies continuos numerandos, a tempore, quo scivit se datum, proponet. Si excusationem proposuerit, eamque Judex rejecerit, licebit appellare.

Titulus 2.

Vbi Pupillus educari, vel morari debeat: & de Alimentis ei præstandis.

AD personam Pupilli pertinent duo Judicis officia. Primum est, ut judex decernat, ubi pupillus educari vel morari debeat, habita ratione personæ, conditionis, & temporis. *Alterum est*, ut alimenta minori, a tutore vel curatore præstanda, pro modo facultatum, decernat.

Est autem Pupillus potissimum educandus apud Matrem, nisi Vitricum superinduxerit; aut apud alium ex Necessariis, maxime idoneum, & minime obnoxium suspicionibus. Alimenta sic statuentur, ut non universum reditum patrimonii exhauriant, sed, ut aliquid ex reditu supersit. Solent tamen interdum suo arbitratu pupillum tutores alere, si forte expediat, secreta patrimonii non divulgari.

Titulus 3.

De Tutelæ, & rationibus distrahendis & Vtili Curationis causa Actione.

ACtiones, quibus Tutores & Curatores a Minoribus conveniuntur, plures sunt. *Prima est Actio tutelæ*

telæ Directa, qua tutor finita Tutela rationem administrationis suæ reddere, & reliqua solvere cogitur, ita ut & dolum & culpam præstet, & famæ periculum subeat; quia, ob dolum damnatus, notatur infamia.

Secunda, est Actio de rationibus distrahendis, ex lege 12. tabb. qua Tutor, sive Testamentarius, sive Legitimus, sive Dativus, qui in tutela gerenda rem ex pupilli bonis abstulit, post tutelam finitam, convenitur in duplum, ita ut sit actio mixta, & rei æstimatio duplicata in condemnationem veniat.

Tertia Actio, est Vtilis, quæ datur Minori adversus Curatorem, etiam durante curatione, de aliqua particulari causa, non vero, ut curationis rationes reddantur; hæ enim, ante curationem finitam, reddi non debent: nam absurdum esset, rationem administrationis reposci ab eo, qui etiamnum in illa perseverat.

Titulus 4.

De Contraria Tutelæ, & Vtili Actione.

ACtiones, quæ Tutoribus vel Curatoribus adversus Minorem competunt, *duæ* præcipue sunt: *Vna, Actio Tutelæ Contraria*, quæ tutori contra pupillum datur, de eo, vel quod pro ratione tutelæ gestæ sibi abest, quia pro pupillo impendit: vel absuturum est, quia pro pupillo se obligavit. *Altera, est Vtilis Actio*, quæ datur Curatoribus cujuscunque generis, & quidem statim, etiam nondum finita cura, adversus Minores, ad omnia ea, quæ in Contraria tutelæ Actione obtinent, dummodo ex officio, & bona fide sumtus facti, obligationesque susceptæ, quamvis infaustum exitum habuere.

Titu-

Titulus 5.

De eo, qui pro Tutore, prove Curatore negotia gessit.

PRo *Tutore negotia gerit*, qui, cùm tutor non sit, munere tutoris fungitur, in re impuberis, sive putet se esse tutorem, sive sciens fingat se esse tutorem. Similiter, *pro Curatore se gerit* falsus Curator, sive putet se esse, sive sciat, se non esse curatorem.

Hic plures Actiones locum habent: 1. Actio protutelæ prætoria, quæ Minori contra eum, qui pro tutore negotia gessit, etiam durante administratione, competit. 2. Actio negotiorum gestorum, quæ contra eum, qui pro tutore, prove curatore, administravit, Minori competit. 3. Actio Contraria, quæ dictis personis datur adversus Minorem.

Titulus 6.

Quod falso Tutore auctore gestum esse dicatur.

FAlsus *Tutor*, qui dolo malo auctor factus est, ei tenetur, quem decepit, quique ignoravit, se cum falso tutore rem gerere, in id, quod ejus interest.

Hujus exemplo, datur actio in eum, qui dolo fecit, ut aliquis, falso putans se esse tutorem, auctor fieret. Datur ergo etiam ipsi Auctori, qui inscius, alterius dolo inductus est ad auctorandum.

Titulus 7.

De Fidejussoribus, & Nominatoribus, & Heredibus Tutorum & Curatorum.

CVm Tutor vel Curator teneatur satisdare, rem pupilli vel adolescentis salvam fore, certe *Fidejussores*

jussores ab eo dati, tenentur ex stipulatu. Tunc autem cum eis agi potest, quando & contra Tutorem vel Curatorem potest. *Beneficium Divisionis ex sua persona fidejussores non habent*, si plures ab uno tutore dati sint, sed ex persona tutorum habent, si pro multis tutoribus caverunt.

Tenentur porro, *qui per se, vel per alium postularunt*, aut nominarunt Tutorem vel Curatorem.

Deniq; *tenentur Heredes Tutorum vel Curatorum*: atque hi præstant etiam ex sua persona dolum, & latam culpam, de sua vero levi culpa non tenentur.

Titulus 8.

De Magistratibus conveniendis.

SI a personis hactenus expressis, quod pupillorum est, exigi non possit, *Actio Subsidiaria* datur in eos, qui satisdationem exigere debent, ut Magistratus municipales, & Scribas, si aut satisdationem non exegerunt, aut non convenienter passi sunt caveri, aut nominarunt minus idoneos.

Hac Actione, Majores Magistratus, ut Prætores & Præsides, non tenentur, quoniam ex aliorum relatione tutores dare, & fidejussores admittere solent.

Si plures sint Collegæ, & omnes sint solvendo, eis datur Beneficium Divisionis, ut singuli pro partibus conveniantur, si modo ex culpa, non ex dolo rei postulentur.

Titulus 9.

De Rebus eorum, qui sub Tutela vel Cura sunt, sine Decreto non alienandis, vel supponendis.

T*Utor vel Curator non potest prædia rustica, vel suburbana, sine decreto Prætoris, alienare*, vel pi-

gnori ſive hypothecæ ſupponere; quoniam alienatio, vel ſuppoſitio ipſo jure nulla eſt, ex oratione Severi. Conſtantinus hoc jus produxit ad omnes res Minorum, quæ ſervando ſervari poſſunt.

Titulus 10.

De Curatoribus, Furioſo, & aliis extra Minores dandis.

N*On ut Tutor datur ſolum Pupillis, ita Curator datur ſolum Adoleſcentibus*; ſed datur etiam furioſis, mente captis, prodigis, mutis, ſurdis, perpetuo morbo laborantibus, & cæteris, qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt; bonis item ventris nomine, & bonis hereditatis jacentis, aut bonis debitoris distrahendis.

Legitimus Curator, furioſi vel prodigi, eſt Agnatus: ſed, ſi hic non ſit idoneus, alius a Prætore datur.

Curatio finitur, cum cauſa dati Curatoris ceſſat: veluti, cum furioſus ſanitatem mentis, prodigus bonos mores recepit.

Curator interdum datur etiam pupillo, veluti ſi Tutor non ſit idoneus, vel ſit ad tempus excuſatus; quia tutorem habenti, tutor dari non debet.

Mulieribus etiam olim indiſcriminatim Curatores dati fuere, præſertim in ſolemnibus conjugiorum, teſtamento condendo, alienationibus bonorum faciendis. Quod, etſi poſtea obſolevit, tamen in litibus & alienationibus majoribus, etiamnum Mulieres Curatores habere coguntur.

DI-

DIGESTORVM LIBER XXVIII.

Titulus I.

Qui Teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum Teſtamenta fiant.

TEſtamentum, *Juſtinianus ait dici à teſtatione mentis:* quod ſic intelligendum, teſtamentum derivari à teſtatione, majoris autem expoſitionis cauſa adjici, hanc eſſe teſtationem mentis.

Teſtamentum, eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.

Teſtamenti factio eſt juris publici; non utilitate, quia pertinet ad privata patrimonia: *ſed autoritate;* quia nemo poteſt teſtari, niſi cui Lex, vel Princeps, nominatim conceſſit.

Teſtamentorum olim erant tria genera: *Vnum*, quod Comitiis Calatis coram Populo fiebat, ut pleræque omnes ſolemnes actiones. *Alterum* minus ſolemne, quod in procinctu faciebant exituri jam in prælium. *Tertium*, per Æs & Libram dicebatur. Nam, cum ſæpe extra tempus Comitiorum homines obire contingeret, inventum eſt genus teſtamenti, quod per mancipationem, id eſt imaginariam venditionem, (mancipare enim vendere & alienare ſignificat,) condebatur, coram quinque teſtibus, Civibus Romanis puberibus, & libripende, i. e. ponderatore, atque eo, qui familiæ, id eſt hereditatis, emtor dicebatur. Nam, hæc imaginariæ venditionis ſolemnitas omnibus fere familiarum tranſlationibus, mutationibus, rerumque majoris momenti mancipationibus

adhibebatur; quod nullam justiorem esse alienationem, quam quæ per venditionem fieret, Veteres arbitrarentur. Aliud deinde Testamenti genus, ad evitandas has juris antiqui subtilitates, Prætor per subscriptionem testium invenit, ut, si quis testamentum septem testium signis consignari curasset, perfectum esset jure Honorario testamentum. Sed, hæc genera omnia jampridem exoleverunt, nisi quod solemnitatum vestigia manent.

Testari secundum legem 12. tabb. potest *Paterfamilias*, qui complevit annum ætatis suæ decimum quartum; & *Materfamilias*, quæ complevit duodecimum. *Complevisse* autem videtur, qui extremum diem anni quarti decimi, quæve extremum diem anni duodecimi attigit. *Filiusfamilias* non testatur, ne quidem patre permittente, nisi de peculio castrensi, vel quasi castrensi.

Cum quis in scriptis testatur, debet observare omnes juris solemnitates; quia nemo potest efficere, quo minus leges in suo testamento locum habeant.

Cum quis sine scriptis testatur, valebit testamentum, si testator, coram septem testibus specialiter rogatis, palam heredem nuncupet, ac cætera suæ voluntatis pronunciet.

Titulus 2.

De Liberis, & Posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis.

VT testamentum valeat, insuper *Suorum heredum, suorumq; Posthumorum* ratio habenda, ne prætereantur, sed vel heredes instituantur, vel exheredentur.

Suus

Suus heres parenti est, qui est in ejus potestate, ita ut nulla sit inter eos persona interjecta, ut filius, & nepos ex filio, post nepotem conceptum, defuncto vel emancipato.

Posthumus proprie dicitur, qui post mortem patris nascitur, vel ex secto ventre extrahitur.

Suus Posthumus est, qui, si vivo parente nasceretur, inter suos heredes futurus esset. Cæteri, sunt Posthumi alieni.

Quasi Posthumus est, 1. qui nascitur vivo parente, post testamentum ejus conditum. 2. Quem testator post factum testamentum adoptat. 3. Qui ante parentis testamentum natus est non suus heres, & post parentis testamentum in locum sui heredis succedit: ut nepos natus vivo filio, eique post testamentum avi superstes. 4. Qui morte avi recidit in potestatem patris. 5. Filius naturalis, quem pater post factum testamentum legitimavit.

Institutus dicitur, quem testator ad hereditatem vocat.

Exheredatus dicitur, quem testator ab hereditate submovet.

Exheredatio olim fiebat, aut *nominatim*, id est, expresso exheredati nomine; veluti: Titius filius meus exheres esto; vel alia demonstratione, quæ vice nominis fungitur; uti: Filius, quem ex Seja suscepi, exheres esto: aut fiebat *inter cæteros;* veluti: Cæteri exheredes sunto. Sed, quamvis olim solos filios nominatim exheredare oporteret, tamen hodie nulla exheredatio valet, nisi nominatim fiat.

Suo herede præterito, testamentum est ipso jure nullum.

Posthumo, vel quasi posthumo prӕterito, testamentum initio valet; sed, eo nascente, vel in locum sui heredis succedente, rumpitur.

Suo herede sine justa causa exheredato, testamentum ipso jure valet, sed, per querelam inofficiosi, rescindi potest.

Justa exheredationis causa, in posthumum vel infantem non cadit; quia, nec ex sua persona digni exheredatione videri possunt, nec debent alieno odio prӕgravari.

Titulus 3.
De Injusto, Rupto, Irrito facto Testamento.

TEstamentum injustum est, in quo vel desunt juris solemnia, vel, in quo suus heres est prӕteritus.

Testamentum Rumpi dicitur, cum, in eodem statu manente testatore, jus testamenti vitiatur. *Rumpitur autem*, 1. agnatione, vel quasi agnatione sui heredis, id est posthumi, vel quasi posthumi. 2. Posteriori testamento, quod jure perfectum est, licet nemo ex eo heres existat; quia nemo paganus potest decedere cum duobus testamentis; & posterius prӕvalet.

Irritum fit testamentum, 1. cum testator capite minuitur. Sed, testatore capto ab hostibus, testamentum confirmatur jure postliminii, si in civitatem reversus fuerit; aut lege Cornelia, si ibi decesserit. 2. Fit irritum, si ex eo hereditas non adeatur.

Titulus 4.
De his, quӕ in Testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.

TErtio modo fit irritum testamentum, *si Testator consulto verba testamenti deleverit, aut induxerit,*

rit, aut inſcripſerit. Delemus, lituris : *inducimus*, ducta per medios verſus linea : *inſcribimus*, novis literis, quibus turbatur ſcriptura : *cancellamus*, certis notis ſcripturam concludentes.

His modis voluntas teſtatoris in irritum recidit, ſi id ab ipſo teſtatore fiat, animoq; revocandi, quæ reliquit. Nam ſi teſtator id caſu, vel alius quacunque ratione fecerit, voluntas rata manet, ac ſufficit verba legi poſſe.

Aliquibus deletis, cætera ſalva manent, adeo, ut, deleta ſola heredis inſtitutione, legata nihilominus debeantur, niſi teſtator voluerit totum teſtamentum infirmare.

Titulus 5.

De Heredibus inſtituendis.

H*Eredis inſtitutio*, eſt ultima voluntas, qua teſtator ſuam hereditatem alicui poſt mortem ſuam directo confert.

Heredis inſtitutio adeo connexa eſt cum teſtamento, eique eſſentialis, ut nec dari ab homine hereditas extra teſtamentum poſſit, nec teſtamentum ſine heredis inſtitutione conſiſtat.

Heredes inſtitui poſſunt, tam liberi homines, quam ſervi proprii, vel alieni.

Teſtator poteſt, vel unum, vel plures, quotcunq; vult, heredes facere; atque, cum plures inſtituuntur, fiunt heredes ex partibus æqualibus, niſi teſtator partes inæquales attribuerit.

Titulus 6.

De Vulgari, & Pupillari Subſtitutione.

I*Nſtitutio heredis* eſt, quæ fit primo gradu.

Subſtitutio, eſt ſecundo, vel ulteriore gradu facta inſtitutio.

Omnis ſubſtitutio in aliquem caſum fit. *Caſus*, eſt incertus eventus, in quem ſubſtitutio confertur.

Subſtitutio dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Quaſi pupillarem, ſeu Juſtinianeam, quam vulgo vocant Exemplarem, & denique Militarem. Etenim qui ſubſtituit, aut ſibi, aut alteri heredem facit. *Sibi*, duobus modis: id eſt, vel, ſi primus heres non erit, & eſt ſubſtitutio vulgaris; vel, ſi heres erit, & poſtea heres eſſe deſierit, & eſt militaris; quia tantum milites ex ſpeciali privilegio poſſunt ita ſubſtituere. *Alteri* ſubſtituitur, id eſt ei, qui non poteſt facere teſtamentum; vel propter ætatem, & eſt ſubſtitutio pupillaris; vel propter animi vitium, & eſt ſubſtitutio quaſi pupillaris, ſeu Juſtinianea, vel Exemplaris.

Titulus 7.

De Conditionibus Inſtitutionum.

CO*nditio*, eſt adjectio præter ſubjecti eſſentiam, actum, ob incertum futurum eventum, ſuſpendens, ita, ut ea impleta actus valeat, deficiente, reddatur inutilis.

Si quæratur, *an ſub conditione inſtitui poſſit heres*, diſtinguendum inter conditiones, & inter heredes.

Conditio alia Perplexa eſt, alia Non perplexa. *Perplexa*, uti ſi quis dicat: Si Titius heres erit, Sejus heres eſto; Si Sejus heres erit, Titius heres eſto. *Non perplexa*, eſt vel Poſſibilis, vel Impoſſibilis. *Poſſibilis*, eſt vel Caſualis, quæ a caſu; vel Poteſtativa, quæ a poteſtate; vel Mixta, quæ partim a poteſtate, partim a caſu dependet. *Impoſſibilis*, eſt talis, vel Natura, cui rerum natura obſtat; vel Jure, cui Lex, vel boni mores impedimento ſunt; vel Facto, quæ quidem in ſe non eſt impoſſibilis, ſed tantum perſonis heredum.

Heres

Heres Suus, in potestate constitutus, nequit sub alia conditione institui, quam potestativa. Quod si vero instituatur sub Casuali, vel Mixta, vel Impossibili Conditione, nullius momenti erit institutio, tanquam si esset præteritus.

Extraneus heres institui potest sub qualibet Conditione possibili, etiam difficili, &, si hanc non impleverit, hereditatem non acquirit. *Conditio* vero *impossibilis*, natura vel jure, habetur pro non adjecta. Institutio, sub *perplexa conditione*, nullius est momenti.

Possunt quoque *plures Conditiones* testamento apponi, atque id, vel conjunctim, vel disjunctim. Si conjunctim, omnibus parendum est; si disjunctim, sufficit unam existere.

Titulus 8.

De Jure Deliberandi.

Jus deliberandi est, quo heres, sive scriptus, sive ab intestato succedens, intra certum tempus sibi præstitutum, apud se expendere potest, utrum hereditatem adire, vel repudiare velit.

Olim Testatores deliberationi *fere centum dies* utiles, aut continuos, præscribere solebant. Sed, *si Testator hoc prætermiserit*, is, qui jurisdictioni præest, ex Edicto Prætoris, tempus heredi præstituet, non minus centum dierum. *Novissime Justinianus* constituit, ut *non amplius novem mensibus a Judice, nec ultra annum, heres a Principe*, impetrare deliberandi causa possit, &, ut intra hoc tempus, jus deliberandi non solum Heredi Scripto, vel Legitimo competat, sed etiam ad ejus Successorem, eo intra deliberandi tempus moriente, transferatur: &, ut heres omne

periculum vitet, si rerum hereditariarum inventarium fecerit ex præscripto.

Beneficium Inventarii, est beneficium singulare, concessum heredi, ne in damnum incidat, modo legitime Inventarium conficiat.

Ad Inventarium legitime conficiendum, requiritur, 1. Justum tempus. Est enim a præsente, intra 30. dies, ex quo delatam sibi hereditatem scivit, inchoandum, & intra 60. dies plene absolvendum. Ab absente vero, qui non est in eo loco, in quo res hereditariæ sunt, vel maxima earum pars, intra anni spatium, a morte testatoris numerandum, inchoari & absolvi debet. 2. Vt fiat per certas personas, nempe, per tabelliones minimum duos. 3. Vt sint præsentes, quorum interest, vel, si horum copia esse non possit, tres testes idonei. 4. Res omnes hereditariæ specifice describendæ sunt, imo & fructus, & aliæ accessiones, quæ postea provenerunt. 5. Vt subscribat heres, vel, si ignarus sit literarum, tabellio ad hoc specialiter adhibendus, signo, manu heredis proposito, coram testibus notis. 6. Vt circa subscriptionem adjiciatur ab herede, quod nulla malitia sit usus, & quod nihil penes eum remanserit.

Si in conficiendo Inventario peccatum fuerit, corruit beneficium, nisi levis aliqua solemnitas sit omissa. Si vero *ab herede quid subtractum, vel occultatum* sit, in duplum convenietur.

Ex beneficio Inventarii id conseqvitur heres, 1. quod non tenetur ultra vires hereditatis. 2. Si superest aliquid, per legem Falcidiam potest deducere quartam ex legatis. 3. Creditoribus primo venientibus potest exsolvere, quin & legatariis ei satisfacere licet. 4. Creditores, qui suum, post emensum patrimo-

trimonium, non ſunt conſecuti, ſupervenientes, ipſum heredem, vel emtorem non poſſunt convenire, ſed creditores, quibus minus juris eſt, vel legatarios. 5. Heres poteſt retinere, quicquid in funus, in teſtamenti inſinuationem, inventarii confectionem, vel alias neceſſarias cauſas, expendit. 6. Id, quod heredi debetur a defuncto, non confunditur, ſed heres ſimile jus cum aliis creditoribus habet, unicuique ex creditoribus ſua prærogativa ſervata.

DIGESTORUM
LIBER XXIX.
Titulus I.
De Teſtamento Militis.

M*ilites, in condendis teſtamentis, habent propria jura & privilegia.* 1. *Circa perſonam:* quia mutus & ſurdus indiſtincte poteſt facere teſtamentum, item filiusfamilias, nec non ex militari delicto capite damnatus. 2. *Circa teſtamentum:* quia non ſolum jure communi, ſed etiam jure militari, omiſſis ſolemnitatibus regulariter requiſitis, miles teſtari poteſt, nempe, cum in caſtris degit, & in expeditione occupatur. Idem poteſt pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere: præterea, ſilentium ejus, non ignorantis ſe habere liberos, pro exheredatione habetur; & ejus teſtamentum, de peculio caſtrenſi factum, non ſubjacet querelæ inoſficioſi. 3. *Circa Heredem inſtituendum, & ſubſtituendum.* Poteſt enim heredes inſtituere etiam deportatos, & fere omnes, qui teſtamenti factionem non habent; & heredem facere ex certo tempore, vel ad certum tempus; ſubſtituere

vero

vero etiam ei, qui heres extitit, etiamsi post pubertatem decesserit.

Titulus 2.

De Acquirenda, vel Omittenda Hereditate.

A*Cquirit Hereditatem Extraneus* adeundo, vel pro herede se gerendo: *Suus heres*, ipso jure, si ad jus civile respicias; vel immixtione, si spectes jus prætorium.

Pro herede gerit, qui aliquid facit quasi heres, vel, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat hereditarium.

Se immiscere dicitur, qui id facit, quo facto, nisi Suus esset, pro herede gerere diceretur.

Finis & Effectus aditæ hereditatis est, ut omne jus, quod habuit defunctus, heres acquirat, & ut in eum omnes Actiones transeant, quæ defuncto, & in defunctum, competebant: utque omnia hereditatis onera subire, & creditoribus, ac legatariis satisfacere cogatur, nisi quidem cum Beneficio Inventarii adierit.

Omissio hereditatis, dividitur in Omissionem proprie dictam, Repudiationem, & Abstentionem.

Omittit proprie Suus, vel Extraneus, qui tempore excluditur. *Repudiat* Extraneus, qui profitetur, se nolle fieri heredem. *Abstinet Suus*, beneficio Prætoris, cum jure civili sit heres necessarius.

Titulus 3.

Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.

T*Estamentum aperiri & publicari debet*, intra tertium aut quintum a morte diem, ejusque inspiciendi

ciendi & describendi copia cuilibet postulanti facienda; cum, quia de his, quæ ad testamentum pertinent, neque sine judice transigi, neque apud judicem veritas exquiri aliter potest, quam inspectis & cognitis testamenti verbis; tum, quia publice interest, ultimam testatoris voluntatem ad exitum perduci, &, quia insuper testamentum est instrumentum publicum.

Si is, penes quem sunt Tabulæ Testamenti, *eas inspici & describi non patiatur*, ad hoc, officio Magistratus, compelletur: quanquam *Heredi*, ad vindicandas Tabulas, etiam ad Exhibendum, & in Rem Actio competit, &, si quis neget se Tabulas habere, Interdicto de Tabulis exhibendis recte convenitur.

Prætoris, aut alterius Magistratus, officium est, ut, cum Tabulæ aperiendæ sunt, cogat Signatores convenire, & *sigilla sua recognoscere*, vel negare, se signasse. Si quis neget se sigillum suum agnoscere, nihilo minus aperiuntur Tabulæ, quod & fit cum aliquis abest; suspectæ tamen hac ratione Tabulæ evadunt.

Testamenti inspectio ita est concedenda, ut legi possit. Sed *Prætor excipit* diem & Consulem, quos describi aut inspici non vult, ne falsi committendi occasio detur.

Titulus 4.

Si quis, omissa causa Testamenti, ab Intestato, vel alio modo possideat Hereditatem.

SI quis, omissa successione sibi ex testamento delata, hereditatem alia ratione possidet, distinguendum: Aut enim titulo universali, pro herede, vel pro possessore,

ſeſſore, poſſidet; aut particulari, ut pro emtore, pro dote, pro donato.

Qui titulo universali poſſidet, utili actione prætoria perinde tenetur legatariis & fideicommiſſariis, ac ſi ex teſtamento ſucceſſionem accepiſſet: qua ratione prætor ejus dolo occurrit, qui, in fraudem legatariorum, ſucceſſionem ſibi teſtamento delatam omiſit. *Qui titulo particulari poſſidet*, hac actione non tenetur.

Titulus 5.

De SCto Silaniano, & Claudiano, quorum Teſtamenta ne aperiantur.

H*Ereditas vel manet* penes heredem, qui eam acquiſivit; *vel ei aufertur*, tanquam indigno. Regulariter manet; tanquam indigno aufertur certo caſu. Talis eſt, ſi hereditatem quis adierit, vel bonorum poſſeſſionem petierit, vel ſuus heres bonis ſe immiſcuerit, priusquam ex SCtis de familia quæſtio habita, ac ſervi noxii puniti ſint. Noxii intelligendi, qui vel necarunt, vel, cum poſſent, opem non tulerunt. Necatus intelligendus, qui vi, non clam, aut dato veneno, periit. Non tamen, eo clam occiſo, delictum impunitum relinquitur; ſed tantum tabularum recitatio, & hereditatis acquiſitio non differtur: nihilominus quæſtio habetur, & ſupplicium de noxiis ſumitur; heredi vero, ut crimen judicio perſequatur, incumbit.

SCto Silaniano, quod C. Cæſare Octavio Auguſto, & M. Junio Silano Coſſ. latum, cautum eſt, ne teſtamenti tabulæ ejus, qui necatus eſſe dicetur, ante aperiantur, quam de ſervis, ſub eodem tecto exiſtentibus, vel criminis conſciis, vel, qui ſimul cum domino

mino, puta in itinere fuerunt, quæstio habeatur, & noxii puniantur.

SCtum Claudianum, quod etiam *Neronianum*, ac *Pisonianum* dicitur, & Claudio Nerone Cæsare, ac L. Calpurnio Pisone Coss. factum est, sententiam Silaniani SCti confirmavit, & insuper jussit, viro occiso, de servis uxoris, & uxore necata, de mariti servis, æque haberi, ac de propriis personæ occisæ servis, quæstionem.

Edicto Prætoris, quod SCtis accessit, cavetur, 1. ne quid ad causam testamenti pertinens, sciens quis, dolo malo, aperiundum, recitandum, vel describendum curet; priusquam de servis ex SCto quæstio habita, & de noxiis supplicium sumtum fuerit, & ut, qui adversus ea fecerit, teneatur actione populari in centum aureos; cujus summæ dimidia pars accusatori conceditur, altera dimidia confiscatur. Cavetur 2. ne heres scriptus prius adeat, vel se immisceat, vel bonorum possessionem petat, quam quæstio habita sit, & noxii puniti sint: alioquin hereditas tanquam indigno auferenda, & confiscanda.

Titulus 6.

Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit.

SI quis, dum hereditatem captat legitimam, vel, ex testamento antea facto, *prohibuerit quem facere testamentum, vel mutare*, D. Hadrianus constituit, denegandas ei esse Actiones, & Fisco locum fore. Idem juris est, si dolo fecerit, ne testes venirent.

Si quis testari coëgerit, id est, si quem coëgerit, ut se heredem faceret, is carebit hereditate, eaque Fisco tribuetur.

Fiscus

Fiscus capit tantum partem delinquentis. Nam, si alii cum illo succedant, ejus factum cæteris insontibus nocere non debet. Quod si igitur indubie & certo constet, quod testator aliquem heredem esse voluerit, alterius maleficium ei non nocebit; nec Fiscus ex aliena calamitate sentire emolumentum debet.

Maritus, qui non vi, aut dolo, sed maritali sermone, uxorem sibi ita benevolam reddidit, ut ab ea heres institueretur, extra pœnam est.

Titulus 7.

De Jure Codicillorum.

CODICILLI, sunt ultimæ voluntatis instrumentum, citra hereditatis directam dationem, vel ademtionem.

Fiunt Codicilli, aut ex testamento, aut abintestato. Priori casu, sunt quasi pars, accessio & sequela ipsius testamenti: *posteriori casu*, vicem exhibent testamenti, id est, sunt quasi testamentum quoddam imperfectum, utpote cum hereditas in iis dari vel adimi non possit.

Codicilli similes *sunt testamento*: 1. Quia utrumque est ultimæ voluntatis instrumentum. 2. Quia is potest facere codicillos, qui habet testamenti factionem. 3. Quia utrumque debet fieri uno contextu. 4. Quia utrumque potest fieri in scriptis, vel sine scriptis.

Codicilli differunt a testamento: 1. Quia nullam solemnitatem desiderant. 2. Quia quinque testes, etiam non rogati, in codicillis sufficiunt. 3. Quia possunt fieri plures codicilli; testamentum vero unius testatoris necessario unum est, nam posteriori, prius omnino tollitur.

Testa-

Teſtamentum, quod jure teſtamenti non valet, puta, quia coram quinque teſtibus factum eſt, non valet jure codicillorum, niſi teſtator hoc juſſerit, appoſita *clauſula*, quam *codicillarem* appellant. Ea eſt: Si teſtamentum meum non valet jure teſtamenti, valeat jure Codicillorum; atque hæc, inſtitutionis jus, ad cauſam Fideicommiſſi trahit.

Codicilli revocantur, aut per ſubſequens Teſtamentum, aut Codicillos contrarios. Nam, ſi diverſi tantum ſint, utrique ſuſtinentur, ſicuti diverſa legata; etiamſi poſterius teſtamentum, omni caſu ſemper rumpat prius.

DIGESTORVM LIBER XXX.

De Legatis, & Fideicommiſſis. I.

LEgatum, eſt donatio, teſtamento relicta.

Genera Legatorum erant olim quatuor: 1. *Per Vindicationem*, ut, cum his verbis relinquebatur: Do, Lego, Capito, Sumito &c. Hinc naſcebatur Rei vindicatio, cum ex reliquis Legatorum formis, tantum Perſonales actiones darentur. 2. *Per Damnationem*, ut hoc modo relictum: Heres meus damnas eſto dare; Dato; Facito; Heredem meum dare jubeo &c. 3. *Sinendi modo*, cum hac videlicet forma legatur: Heres meus damnas eſto, ſinere Titium ſumere illam rem, ſibiq; habere. 4. *Per Præceptionem*. qu modo ſolis heredibus recte prælegatur: v. c. Titius illam rem præcipito, i. e. habeto præcipuam. Sed hodie, illorum generum diſcrimina ſublata ſunt; cum quibuscunque verbis indifferenter legari poſſit,

Fideicommissum est, quod precative relinquitur.

Fideicommissorum duo sunt genera: Vniversale, id est hereditatis; & *Particulare*, id est singularum rerum.

Differentiæ inter Legata & Fideicommissa plures sunt. Nec obstat, quod Vlpianus ait, per omnia esse exæquata legata fideicommissis; nam, is sermo, tantum ad legem Falcidiam, & quartæ retentionem attinet.

Differentiæ potiores hæ sunt: 1. Legatum fit verbis directis; Fideicommissum precariis. 2. Omne Legatum est particulare; Fideicommissum vero partim est universale, partim speciale, seu particulare. 3. Legata non valent nisi ex testamento; Fideicommissa vero etiam ab intestato relinqui possunt. 4. Fideicommissi proprium est, ut, qui præsens a testatore rogatur, omnimodo fideicommissum solvere cogatur, nisi juret, se non fuisse a testatore rogatum.

Primo hoc Libro Digestorum, de Legatis & Fideicommissis, *agitur potissimum de Rebus legatis. Legari* autem *possunt* res omnes, quæ sunt in commercio, dummodo non sint ipsius legatarii: item legantur tam corporales, quam incorporales. Imo, legari possunt etiam ea, quæ non sunt in rerum natura, si modo fore sperentur, uti sunt futuri fructus.

DIGESTORVM
LIBER XXXI.
De Legatis, & Fideicommissis. 2.

L*Ibro Secundo agitur de Personis.*

Legare potest, qui testamentum facere potest: atque hoc non solum obtinet in legato, quod ex testamento valet, sed etiam ex fideicommisso.

Ill

Illis legari potest, quibuscum testamenti factio est; item legari potest vel uni, vel pluribus, iisque aut conjunctim, aut disjunctim.

DIGESTORVM
LIBER XXXII.
De Legatis, & Fideicommissis. 3.

T*Ertius liber ad Verborum Significationes attinet*. Notandæ igitur Regulæ: 1. A propria verborum significatione non est recedendum, nisi manifesta sit testatoris voluntas. 2. Testatoris voluntas, si de ea constet, verborum proprietati prævalet. 3. Nemo aut sine voce, aut utens vocabulo omnino alieno, potest videri aliquid dixisse: ut puta, qui supellectilem legavit, non potest videri togam legasse.

DIGESTORVM
LIBER XXXIII.
Titulus 1.
De Annuis Legatis, & Fideicommissis.

C*Vm in singulos annos legatur*, ejus legati propria hæc sunt: 1. *Plura sunt legata*; & primi quidem anni legatum est purum, sequentium conditionale; videtur enim hæc inesse conditio, si Legatarius vivet, & ideo, mortuo eo, legatum sequentium annorum ad ejus heredem non transit. 2. *Legatum initio anni debetur*: idcirco extremi anni legatum pertinet ad heredem Legatarii, licet non toto anno Legatarius vixerit. 3. *Si legatum sit, annua bima, trima die*, binis aut tribus pensionibus solvetur, & quidem æqualibus; nisi alia fuerit testatoris voluntas.

Similis est expositio Menstrui legati; puta, quod sunt plura legata, & quod primi mensis legatum purum est, sequentium conditionale, & quod initio singulorum mensium debetur.

Titulus 2.

De Vsu, & Vsufructu, & Reditu, & Habitatione, & Operis, per Legatum, vel Fideicommissum datis.

C*Ui Vsus legatus est*, ipse uti debet, nec facultatem utendi ad alium transferre potest; & ad necessitatem tantum quotidianam modicos fructus, si qui sunt, percipit.

Is, cui Vsusfructus legatus est, & omnes fructus percipit, & facultatem utendi fruendi ad alium transferre potest.

Reditus, notat præstationem talem, quæ solet fieri Legatario a Proprietario, cum ipse Proprietarius possidet, & re utitur, fruitur. Vnde, si bonorum meorum reditum omnibus annis uxori meæ dari volo, ad heredem uxoris legatum non transit, sed aut usufructui, aut legato in annos singulos simile, cessat.

Si Habitatio in singulos annos legetur, plura sunt legata, quæ initio singulorum annorum debentur, & morte Legatarii Legatum finitur.

Operæ, sive *officiorum præstationes*, legari possunt, tam liberi hominis, quam servi.

Operæ legatæ locari possunt, atque hoc Legatum, nec capitis diminutione, nec non utendo, nec morte Legatarii finitur; non enim legatarius fructuarii personam sustinet.

Titu-

Titulus 3.

De Servitute legata.

S*Ervitus prædialis* ei tantum legari poteſt, qui prædium habet, cui acquiratur.

Si *a pluribus heredibus* ſervitus legetur, a ſingulis ſolidum debetur, quia eſt individua.

Legatum Servitutis eſt perpetuum, nec finitur morte Legatarii; quia ſervitus non eſt jus perſonale, ſed reale; nec ad tempus ipſo jure, ſed in perpetuum conſtituitur.

Titulus 4.

De Dote prælegata.

C*Um maritus uxori dotem legat*, dicitur dos *relegata*, quia mulieri redditur, & ad eam revertitur; vel *prælegata*, quia reſtitutio dotis repræſentatur, id eſt, citius dos reſtituitur propter legatum, quam reſtitueretur, ſi legata non eſſet. Hoc igitur Legatum eſt utile, quia plenius eſt, quam Actio de dote.

Titulus 5.

De Optione, vel Electione legata.

O*Ptio ab Electione differt*, uti legitimus & ſolemnis actus, ab actu vulgari. Sed hodie, ſublatis veterum ſolemnitatibus, inter optionem & electionem legatam nihil intereſt.

Cum Genus legatur, ut homo, vel bos, ſive teſtator optionem electionemve Legatario dederit, ſive ſimpliciter legaverit, electio Legatarii eſt, ut ex rebus teſtatoris, quæ illius generis ſunt, eligat, quam rem velit,

velit; ſic tamen, ut nec optimum eligere poſſit, nec peſſimum accipere cogatur: *ſemper enim electio eſt legatarii*, niſi teſtator electionem heredi conceſſerit.

Si electio Servi data ſit, Legatarius eliget ex ſervis teſtatoris, quem volet. Si *in numero multitudinis* electio ſervorum, non expreſſo certo numero, data ſit, tres eligi poterunt. *Si optio pluribus* ſit legata, neque in electione conſentiant, ſorte res dirimetur, & illius optio prævalebit, in quem ſors ceciderit; quod & in pluribus legatarii heredibus obtinet.

Optio ante aditam hereditatem fruſtra fit; poſt eam aditam, ſi ceſſet legatarius eligere, Prætor decernit tempus, intra quod optandum ſit, ne heres, dum in incerto hæret, & quid ſuum, quid legatarii ſit, ignorat, incommodo aliquo afficiatur.

Semel Optione facta, mutare voluntatem legatarius non poteſt; quia omne jus legati prima optione conſumitur.

Optionis legatum, etſi conditionem perſonæ adhærentem continet, nec videtur per alium poſſe impleri, tamen, favore ultimarum voluntatum, *transire* illud ad heredem legatarii Juſtinianus voluit.

Titulus 6.

De Tritico, Vino, vel Oleo legato.

De *Tritici*, *Vini*, *vel Olei legato*, notandum 1. Non expreſſa qualitate, ſed tantum quantitate, puta, centum pondo olei do lego, heres dabit, quale volet; niſi teſtator electionem legatario dederit 2. Non expreſſa certa quantitate, ſed indefinite legato concepto, veluti: Heres meus uxori meæ oleum, acetum, dare damnas eſto, id omne debebitur quo

quod testator mortis tempore reliquit. 3. Si certa quantitas legetur, ex eo, quod in fundo nascetur, præstabitur, &, si minus nascatur, non plus legatario debebitur, quam natum erit. 4. Vino legato, tam vinum doliare, quam vinum diffusum debetur, una cum vasis, quæ non ad perpetuum usum reservantur, ut cadis & amphoris. *Vinum doliare* est, quod in doliis servatur. *Diffusum* est, quod ex doliis in vasa, ut cados, & amphoras, diffusum est. *Vinum* autem *pendens*, significat ipsas uvas, & vindemiam nondum collectam. Plaut. in Trin. Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putridum. 5. *Vino veteri* legato, ex usu testatoris legatum æstimabitur; qui, si non appareat, vinum superioris anni, non vinum hornum, legatario debebitur. 6. *Vino legato*, id debetur, quod, ex vinea natum, vinum permansit, non zythus, non hydromeli, non mulsum: acetum tamen, & œnomeli, id est vinum dulcissimum, debentur.

Titulus 7.
De Instructo, vel Instrumento legato.

F*Undi Instructi* legatum, non solum instrumenta continet, veluti Ligones, & Aratra, sed etiam Instrumenta patrisfamilias, quibus in eo fundo instructior est, ut Mensas, Scamna, Lectos.

Instrumentum Fundi est, quod fructus quærendi, cogendi, vel conservandi causa paratum est, omnisq; apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus possessio exerceri nequit.

Titulus 8.
De Peculio legato.

L*Egari potest aut Servus, aut Peculium*, aut Servus & Peculium, aut Servus cum Peculio, & vel

legatur Peculium ipsi Servo manumisso, vel extraneo. Filii quoque familias peculium legari potest vel Extraneo, vel ipsi Filio.

Titulus 9.
De Penu legata.

PAulus JC. in l. 4. h. t. notat, nomen *Penus* omnibus generibus dici. Nam penus in masculino genere est secundæ, vel quartæ declinationis; in fœminino, tantum quartæ; in neutro tertiæ; dicitur etiam in neutro genere *penum* secundæ declinationis, & *penu* indeclinabile.

Penus appellatione, continentur esculenta & potulenta, ad futurum usum recondita, in loco, quem inde *Penarium* vocamus.

Titulus 10.
De Supellectile legata.

S*Upellex*, est domesticum patrisfamilias instrumentum, & omnis res, quæ ad ornamentum ædium, & usum communem familiæ est parata; non argentum, non aurum factum, non vestis.

DIGESTORUM LIBER XXXIV.

Titulus 1.
De Alimentis, & Cibariis legatis.

A*Limenta*, dicuntur ea, sine quibus corpus ali non potest: ut cibaria, vestitus, habitatio. *Cibariorum* appellatio angustior est, & ea tantum complectitur,

quæ

quæ ad cibum quotidianum pertinent, non habitationem, non veſtes.

Vsq; ad pubertatem relicta alimenta, debentur pueris usq; ad annum 18. puellis usq; ad 14.

Titulus 2.

De Auro, Argento, Mundo, Ornamentis, Vnguentis, Veſte, vel Veſtimentis, & Statuis legatis.

A*Urum & Argentum* eſt vel Infectum, vel Factum, vel Signatum. *Infectum* eſt, quod certam ſpeciem non ſuſcepit, ſed eſt in maſſa, aut lamina. *Factum* eſt, quod certam ſpeciem recepit; ut vaſa aurea vel argentea. *Signatum* eſt, quod, publica forma percuſſum, inter numeratas pecunias refertur. Sed Auro, vel Argento legato, tantum factum, & infectum, non etiam ſignatum, continetur. *Gemmæ* autem, annulis aureis incluſæ, ad legatarium, una cum annulis, tranſeunt.

Mundus muliebris eſt, quo mulier fit mundior, & elegantior, ut Specula, Calamiſtra.

Ornamenta muliebria ſunt, quibus mulier ornatur, id eſt, quæ ad nullam aliam rem, quam ornandi corporis cauſa parantur: ut Inaures, Armillæ, Annuli non ſignatorii.

Vnguenta mundo muliebri continentur, præter ea, quibus ſanitatis cauſa utimur.

Vtrum *Veſtis, an Veſtimentum legetur*, nihil refert; idem enim ſignificatur. *Ad Veſtimenta* referimus, omnia lanea, linea, bombycina, pellicea, quæ inducendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi, incubandive cauſa parata ſunt, &, quæ his acceſſionis vice cedunt, ut inſitas picturas, & clavos, qui veſtibus inſuuntur.

Titulus 3.

De Liberatione legatá.

O*Mnibus debitoribus liberatio legari poteſt* : idque vel *expreſſe*, uti ſi cui legetur, quod debet ; aut, ſi heres petere ac exigere debitum prohibeatur : vel *tacite*, uti ſi chirographum ſit legatum.

Præterea, liberatio legatur vel *in totum*, vel pro *parte*, & vel *ad tempus*, vel *in perpetuum*.

Legatarius Doli mali Exceptione ſe tuebitur, ſi ab herede conveniatur.

Titulus 4.

De Adimendis, vel Transferendis Legatis, vel Fideicommiſſis.

I*Nutile fit legatum*, 1. ſi legatum ſit a teſtatore, quibuscunque verbis, ſive in teſtamento, ſive in codicilli[s] ademtum, vel ad alium translatum.

Titulus 5.

De Rebus Dubiis.

F*It* 2. *legatum inutile*, *ſi adeo dubium ſit*, ut dubitatio tolli per commodam interpretationem no[n] poſſit : veluti, ſi nomen Legatarii non ſit adſcriptum i[n] teſtamento ; aut ſi legatum ſit Sempronio amico, & ſint duo Sempronii æque amici teſtatoris.

De Rebus Dubiis notandæ Regulæ : 1. In ambigu[o] ſermone non utrumq; dicimus, ſed id duntaxat, qu[od] volumus. 2. Vt aliquid dicatur, tam verba, qua[m] mens, & dicendi voluntas, neceſſaria ſunt. 3. Amb[i]guam orationem interpretari debemus, potius ut act[u] valeat, quam ut pereat. 4. Voluntates defunctoru[m] non ſunt ſtricte interpretandæ, ſed latius & plenius.

Titulus 6.

De His, quæ Pœnæ causa relinquuntur.

FIt 3. *Legatum inutile, si pœnæ causa concedatur*, id est, ut heres coërceatur, quo magis, vel quo minus aliquid faciat. Veluti: Heres meus si filiam suam Titio in matrimonium collocaverit, vel, nisi collocaverit, decem Sejo dato. Hujusmodi legatum jure antiquo est inutile; quia legatum favore legatarii, non odio heredis relinqui debet. Sed, Justinianus hoc legatum sustinet, nisi quid probrosum, vel contra leges contineat.

Titulus 7.

De Regula Catoniana.

REgula *Catoniana* definitum est, quod legata, tempore conditi testamenti inutilia, ex post facto non possint convalescere. Quod enim ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit, & tempus testamenti, in legatis est inspiciendum. Proinde, si rem tuam tibi lego, non valet legatum, etiamsi eam postea alienaveris, quia ab initio non valet.

Hæc Regula pertinet ad legata pura, eaque, quorum dies a mortis tempore cedit; non ad conditionalia, nec ad ea, quorum dies demum ab adita hereditate cedit.

Titulus 8.

De His, quæ pro non scriptis habentur.

PRo *non scriptis habentur Legata:* 1. quæ intelligi non possunt. 2. Quæ relicta sunt damnato in metallum, vel aliis servis pœnæ, & deportatis. 3. Si non sit in rebus humanis is, cui legatum est adscriptum,

ptum, vel, ſi in hoſtium poteſtate fuerit. 4. Quæ quis ſibi adſcripſit.

Titulus 9.

De His, quæ ut indignis auferuntur.

DIſtinguendum inter Incapaces, & Indignos.

Incapaces ſunt, qui, capere non poſſunt ex teſtamento: *Indigni*, qui ob maleficium aliquod commiſſum adverſus teſtatorem, vel teſtamentum, vel ſimilem cauſam, privantur emolumento, quod ex teſtamento ſperabant.

Inter alias cauſas *reddit ſe quis indignum legato*, ſi contra Principum mandata duxerit uxorem, ex ea provincia, in qua officium gerit, & uxor teſtamento aliquid reliquerit. Si tutor pupillam duxerit contra SC. Si quis deprehenſus ſit id egiſſe, ut per negligentiam & culpam ſuam mulier, a qua hereditatem vel legatum ſperabat, moreretur. Si quis teſtamentum dixerit eſſe falſum. Si quis defuncto maledixerit: &c.

DIGESTORVM LIBER XXXV.

Titulus 1.

De Conditionibus, & Demonſtrationibus, & Cauſis, & Modis eorum, quæ in Teſtamento ſcribuntur.

L*Egatum relinqui poteſt, ſub qualibet conditione poſſibili*, eritque ea neceſſario implenda; *impoſſibilis* vero pro non ſcripta habetur.

Demonſtratio eſt, quæ vice nominis fungitur, nec refertur ad futurum tempus, ut conditio, ſed ad præſens

ſens: veluti, Stichum, qui meus eſt, do lego; vel ad præteritum; veluti, Stichum, quem à Sejo emi.

Falſa demonſtratione vitiatur legatum, ſi de teſtatoris voluntate non conſtet: alias locum habet Regula, quod falſa demonſtratio non vitiat legatum.

Cauſa, hoc loco dicitur, cauſa præterita procatarctica, ſive impulſiva, quæ teſtatorem impulit ad legatum relinquendum: veluti, Titio, quia negotia mea geſſit, decem lego. *Per falſam rationem* legatum non aliter vitiatur, niſi probetur, teſtatorem alias legaturum non fuiſſe.

Modus, eſt cauſa futura ſeu finalis, quæ teſtatorem impulit, ad legatum relinquendum: veluti: Lego Titio decem, ut opus faciat. Perit legatum, ſi legatarius, modo, qui legato adſcriptus eſt, non ſatisfaciat.

Titulus 2.

Ad Legem Falcidiam.

LEx *Falcidia* eſt Plebiſcitum, lata a P. Falcidio Tribuno plebis, temporibus Auguſti, Cn. Domitio & C. Aſinio Coſſ. Duo ſunt hujus legis capita.

Primo capite confirmatur legandi facultas, teſtatoribus data per legem 12. tabb. *Altero capite* limitatur ea facultas, ne teſtator poſſit ultra dodrantem legare, ut penes heredem quarta pars maneat ſalva.

Is, qui intra dodrantem legat, dicitur hereditatem *delibare*: qui ultra dodrantem, *onerare*: qui omnia legat, *exhaurire*.

Quædam *de patrimonio prius deducuntur*, quam ratio legis Falcidiæ ineatur: ut æs alienum, funeris impenſæ, & pretia ſervorum, in teſtamento manumiſſorum.

Titu-

Titulus 3.

Si cui plus, quam per Legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicetur.

SI *dubitetur, an locus Falcidiæ futurus sit*, Prætor legatario, & heredi succurrit. Legatarius enim nihilominus solidum legatum accipit, sed ita, ut cogatur datis fidejussoribus heredi cavere, si apparuerit se amplius legatorum nomine cepisse, quam lege Falcidia capere liceat, se, quanti ea res erit, tantam pecuniam daturum, dolumq; malum absuturum.

DIGESTORVM LIBER XXXVI.

Titulus 1.

Ad Senatusconsultum Trebellianum.

QVemadmodum heres ex legatis per legem Falcidiam, ita, per SC. Trebellianum, ex fideicommissis universalibus detrahit quartam, quæ *Trebellianica* dicitur; vel repetit, si integra hereditas sit soluta. Deinde per hoc SC. fiduciarius recusans adire, cogi potest ad adeundum officio Judicis: atq; hæc proprie sunt ex *SC. Pegasiano*, quod factum est, Vespasiani ætate, Pegaso, & Pusione Coss. quodque a Justiniano transfusum est in SC. Trebellianum, conceptum temporibus Neronis, Trebellio Maximo, & Annæo Seneca Coss.

Ex se Trebellianum SC. habet, ut actiones hereditarias, tam activas quam passivas, ad fideicommissarium transferat, vel in solidum, vel pro ea parte, pro qua hereditas restituta est.

Titu-

Titulus 2.

Quando Dies Legatorum, aut Fideicommiſſorum cedat.

C*Edere diem* legati dicimus, cum deberi incipit; *Venire diem*, cum incipit poſſe peti.

Dies legati puri cedit a morte teſtatoris. *Dies legati puri venit*, cum aditur hereditas, tuncq; dicitur legatum deferri, ſive ad legatarium pertinere.

Quod in diem certam legatum eſt, debetur quidem a morte teſtatoris, ſed ante diem a teſtatore præſcriptum, licet hereditas ſit adita, peti non poteſt.

Legatum Conditionale, vel in diem incertam relictum, neque debetur, neque peti poteſt, ante conditionem, vel diem exiſtentem.

Effectus Ceſſionis eſt, ut legatum debeatur, & ad heredem legatarii, eo nondum acquiſito, decedentis, transmittatur.

Effectus Delationis eſt, ut legatum peti, vel repudiari poſſit.

Titulus 3.

Vt Legatorum, ſeu Fideicommiſſorum ſervandorum cauſa caveatur.

L*Egatorum, ſeu Fideicommiſſorum ſervandorum cauſa cavendum eſt*, niſi teſtator cautionem remiſerit, quotiescunque ſolutio legati vel fideicommiſſi differtur, vel, quia dies legati nondum venit, vel, quia conditio pendet, vel, quia heres de legato, ſeu fideicommiſſo litigat, quaſi debitum non ſit.

Caveant autem heredes, & cæteri, qui legatum vel fideicommiſſum præſtare debent, legatario vel fideicommiſſario, aut ejus procuratori, ut, quibus diebus teſta-

testator dari vel fieri voluit, his diebus detur vel fiat, dolumq; malum abfuturum.

Titulus 4.

Vt in possessionem, Legatorum, vel Fideicommissorum servandorum causa, esse liceat.

SI neque de legatis vel fideicommissis cautum sit, cum caveri debeat, neque per legatarium vel fideicommissarium stet, quo minus caveatur; *Prætor, legati, vel fideicommissi servandi causa, hunc mittit in possessionem* rerum hereditariarum, quæve dolo malo heredis desierunt esse hereditariæ. Olim quidem mittebatur in possessionem omnium bonorum, sed hodie secundum quantitatem legati.

DIGESTORVM
LIBER XXXVII.

Titulus I.

De Bonorum Possessionibus.

B*Onorum Possessio*, est jus persequendi retinendique patrimonii, quod cujusque, cum moreretur, fuit. Sive, est hereditas, ex edicto Prætoris delata.

Bonorum appellatio non hic capitur, deducto ære alieno, ut alias semper, sed comprehendit omnia commoda & incommoda hereditaria: ac tribuit Bonorum Possessio dominium rerum quæ in his bonis sunt, si non Civile, saltem Prætorium, non minus ac aditio hereditatis ex jure Civili.

Bonorum Possessio alia est *Edictalis*, quæ ex edicto Prætoris directo descendit; alia *Decretalis*, quæ desi-

desiderat speciale decretum; item, alia est *Ordinaria*, quæ modo ordinario peti potest; alia *Extraordinaria*.

Finis Bonorum Possessionis est, ut is, qui jure Civili, contra æquitatem naturalem, hereditate excludebatur, benignitate Juris Prætorii, successionem sibi debitam acquirat.

Vis & Effectus in eo vertitur, ut is, qui Bonorum Possessionem agnovit, sit vice heredis, omniaq; jura hereditaria, perinde ut heres, consequatur.

Cum hodie plenissime, per Constitutiones varias Imperatorum, & in successionibus ex testamento, & ab intestato, provisum sit, parvus hujus doctrinæ usus est.

Titulus 2.

Si Tabulæ Testamenti extabunt.

ORdinaria *Bonorum Possessio* pertinet vel ad causam testati, vel ad causam intestati.

Quæ, *ad causam testati* pertinet, est vel contra tabulas, vel secundum easdem.

Principio igitur spectandum, *an tabulæ testamenti sint*, vel mortis tempore fuerint.

Si non appareant Tabulæ testamenti, aut appareant quidem, sed in iis ita deletum sit, quamvis inconsulto, nomen Heredis, ut legi non possit, Bonorum Possessio ex Testamento non dabitur, cum Prætor justam dubitandi causam habeat, utrum, qui petit possessionem, heres scriptus sit, an non. Sed, si prolatis semel, publicatisq; integre tabulis, de voluntate testatoris constiterit, etiamsi hæ postea pereant, competit bonorum possessio, quia verum est, tabulas extitisse.

Titulus 3.

De Bonorum Possessione, Furioso, Infanti, Muto, Surdo, Cæco competente.

B*Onorum Possessiones deferuntur & acquiruntur etiam Furiosis, Infantibus, Mutis, Surdis & Cæcis.* Alii enim possunt per Tutores bonorum possessionem acquirere, ut Infantes; alii, per Curatores, ut Furiosi; alii, per semetipsos, ut Muti, Surdi, Cæci.

Titulus 4.

De Bonorum Possessione contra Tabulas.

B*Onorum Possessio contra tabulas*, datur potissimum Liberis præteritis, nisi præteritio pro exheredatione habeatur; ut, cum Mater vel Avus maternus testamentum facit. Datur autem tam Suis, quam Emancipatis, & Emancipatorum Liberis, item Posthumis.

Liberis exheredatis hæc possessio non datur; quia non temere voluit Prætor rescindi Tabulas testamenti, cum justa exheredationis causa esse possit: itaque iis recurrendum erit ad Querelam Inofficiosi testamenti.

Titulus 5.

De Legatis præstandis, contra Tabulas Bonorum Possessione petita.

SI bonorum possessio contra tabulas sit data, *non debentur Legata* ex eo testamento, nisi Liberis, vel Parentibus, vel Dotis nomine Vxori Nuruive sint relicta.

Titu-

Titulus 6.

De Collatione Bonorum.

L*Iberi Emancipati*, qui ad bonorum possessionem, una cum liberis integri juris, admittuntur, coguntur bona sua, quæ propter emancipationem sibi acquisiverant, *conferre*, id est, cum bonis paternis confundere, ut ex universa illa massa partes fiant, inter Suos, & Emancipatos. Nisi enim hæc collatio ab Emancipatis fieret, non essent liberis integri juris exæquati, quod Prætori propositum fuit, sed essent melioris conditionis, quod est iniquum.

Collatio fit ab intestato, sive testamentum a parente factum non fuerit, sive inversum sit per contra tabulas, aut querelam inofficiosi. Ex testamento autem, jure veteri, non est locus collationi, nisi parens eam fieri jusserit. Hodie vero, etiam ex testamento collationi locus est, nisi testator eam prohibuerit, quia censetur per oblivionem non jussisse.

Forma Collationis est, ut fiat aut reipsa, hoc est, ipso facto, inita collationis ratione: aut cautione, datis fidejussoribus, vel pignoribus, de conferendo.

Quod si quis neque conferre, nec cavere velit, denegantur ei Actiones hereditariæ, puta hereditatis petitio, donec consilium mutet. Sed & implorato officio Judicis ad id potest compelli.

Titulus 7.

De Collatione Dotis.

CVm Pater ex necessitate, pro modo suarum facultatum, teneatur dotare Filiam, & in necessitatibus nemo liberalis exstat, nec donare videatur, merito

rito placuit, non videri, Patrem voluiſſe Dotem Filia eſſe præcipuam, & propterea eam, ſicuti reliqua bona & donationes, eſſe conferendam. Proinde, *Dotem Profectitiam* filiæ ſuæ, vel emancipatæ conferunt tam ſuis, quam emancipatis, ſive bonorum poſſeſſionem petierint, ſive ſe bonis paternis miſcuerint. *Adventitia* olim conferebatur fratribus, qui in poteſtate patris manſerunt, non emancipatis; ſed hodie omnino non confertur.

Æque autem in dote atque in aliis bonis hodie obtinet, ut Collatio fiat, ſive ſuccedatur ab inteſtato ſive ex teſtamento. Donatio quoque propter nuptias in collationem venit.

De ſimplici Donatione, a parente facta, ambigitur: nam, eam conferri traditur *in l. ſi donatione 13. &* *l. ut liberis 17. C. de collat.* ſed, conferri negatur *in* *l. filiæ 18. C. fam. herciſc.* Cujacius iſta conciliat diſtinguendo inter ſuccedentes ex teſtamento, & ſuccedentes ab inteſtato. Quod tamen diſcrimen hodie non amplius attenditur.

Titulus 8.

De conjungendis cum Emancipato Liberis ejus.

CVm Filius emancipatur, Nepotes in poteſtate retenti, jure Civili, Patris locum occupant, fiuntq Avo, Sui & proximi heredes, excluſo Patre. Quoniam autem Emancipatus, jure Prætorio, per bonorum poſſeſſionem vocatur, neque æquum eſt, Emancipatum venire ſolum, & excludere Nepotes, Suos heredes aut Nepotes contra, jure ſuitatis, objici Patri ſuo qui jure naturæ prior eſt gradu: *Prætor ita rem temperat*, ut Emancipato, bonorum poſſeſſionem eju

par

partis det, quæ ad eum pertineret, si in potestate permansisset: sed ita, ut ex ea parte, dimidiam ipse, reliquam liberi ejus habeant, iisque bona sua conferat. Hoc Edictum hodie locum non habet, sublata Suitatis & Emancipationis differentia.

Titulus 9.

De Ventre in possessionem mittendo, & Curatore ejus.

SI Filius, cui nato daret Prætor bonorum possessionem, adhuc in utero sit, *Prætor ventrem in possessionem mittit*, vice contra tabulas bonorum possessionis. Imo ex omnibus partibus venter in possessionem mittitur, ex quibus is admitteretur, qui in utero est, si in rebus humanis existeret. Nam, sicuti Liberorum eorum, qui jam in rebus existunt humanis, curam Prætor habet, ita etiam eos, qui nondum nati sunt, propter spem nascendi, minime negligit. Prægnantem autem esse mulierem oportet omni modo, nec dicere se prægnantem sufficit. Quod si abortum faciat, finitur missio, quasi prægnans non fuerit. Toties autem mittitur venter in possessionem, si non est exheredatus, & id, quod in utero est, inter suos heredes futurum erit.

Ventre in possessionem misso, etiam bonis, *Curator* unus vel plures, dari solent.

Hæc jure novo locum non habent. Nam, nec exheredari potest venter, cum impossibile sit, aliquam ingratitudinis præbuisse causam, quamobrem sit exheredandus; & jura suitatis ac emancipationis sunt sublata.

 Titu-

Titulus 10.

De Carboniano Edicto.

SI *Impuberi quæstio status fiat, an inter liberos sit* causa summatim cognita, perinde ex Edicto, quo primus Carbo Prætor introduxit, possessio datur, ac si nulla de ea re controversia esset, judiciumque in tempus pubertatis differtur.

Titulus 11.

De Bonorum Possessionibus secundum Tabulas.

BOnorum *Possessio secundum tabulas*, conceditur heredibus scriptis, ut, secundum tenorem testamenti, bonorum possessionem nanciscantur.

Hanc Bonorum possessionem Prætor introduxit, confirmandi Juris Civilis gratia; quo plures viæ conservandæ hereditatis paterent, & justius possidere videretur, qui autore Prætore possidet.

Datur hæc Possessio *scriptis heredibus* quibuscunq;.

Titulus 12.

Si a Parente quis manumissus sit.

VTi Filius præteritus, potest contra tabulas Patris, bonorum possessionem petere, ita *Pater*, *aut Avus paternus præteritus*, contra tabulas filii, ad exemplum Patroni in bonis Libertorum, ad bonorum possessionem admittitur. Æquissimum hoc Prætori visum est, quia a Parente habuit beneficium acquirendorum bonorum, emancipatione facta.

Cessat hoc beneficium, si pater pecuniam accepit, ut emanciparet, vel postea vivus in eum filius, quantum satis est, contulit, ne judicia ejus inquietaret.

Titu-

Titulus 13.
De Bonorum Possessione ex Testamento Militis.

IN *ultimis Militum voluntatibus* id singulare est, quod secundum tabulas, non etiam contra, detur bonorum possessio. Ratæ enim debent esse eorum voluntates, quomodocunq; factæ, quod, non solum de militibus, sed & omnibus, qui in hostico, seu hostili agro decedunt, valet. Quoniam in hostico versantes, quia paria cum militibus pericula experiuntur, jura quoque eadem merito sibi vindicant.

Titulus 14.
De Jure Patronatus.

IN autoramentum datæ libertatis, *Patronus liberto succedit ab intestato*, si sui heredes non existant, idq; ex lege 12. tabb. Quis enim hoc illi invideat, cum, si non manumisisset, omnia jure dominicæ potestatis sibi quæreret? Ea ratione moti Prætores, etiam *contra testamentum*, bonorum possessionem decreverunt, si liberi non essent instituti. Qua quidem bonorum possessione, olim dimidia, hodie, ex constitutionibus Justiniani, tertia hereditatis pars, institutis heredibus aufertur, dummodo libertus ultra 100. aureos in bonis habeat.

Titulus 15.
De Obsequiis, Parentibus, & Patronis præstandis.

OB*sequium* est honor, qui alicui exhibetur. Hunc debent Liberti Patronis, & Liberi Parentibus, quia filio

Filio & Liberto, semper honesta & sancta persona Patris ac Patroni videri debet. Qui secus fecerit, tanquam ingratus, extra ordinem punitur, & in potestatem Domini, seu Patris, retrahitur; interdum & alia pœna ipsum manet. Potest enim Libertus, ingratitudinis convictus, in servitutem retrahi, uti filius emancipatus in potestatem.

Præter obsequia, honori Parentum ac Patronorum illud etiam tribuendum est, ne in jus sine venia vocentur, neve qua famosa Actio, aut Exceptio, in illos detur.

DIGESTORVM
LIBER XXXVIII.

Titulus I.
De Operis Libertorum.

OPeræ, sunt diurnum officium. Intellige diem naturalem, ab ortu, ad occasum Solis; non diem civilem, horis 24. constantem.

Operarum aliæ sunt *Artificiales*, quæ in artificio aliæ *Officiales*, quæ in officio exhibendo consistunt atque hæ naturaliter debentur patrono, licet ei a liberto promissæ non sint; artificiales vero non debentur, nisi ex promissione, vel jurejurando liberti.

Solvuntur, & desinunt Operæ, ex Lege Juliá, si Libertus duos filios, vel unum quinquennem, in potestate habeat: item infirmitate, vel senio liberti, nec non voluntate Patroni.

Titulus 2.
De Bonis Libertorum.

CIrca Bona Libertorum, Prætor Patrono duo concedit: *Primum est*, bonorum possessio contra ta-

bula

bulas Liberti, si ab eo sit in testamento præteritus. *Alterum est*, Bonorum possessio, unde Legitimi, per quam succedit Liberto intestato.

Notandum: Libertorum liberos, parentes, & fratres, præferri patrono, adeo, ut, his succedentibus, neutra bonorum possessio patrono detur in bonis liberti, id est, neque contra tabulas testati, neque unde legitimi, ab intestato.

Titulus 3.

De Libertis Vniversitatum.

ID jus, quod Patrono privato debetur, etiam datur *Municipibus & Vniversitatibus*, quæ servum ad libertatem produxerunt, quamvis dubitari poterat, an petere possint bonorum possessionem, cum consentire facile nequeant.

Titulus 4.

De Adsignandis Libertis.

MOrte Patroni, transit jus patronatus ad ejus liberos. Sed, si Patronus *uni ex liberis assignavit libertum*, ille solus, cui assignatio facta est, ex SC. pro Patrono habetur.

Soli filio emancipato assignari non potest. Sed, si quis, ex pluribus filiis in potestate retentis, uni, simulq; filio emancipato, libertum assignaverit, emancipatus, per fratrem integri juris, cui junctus est, beneficio assignationis fruetur.

Titulus 5.

Si quid in fraudem Patroni factum sit.

FAbianam & Calvisianam Actionem habent Patroni, ad revocandum ea, quæ in fraudem eorum a Li-

a Libertis ſunt alienata, ut ipſi portione debita fraudentur, adverſus bonæ aut malæ fidei poſſeſſores, earum rerum nomine, quæ in fraudem alienatæ dicuntur, ut eas res Patronis reſtituant, una cum fructibus. Id exemplo Creditorum ſic inductum eſt, qui Pauliana Actione repetunt ea, quæ, in eorum fraudem, a debitore ſunt alienata.

Fabianam Actionem *Fabius* vel *Favius*, Calviſianam, *Calviſius*, Prætores introduxerunt, &, illa quidem locum habet ex teſtamento, hæc, ab inteſtato.

Titulus 6.

Si tabulæ Teſtamenti nullæ extabunt, unde Liberi.

T*Riplex eſt Succeſſio in bonis defuncti:* Hereditas Teſtamentaria, Bonorum poſſeſſio, & Hereditas Legitima. Hereditas, tam teſtamentaria quam legitima, eſt civilis; Bonorum vero poſſeſſio, eſt prætoria. Teſtamentaria primo loco fuit propoſita, ad imitationem legis 12. tabb. & Edicti perpetui: quia diſpoſitio teſtatoris, facit ceſſare diſpoſitionem legis, &, quamdiu ſpes eſt, heredem fore ex teſtamento, tamdiu legitima ſucceſſio ceſſat. Subjicitur Bonorum poſſeſſio, quia inter duo civilium ſucceſſionum genera interjacet, & partim eſt ex teſtamento, partim ab inteſtato. Atq; dictum eſt hactenus de Bonorum Poſſeſſionibus, ſi tabulæ teſtamenti extent: Has ſequuntur Bonorum Poſſeſſiones ab inteſtato, quæ quatuor ſunt:

Prima, eſt bonorum poſſeſſio, *Vnde liberi:* qua Liberi parentibus ſuccedunt, ſive in eorum poteſtate, ſive ſui juris fuerint.

Titu-

Titulus 7.
Vnde Legitimi.

SEcundo loco atque ordine vocat Prætor *Legitimos*, hoc est Agnatos, per virilem sexum descendentes: nam hi lege 12. tabb. ad successionem post Suos vocabantur, unde & Legitimi sunt dicti.

Inter Legitimos, in hoc Edicto, recensentur & illi, qui, licet non ut agnati, tamen alia ex causa, lege, vel SC. ad successionem vocantur; ut Patroni, Parentes.

Titulus 8.
Vnde Cognati.

TErtia est Bonorum Possessio, *Vnde Cognati*.

Cognati hic proprie accipiendi, ut ii significentur, qui ratione sanguinis juncti erant defuncto, non tamen erant in ejus familia: ut conjuncti per fœminas, & conjuncti per masculos, quorum agnatio per capitis diminutionem sublata est.

Titulus 9.
De Successorio Edicto.

DIctis Bonorum Possessionibus *communia* duo sunt; *Primo*, ut si, priori loco vocati, bonorum possessionem non accipiant, sequentes in eorum locum succedant, & ad bonorum possessionem admittantur. Nempe, cum Liberi primo loco vocentur, his repudiantibus, vocantur Legitimi, & similiter, his quoque repudiantibus, Cognati. Item, repudiante proximiore agnato, vel cognato, sequens admittitur.

Titu-

Titulus 10.

De Gradibus, & Affinibus, & Nominibus eorum

SEcundo, dictis Bonorum Possessionibus commune est, ut gradu proximiores præferantur remotioribus; &, qui sunt in eodem gradu, simul admittantur. Nam, quod nepos, una cum patruo suo, succedit avo, quamvis nepos sit in secundo gradu, patruus ejus (i. e. filius defuncti) sit in primo gradu; hoc ideo fit, quia nepos in locum patris sui prædefuncti succedit, eumq; repræsentat, adeo, ut repræsentative dici possit esse in primo gradu: eademq; ratio est aliorum liberorum, qui parentum suorum emancipatorum locum occupant. Quoniam igitur in tribus bonorum possessionum ordinibus, unde Liberi, unde Legitimi, unde Cognati, graduum ratio habetur, doctrina de Gradibus nota esse debet, ut intelligamus, quinam singulis gradibus collocentur, vel inter liberos, vel inter parentes, vel inter cognatos, sive adgnatos.

Titulus 11.

Vnde Vir, & Vxor.

POst Agnatos, & Cognatos, ad decimum usq; gradum, Prætor, excluso Fisco, ad bonorum successionem *Virum & Vxorem* vocat, qui, quæve, mortis tempore in matrimonio fuerit. Sed, his personis, hodie prolixius consulitur, tum jure commmuni, *Auth. præterea. C. unde vir & ux.* tum etiam passim legibus municipalibus. Ratio consistit in arctissima conjunctione, quæ est inter Virum & Vxorem, ac proinde requiritur, ut verum inter eos intercesserit matrimonium.

Titu-

Titulus 12.

De Veteranorum, & Militum Succeſſione.

IN *Milite* ſpeciale eſt, ut, ſi capitali pœna ex delicto militari damnatus ſit, ex ejus teſtamento peti poſſit bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, & ab inteſtato ei ſuccedat legitimus heres, vel proximus cognatus, usque ad quintum gradum. Idem ſervatur in Veterano. Pagani capite puniti, bona confiſcantur.

Titulus 13.

Quibus non competit Bonorum Poſſeſſio.

SI *Heres ſcriptus probibuerit defunctum mutare teſtamentum*; aut is, qui ab inteſtato ſuccedit, prohibuerit eum facere teſtamentum, ne ad alium ſucceſſio deveniret, ei tanquam indigno aufertur, & confiſcatur, quod morte ejus conſecutus eſt; ſive ſit hereditas, ſive legatum, vel fideicommiſſum, ſive bonorum poſſeſſio.

Titulus 14.

Vt ex Legibus, Senatusve Conſultis Bonorum Poſſeſſio detur.

QVemadmodum Condictiones ex lege dantur, ſi quid nova lege introducatur, ita Prætor noviſſime *Extraordinariam bonorum poſſeſſionem* iis pollicetur, quibus, ut detur, Lege, vel SC. vel Conſtitutione comprehenſum eſt. *Dicitur Extraordinaria*, non, quod jus non tribuat, ſed, quia neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis, quæ ex teſtamento ſunt, connumeratur.

Titu-

Titulus 15.

Quis Ordo in Bonorum Poſſeſſionibus obſervetur.

B*Onorum Poſſeſſiones certo ordine ſunt diſpoſitæ,* ſecundum quem deferuntur. Nam, bonorum poſſeſſiones ab inteſtato ceſſant, ſi petatur bonorum poſſeſſio contra tabulas, vel ſecundum tabulas; atque hæc, illi cedit. Item, ab inteſtato præferuntur liberi, legitimis; legitimi, cognatis; cognati, conjugi; tali igitur ordine, bonorum poſſeſſiones ordinariæ disponuntur:

1. Contra tabulas. 2. Secundum tabulas.	Ex teſtamento.
1. Vnde liberi. 2. Vnde legitimi. 3. Vnde cognati. 4. Vnde vir & uxor.	Ab inteſtato.

Titulus 16.

De Suis, & Legitimis Heredibus.

QVo ordine Prætor ad bonorum poſſeſſionem vocat, eodem fere *Jus Civile* heredes facit ab inteſtato. Nam, primo vocat ſuos, id eſt liberos in poteſtate conſtitutos: deinde Conſanguineos, qui ſanguine defuncto connexi ſunt, puta parentes & fratres: tum Agnatos proximos.

In Suis heredibus aditio non eſt neceſſaria, ſed ipſo jure heredes exiſtunt; quod non eſt in reliquis, qui adire hereditatem, & petere bonorum poſſeſſionem compelluntur.

Tit

Titulus 17.

Ad Senatusconſultum Tertullianum, & Orphitianum.

EX *SC. Tertulliano*, quod Hadriani Imp. temporibus factum eſt, Mater Filiis & Filiabus ſuccedit: *ex SC. Orphitiano*, quod Orphitio & Ruſo Coſſ. factum eſt D. Marci temporibus, Filii & Filiæ ſuccedunt matri: & ex conſtitutionibus Principum, Nepotes ac Neptes ſuccedunt Aviæ.

DIGESTORVM LIBER XXXIX.

Titulus 1.

De Novi operis nunciatione.

OPeris *novi nunciatio*, eſt legitima prohibitio, facta ædificanti, ut ab opere cœpto nocituro deſiſtat, donec de jure conſtet.

Nunciare poſſunt in *cauſa publica* omnes, modo ſint cives eius loci; in *cauſa privata*, illi, qui dominium directum vel utile, aut ſervitutem realem habent. Quibus autem perſonalis ſervitus eſt, per indirectum, & magis procuratorio, quam proprio nomine nunciant.

Nunciatio in rem fit, non in perſonam, id eſt, in re præſenti fit ei, qui in re præſenti eſt, ſive ſit dominus, ſive domini, operisve nomine ibi ſit, cujuscunque ſit conditionis, dummodo intelligat quod agitur, idcirco nunciatio ſervo vel fabro facta, dominum tenet, licet infantem, vel furioſum.

Nunciatio fit *ob opera cœpta*, & nondum abſoluta, vel etiam ob ea, quæ certo ſunt deſtinata.

Nun-

Nunciatio peragitur duobus modis, judicialiter, vel extrajudicialiter. *Judicialiter*, per Prætorem ſeu Magiſtratum, qui ad inſtantiam ejus, cujus intereſt, jubet ædificantem ab opere, quod parat, abſtinere, donec jus ædificandi ſibi eſſe docuerit, vel eo nomine cum adverſario convenerit. *Extrajudicialiter* fit novi operis nunciatio, propria autoritate, (quod ſingulariter hic conceditur in Edicto, neceſſitatis cauſa,) & iterum dupliciter, vel per manum, h. e. jactum lapilli, adhibitis Notario & teſtibus; vel per verbalem inhibitionem.

Effectus nunciationis eſt, ut ab opere abſtineatur, donec vel ſatisdetur, de opere reſtituendo, ſi contra facientem judicabitur, vel nunciatio remiſſa a Prætore fuerit. *Tollitur* enim nunciatio ſatisdatione, vel remiſſione, quin etiam morte nunciantis, niſi nunciatio ſit facta pro heredibus.

Interdum nunciationem *contemnere licet*; veluti, ſi quis rivos aut cloacas purget, opusve aliud faciat, cujus mora periculum eſt allatura.

Titulus 2.
De Damno infecto, & de Suggrundiis, & Protectionibus.

S*uggrundia*, ſunt tabulæ, circa ædificium a ſummo extenſæ, quæ ædes tuentur ab injuria imbrium.

Protectum, eſt eminens tecti pars, quæ ſtillicidium arcet a pariete.

Qui damnum ab ædibus vicini ruinoſis ſibi metuit adire Prætorem poteſt, & petere, ut ſibi caveatur, de damno reſarciendo, dummodo juret, ſe non calumniæ cauſa id petere. Si intra tempus conſtitutum a Præ-

tor

tore non caveatur, mittit Prætor eum, qui damnum timet, in possessionem, rei servandæ causa, ex primo decreto, quod nudam & simplicem tribuit detentionem, &, si postea adversarius non caveat, etiam possidere secundo decreto jubebitur, ita ut ipse dominus dejiciatur possessione: & postea vix locus erit ulteriori cautionis oblationi.

Titulus 3.
De Aqua, & Aqua pluvia arcenda.

A*Qua pluvia* est, quæ de cœlo cadit, &, quæ imbre excrescit.

Ex edicto Prætoris, Actio datur *ratione damni, quod metuitur ex aqua pluvia*, ne scilicet, opere facto a vicino, aliter aqua fluat, quam fluere cœperat. Puta, quando v. c. vicinus avertit eam aquam, ædificio exstructo, vel alio opere facto, in meum agrum, in quem antea aversa non fuit, & ubi nocitura est. Datur igitur hæc Actio ad hoc, ut opus tollatur, & res in pristinam formam reponatur.

Titulus 4.
De Publicanis, & Vectigalibus, & Commissis.

V*Ectigal* a vectura dicitur, & est id, quod præstatur ex his rebus, quæ invehuntur, aut evehuntur, ob usum viæ publicæ, quam, cum magna cura & sumtu, Principes planam & tutam præstare commeantibus debent.

Differt Vectigal a Tributo. Nam, *Tributum* est pensitatio, quæ ratione soli & bonorum immobilium penditur a possidentibus, ac potissimum capitur pro pecu-

pecunia, quæ ab Imperatoribus atque Præsidibus in stipendia militum, & sumtus belli, provincialibus imperatur.

Vectigalia qui conducunt, *Publicani* & *Redemtores* nominantur.

Præstari solet *octava pars*, olim quinquagesima tantum, aut etiam centesima.

Vectigalis non soluti pœna est, ut res committantur, vindiceturq; fisco, unde & *Commissæ res* dicuntur.

Si Publicani, sive vectigalium conductores, vel ipsi, vel familia eorum, *quid illicite extorserint*, datur adversus eos Actio, si id non restitutum erit, ut duplum intra annum, simplum post annum restituant. Si *per vim* quid extortum fuerit, datur Actio in quadruplum, cui persecutio rei inest.

Titulus 5.
De Donationibus.

D*Onatio*, est liberalis, nullo jure cogente, facta concessio. Ea, si fiat per conventionem, pactum legitimum recte dicitur; si per traditionem, modus acquirendi dominii.

Donare possunt, qui liberam habent rerum suarum administrationem, & speciali lege non prohibentur.

Filiusfamilias nequit donare, licet liberam habeat peculii administrationem, nisi id ei concessum sit, vel justa sit ratio donandi, vel in dignitate sit positus, vel peculium castrense, vel quasi castrense, ex quo donat, habuerit.

Si Pater filio donaverit, non valet donatio, nisi morte vel juramento firmetur, vel sit remuneratoria.

Donatio, quæ fit inter vivos, *si excedat* 500. *solidos* sive mille fere Imperiales, regulariter insinuationem

apud

apud acta requirit: alioquin in ea quantitate, quæ 500. aureos excedit, non valet, nisi ad piissimas causas, vel a Principe, aut Principi fuerit facta.

Titulus 6.
De Mortis causa Donationibus, & Capionibus.

Mortis causa donatio, est donatio conditionalis, cum quis habere se mavult, quam eum, cui donat, magisq; hunc, quam heredem illius.

Tres hujus donationis sunt species: 1. cum quis, nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola mortalitatis cogitatione, donat; quod quidem exprimendum est, alioqui pura erit etiam a moriente facta donatio. 2. Cum quis, imminente periculo, ita donat, ut statim res fiat accipientis. 3. Si quis periculo mortis non sic det, ut statim faciat accipientis, sed tum demum, cum mors fuerit secuta. Atq; hæc donatio sub conditione pendet; superior, statim quidem perfecta est, sed morte non insecuta resolvitur.

Mortis causa donare potest, cui est testamenti factio, licet testamentum non faciat. *Filius* autem *familias* quamvis testamentum, ne permittente quidem patre, facere potest, quia jus illud publicum immutari privata parentum autoritate nequit, tamen, permissu patris, causa mortis donare potest, non minus, quam reliquos privatorum contractus, eo volente, inire.

Materia hujus donationis eadem est, quæ puræ & simplicis; nam, quæ inter vivos donari possunt, multo magis in ultima voluntate.

Debet hæc donatio *coram quinq; testibus* fieri, sicut quælibet ultima voluntas, nisi apud Acta fiat, quo casu

testibus opus non habet; utrobivis autem fiat, neque insinuatione indiget, neq; scriptura, etiamsi 500. aureos excedat.

Effectus hujus donationis est, ut morte insecuta, rata maneat, utpote impleta donationis conditione: non autem insecuta morte resolvitur; quod & tum fit, cum mutata voluntate, restituere sibi donator res donatas jubet.

DIGESTORVM
LIBER XL.

Titulus 1.
De Manumissionibus.

M*Anumissio*, est de manu, id est potestate, dimissio, h. e. datio libertatis.

Manumissio multis modis procedit. Præcipui sunt 1. *Censu*, cum domini jussu, servus inter cives Romanos censum profitetur. 2. *In Ecclesia*, de quo modo agitur *lib. 1. Cod. tit. 13.*

Titulus 2.
De Manumissis Vindicta.

F*It* 3. *Manumissio Vindicta.* Erat autem *Vindicta* virgula, qua lictor Prætoris, præmissis solemnibu[s] verbis, servum tangebat, mox dominus apprehensum manu vertebat, atque ita libertatem & civitatem Servus consequebatur.

Titulus 3.
De Manumissionibus, quæ Servis ad Universitatem pertinentibus imponuntur.

N On modo privati recte sic manumittunt, se[d] etiam *Universitates & Collegia*, quibus coëun[di]

ju

jus est, hanc manumittendi potestatem, D. Marci concessione, habent. Etsi enim nullius videtur servus, & per consequens non posse a quoquam manumitti, qui toti universitati servit, tamen manumissio, quæ nomine universitatis, vel ab uno fit, ab ipsa universitate facta videtur.

Titulus 4.

De Manumissis Testamento.

FIt 4. *Manumissio Testamento.* Datur autem testamento libertas dupliciter. Aliquando *directo*, cum testator brevi manu, & directis verbis, libertatem servo tribuit, hoc modo: Stichus liber esto: quo casu *Orcinus* dicitur libertus, id est, ipsius defuncti; nec heres jura patronatus consequitur.

Titulus 5.

De Fideicommissariis Libertatibus.

INterdum *datur libertas per fideicommissum*, hoc modo: Rogo, heres, ut Stichum manumittas. Hoc casu, cum heredis factum interveniat, is in autoramentum manumissionis, jura patroni consequitur.

Titulus 6.

De Ademtione Libertatis.

VTraque libertas, id est, tam directa, quam fideicommissaria, ita demum competit, si nec a testatore, nec a lege ademta sit. *Adimitur lege*, si data sit in fraudem creditorum, aut fisci, & alias ob causas.

Titulus 7.

De Statuliberis.

RVrsus libertas in testamento relinquitur vel pure, vel in diem, vel sub conditione. Is autem, qui statu-

ſtatutam in diem, vel conditionem, libertatem habet, interea loci, dum dies vel conditio exſpectatur, *ſtatuliber* appellatur, ſi modo libertas jure directo, non per fideicommiſſum, relicta ſit.

Titulus 8.
Qui ſine Manumiſſione, ad Libertatem perveniunt.

REgulariter Servi per manumiſſionem ad libertatem perducuntur. At, *Statuliberi libertatem ipſo jure interdum conſequuntur*, citra ullam manumiſſionem: veluti, ſi dies præſtitutæ manumiſſionis elapſus ſit, vel conditio extiterit, aut per heredem ſtet, quo minus impleatur. Eodem modo, ſi ſervus venditus ſit ea lege, ut intra certum tempus manumittatur, cum dies præſtandæ libertatis venit, ex conſtitutione D. Marci, libertatem conſequetur: ut & tum, quando in adverſa valetudine ejectus, aut infans expoſitus eſt.

Titulus 9.
Qui, & a Quibus manumiſſi, liberi non fiunt, & ad Legem Æliam Sentiam.

NOn cuiq; volenti manumittere licet. Nam *lex Ælia Sentia*, a priſcis Æliis lata, manumittendi jus quibusdam, licet dominis, ademit, imprimis debitoribus, qui ſolvendo non ſunt. Vt enim reliqua, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, actione Pauliana revocantur, ita libertas, in fraudem creditorum data, inutiliter datur. Quippe, etſi reliquarum rerum alienatio valet, & revocanda eſt per Actionem, tamen *datio libertatis fraudulenta, ipſo jure irrita eſt*: ſi enim ſemel competeret libertas, amplius in ſervitu-

tem

tem ſervus revocari non poſſet. *In fraudem* autem *creditorum* manumittere videtur, qui, vel jam tempore, quo manumittit, ſolvendo non eſt, vel, qui datis libertatibus, deſiturus eſt eſſe ſolvendo.

Titulus 10.
De Jure Aureorum Annulorum.

LIberti omnes, propter manumiſſionem, libertate fruuntur, ſi modo manumiſſio valeat: quidam vero etiam ingenuitate ac nobilitate fruuntur, ſalvo tamen jure patronatus, videlicet, ſi *jus aureorum annulorum*, quos nonniſi equeſtris dignitatis hominibus geſtare fas erat, ab Imperatore impetraverint. Quod beneficium, noviſſime omnibus libertis, Juſtinianus indiſtincte conceſſit, ut potius ingenuis, quam libertinis, Reſpubl. impleretur.

Titulus 11.
De Natalibus reſtituendis.

INgenuitatem amplius conſequitur manumiſſus, ita ut jus Patronatus extinguatur, qui ex Ingenua natum ſe docet, aut, qui a Principe *natalibus reſtituitur*. Intelliguntur nimirum Natales ingenuitatis, in quibus omnes homines initio fuerunt, non ii, in quibus ipſe ſervus naſcebatur.

Titulus 12.
De Liberali cauſa.

QVia ſæpe fit, ut controverſiæ exiſtant, altero affirmante, ſe liberum & ingenuum, altero in ſervitutem retrahente, ideo, ad expediandas has lites, Prætor conſtituere judicia ſolet, quæ vocantur libera-

lia, ſive *cauſæ liberales*, quod in iis de libertate agatur. Actiones autem, quibus agitur, appellantur *Præjudiciales*.

Titulus 13.

Quibus ad Libertatem proclamare non licet.

AGere poſſunt de liberali cauſa, quicunq; non prohibentur. Prohibentur hi, *quibus ad libertatem proclamare non licet*, uti eſt major viginti annis, qui ad participandum pretium ſe venundari paſſus eſt, & ſervus, quem quis per vim domino eripuit, & in teſtamento manumiſit.

Titulus 14.

Si Ingenuus eſſe dicetur.

AD ingenuitatem repetendam, agere poteſt Libertus, ſi *intra quinquennium*, a tempore manumiſſionis, docere velit, ingenuum ſe eſſe natum. Qua in cauſa ſciendum eſt, rem inter alios actam, aliis non nocere.

Titulus 15.

Ne de Statu Defunctorum, poſt quinquennium, quæratur.

NOtandum, liberalia judicia non ſemper eſſe perpetua; nam, *de ſtatu defunctorum, poſt quinquennium quærere, non licet*, ſi nimirum deteriorem conditionem defuncti facturus ſit, qui retractat, ut, ſi dicat ſervum fuiſſe; non, ſi meliorem; veluti ſi pro ſervo libertus, pro Liberto Ingenuus eſſe dicatur.

Titu-

Titulus 16.

De Collusione detegenda.

NE quorundam dominorum nimia indulgentia inquinaret amplissimum ordinem, (ingenuis enim, non libertinis, patebat in Senatum aditus,) eo quod paterentur servos suos ingenuitatem proclamare, liberosque judicari, factum est Domitiani temporibus SC. quo cautum est, *ut, si quis probasset, per collusionem quicquam factum*, si iste homo servus sit, fieret ejus servus, qui collusionem detegisset.

Colludere dicuntur, qui non serio inter se in judicio contendunt, sed simulate, ac proinde ludere videntur.

DIGESTORUM LIBER XLI.

Titulus 1.

De Acquirendo Rerum Dominio.

D*Ominium*, est jus, quo res aliqua nostra est, ita ut de ea pro libitu disponere possimus, nisi vel jure, vel testamento, vel conventione prohibeamur.

Partes dominii sunt Proprietas, & Possessio rei; quæ concreta dominium constituunt; separata, nihil inter se habent commune.

Dominium aliud est Plenum & absolutum, aliud Minus plenum, atque hoc, vel Directum, vel Utile. Nam, cum utilitas dominii in fructu rei sit, qui hunc percipit jure suo, *plenum* habere dominium dicitur: qui eo caret, cum spe tamen aliquando indipiscendi ex jure suo, *directum* habere dicitur: cujusmodi est

penes dominum feudi, & emphyteuſeos. Cui vero utilitates rei obveniunt non omnino jure proprio, ſed quod aliunde dependeat, hujus *utile* dominium eſſe dicimus, cujusmodi habent Vaſallus, Emphyteuta.

Dominium earum rerum, quæ ſunt in commercio, *acquiritur* aut Jure Gentium, aut Jure Civili.

Juris Gentium modi multi & varii ſunt, ſed ad quinque generales referuntur: Occupationem, Acceſſionem, Commixtionem, Perceptionem, & Traditionem.

Juris Civilis modi partim ſunt Particulares, quibus res ſingulæ acquiruntur; partim Vniverſales, quibus acquiruntur univerſitates.

Particulares ſunt, Vſucapio, vel Præſcriptio, Donatio, Legatum, Fideicommiſſum particulare, & Adjudicatio, Noxæq; deditio.

Vniverſales ſunt, Hereditas, Bonorum Poſſeſſio, Arrogatio, Addictio bonorum.

Dominium proprie eſt tantum *Rerum Corporalium*, quippe, quarum proprie tantum eſt vindicatio & traditio: tum vero originaliter dominium cœpit ex naturali poſſeſſione, quæ ſine apprehenſione corporis fieri nequit.

Effectus dominii præcipue eſt, quod dominus habet liberam facultatem, re ſua utendi; quodq; amiſſa poſſeſſione, domino datur rei vindicatio, adverſus quoslibet poſſeſſores, ad res recuperandas.

Non poſſunt plures eſſe ejusdem rei domini in ſolidum, eodem ſc. dominii genere. Nam, poſſunt eſſe duo domini in ſolidum, diverſis modis, ut puta ejusdem rei dotalis mulier habet dominium naturale, maritus civile: item, alius poteſt habere dominium directum, alius utile. Præterea poſſunt eſſe plures domini,

ni, non corporis divisione, sed juris intellectu, ut habeant partes non pro diviso, (alioquin essent domini diversarum rerum,) sed pro indiviso.

Titulus 2.

De Acquirenda, vel Amittenda Possessione.

POssessio duplex est: una *proprie* dicta, secundum quam aliquis possidet; altera *improprie* dicta, secundum quam non possidet, sed tantum in possessione est.

Possidere dicitur, qui rem corporalem, quæ est in commercio, sibi detinet, & cujus nomine alius, ut Colonus, Procurator, Hospes, Amicus, detinet. Quapropter aliud est detinere, aliud possidere; fieri enim potest, ut alius teneat, alius possideat; ut puta colonus tenet, dominus autem per colonum possidet.

Possessio, alia est naturalis, alia civilis. *Naturalis* in facto consistit, & corpore tenetur: *Civilis* jure & animo constat.

Possessionem acquirimus, vel per nosmetipsos, vel per alium, ut servum, filium, procuratorem, tutorem, curatorem, dummodo & intellectum possidendi habeat, & nobis acquirere velit.

Possessio acquiritur *Animo & Corpore*, non solo animo, nec solo corpore.

Is, *qui per se* possidet, amittit possessionem, vel animo & corpore, vel solo animo. Ejus vero, *quod alterius*, ut servi aut coloni corpore possidetur, non amittitur possessio solo animo, si alius in possessionem ingressus non sit, sed solo animo retinetur.

Titu-

Titulus 3.

De Vſurpationibus, & Vſucapionibus.

PEr poſſeſſionem interdum confeſtim acquiritur dominium, videlicet, ſi dominus ſit, qui tradidit: interdum *Vſucapio* procedit, nempe, quando res a non domino tradita eſt, atque ita dominium, temporis progreſſu, per poſſeſſionem non uſurpatam, id eſt non interruptam, acquiritur.

Vſurpatio uſucapioni eſt contraria: uſurpare enim ſignificat uſu retinere, atque ita alterius uſucapionem poſſeſſionemq; interrumpere.

Continuatur poſſeſſio, non ſolum in eadem perſona, ſed etiam in diverſis, inter quas tempora poſſeſſionum conjunguntur. Hac ratione tempus, quo defunctus poſſedit, heredi aut legatario prodeſt.

Ad uſucapionem, in *rebus immobilibus*, requiritur decennium inter præſentes, vicennium inter abſentes; in *rebus mobilibus* triennium. Hoc tempus, non ab hora ad horam computatur, ſed ſufficit ad ultimum diem perveniſſe, & aliquo ejus diei momento poſſediſſe, ut uſucapio impleta dicatur. In *Bisſexto*, biduum pro uno die accipimus, & poſterior dies intercalatur.

In aliquibus Editionibus, peculiaris priori ſubjicitur titulus, inſcriptus, *Pro ſoluto*, ſed in Florentino exemplari conjungitur cum titulo de Vſurpationibus & Vſucapionibus.

Qui rem debitam accipit, *pro ſoluto uſucapit*, & non tantum quod debetur, ſed & quodlibet pro debito ſolutum, hoc titulo uſucapi poteſt. Sed, ſi exiſtimans me debere, tibi tradam, ita demum procedet, ſi & tu putes debitum eſſe.

Titu-

Titulus 4.
Pro Emtore.

PRo *Emtore* poſſidet & uſucapit, qui revera emit: quia emtio transfert dominium, aut uſucapiendi conditionem. Non ſufficit autem, in ea opinione eſſe, ut quis putet ſe pro emtore poſſidere, ſed etiam emtio vere ſubeſſe debet: quamvis, ſi ex alia cauſa, exiſtimans me debere, tibi ignoranti tradam, uſucapies.

Titulus 5.
Pro Herede, vel Poſſeſſore.

PRo *Herede* poſſidet, qui tanquam heres, vel bonorum poſſeſſor, poſſidet: hoc titulo uſucapi poſſunt res hereditariæ, non ipſa hereditas, ſeu jus hereditarium; hoc enim non uſucapitur, cum ſit incorporale. Sed & res defuncti tantum ſic uſucapiuntur, non viventis.

Pro herede uſucapere poteſt, qui teſtamenti factionem paſſivam habet, i. e. qui ſuccedere poteſt. Reipſa autem pro herede uſucapit: 1. qui ſuccedit poſſidenti, v. c. pro emtore. Vbi notandum, etiamſi defunctus non potuerit uſucapere, ut quia res vitioſa erat, tamen vitio purgato, poſſe uſucapionem incipere a perſona heredis. 2. Qui putat ſe eſſe heredem vel bonorum poſſeſſorem, dummodo juſtam errandi cauſam habeat; alioquin error ei non prodeſt. 3. Heres, vel bonorum poſſeſſor uſucapit rem alienam, quam putat eſſe hereditariam, dummodo ſimiliter juſtam erroris cauſam habeat.

Pro Poſſeſſore titulus, ei qui pro herede eſt, par eſſe videtur; ſicuti bonorum poſſeſſio Prætoria, hereditati

ditati ſimilis eſt: quo titulo, qui poſſidet, pro poſſesſore bona fide, res prætoriæ bonorum poſſesſionis uſucapit, peræque atq; heres, pro herede, res hereditarias.

Titulus 6.

Pro Donato.

PRo *Donato* uſucapit, cui res donationis cauſa tradita eſt, nempe, a non domino, & per donationem, quæ jure valet.

Titulus 7.

De Derelicto.

IS *pro Derelicto* rem habet, qui ea mente abjicit, ut in numero rerum ſuarum amplius eſſe nolit.

Si res a domino pro derelicto ſit habita, occupantis fit ſtatim: ſi a non domino, occupans eam uſucapiet pro derelicto.

Titulus 8.

Pro Legato.

PRo *Legato* uſucapere poteſt is, cum quo eſt teſtamenti factio. Re ipſa uſucapit: 1. is, cui legatum eſt a non domino. 2. Is, cui a domino legata res eſt, ſi legatum vel jure non ſit relictum, vel ſit ademtum, dummodo legatarius hoc ignoret, ut dici poſſit habere bonam fidem. At, ſi dominus rem ſuam leget, ac legatum valeat, ſine dubio legatarius ſtatim fiet dominus, nec egebit uſucapione.

Titulus 9.

Pro Dote.

CVi res alienæ bona fide *in Dotem* dantur, is, a tempore traditionis, incipit uſucapere: ante quidem matri-

matrimonium, pro suo, illo vero subsecuto, pro dote, cujus titulus nullus esse potest, ante contractas nuptias.

Titulus 10.
Pro Suo.

PRo Suo is possidet, qui putat se rem possidere, ut suam & propriam, cum tamen sit aliena: vel, quia causa, ex qua possidetur, non adjecit dominium; vel, quia vere non intervenit, cum probabiliter intervenire crederetur.

Hæc usucapiendi ratio cum reliquis concurrit; nam, pro suo usucapit, qui usucapit pro Emtore, pro Donato, pro Legato.

DIGESTORVM
LIBER XLII.
Titulus 1.
De Re judicata, & de Effectu sententiarum, & de Interlocutionibus.

RES *judicata*, est lis finita per judicis pronunciationem, quod fit vel condemnatione, vel absolutione. *Differt a Sententia*, quod hæc est ipsa pronunciatio, litem finiens.

Statim ac judicatum est, *res judicata* dicitur in libris juris Civilis, licet provocari possit: In jure autem Canonico, & in praxi, sententia dicitur *transire in rem judicatam*, cum provocare amplius non licet.

Si, post rem judicatam, *nova Instrumenta fuerint reperta*, vix restaurabitur res judicata, nisi constet, ex falsis testimonius, vel instrumentus, priorem sententiam

esse

esse latam: vel justam quis possit allegare causam, ob quam denuo audiri debeat.

. *Sententia non aliter ferenda* est, quam lite contestata, probationibus omnibus auditis, & conclusione a partibus facta: nec potest sententia dici, nisi de rebus in judicium deductis.

Sententia est vel *Definitiva*, quæ finem controversiæ principali imponit, vel *Interlocutoria*, cum de incidenti aliquo articulo fertur.

Interlocutio non requirit causæ cognitionem, & ab ea regulariter jure civili non potest appellari: at, jure Pontificio, ab omni gravamine licet appellare.

Judex sententiam dicere debet ibi, ubi more majorum jus solet reddi; & jure Canonico requiritur, *ut Judices sedeant*.

Titulus 2.
De Confessis.

CONfessus pro condemnato habetur, ideoq; confesso dantur ad solvendum eadem tempora, quæ judicato.

Vt quis pro Confesso habeatur, requiritur: 1. ut sit facta confessio coram judice, eoq; competente; extrajudicialis enim vere non probat. 2. Vt confessio sit certa, & facta ex causa certa. 3. Vt confiteatur is qui potest obligari, & qui non errat.

In Criminalibus, si nulla sit alia probatio, confessiones reorum pro exploratis facinoribus non habentur.

Confessio coram judice semel facta, revocari non potest, nisi error fuerit commissus.

Si quis sit *confessus in articulo mortis*, talis declaratio nihil operatur, tam in civilibus, quam in

crim

criminalibus; in aliorum præjudicium; at secus est, si aliquem liberet a crimine.

Titulus 3.

De Cessione Bonorum.

Cessio *Bonorum* est, cum quis oneratus ære alieno bona sua creditoribus dimittit. Dicitur *beneficium flebile*, & per illud debitor consequitur 1. Ne detrudatur in carcerem. 2. Si pervenerit ad pinguiorem fortunam, ne teneatur in solidum, sed quantum facere potest. 3. Ne fiat infamis.

Bonis cedere potest tam filiusfamilias, quam paterfamilias, dummodo vel debitum agnoverit, vel sit condemnatus, vel in jure confessus.

Qui bonis cessit, non liberatur, nisi Creditores solidum consequantur: sed interim non potest ab eis inquietari, nec in carcerem conjici. Si vero postea aliquid non modicum, extra causam alimentorum, consequatur, in quantum facere potest, convenitur.

Creditores *non possunt sua autoritate detinere bona* ejus, qui bonis cessit, jure dominii, & inter se dividere: sed debent ea vendere, & ita indemnitati suæ consulere.

Titulus 4.

Quibus ex causis in possessionem eatur.

Si debitor vel possessor neque sui potestatem faciat, neque boni viri arbitratu defendatur cum in jus vocatus est, sed animo fraudandi latitet, *mittitur Creditor in bonorum possessionem*, atq; id vel ex primo, vel secundo decreto.

Ex primo decreto, tantum creditor consequitur custodiam rerum, non possessionem, multo minus

R domi-

dominium. Non igitur privatur dominus possessione, sed missus Creditor consequitur jus pignoris, ac cum domino rem detinet, custodit, servat, nihil ut in ea sine ipso geri possit. Fructus porro non lucratur, neque participat in bona missus Creditor, cum tantum custos rerum sit, non etiam possessor.

Si debitor non compareat ad se defendendum, post annum elapsum a primo decreto, intra quem si debitor compareat, & caveat, possessionem recuperare potest, mittendus est creditor *ex secundo decreto*, ex quo consequitur jus veræ possessionis, usucapiendi conditionem, & fructuum utilitatem, non vero dominium, nisi longi temporis possessio accesserit.

Prodest missio non tantum missis, sed & omnibus aliis creditoribus, qui eandem causam debiti prætendunt, si quidem præsentes intra biennium, vel absentes creditores intra quadriennium compareant, & creditum suum probent, ac expensas factas refundant.

Titulus 5.

De Rebus autoritate Judicis possidendis, seu vendendis.

Creditores non possunt propria autoritate capere bona debitoris, sed requiritur ad eam rem *judicis autoritas*.

Creditores, missi ex secundo decreto, non id consequuntur, ut bona jure dominii sua autoritate detineant, & inter se partiantur, sed *ut legitime distrahant*.

Si ante bonorum venditionem existat, *qui defendere vel solvere paratus est*, æquum flagitat, ut bona restituantur cum fructibus, ita ut impensarum ab eo factarum, qui in possessione fuit, &, si dolo ejus deterior

causa

causa possessionis facta sit, per in factum Actionem ratio habeatur.

Cum bona distrahuntur, *si plures ea emere parati sint*, extraneo emtori præfertur cognatus, & utrique præfertur creditor.

Notandum, in quibusdam Editionibus separari Titulum, *De Rebus autoritate Judicis possidendis*, à titulo, *De Privilegiis Creditorum*. Sed in Florentino Codice conjunguntur.

Ex eo, quod ex bonorum venditione redigetur, *Creditoribus ordine satisfit*, ita ut prius satisfiat creditoribus privilegiatis, hoc est iis, qui gaudent Jure prælationis, seu prærogativa, ob quam aliis creditoribus præferuntur.

Duo sunt Creditorum genera, Alii vocantur *pignetitii*, *seu hypothecarii*, quibus non tantum Actio personalis ex contractu principali, sed etiam hypothecaria, ex conventione de pignore competit: Alii *Chirographarii*, qui tantum actionem personalem habent, sine hypotheca: Et tam in hoc quam in illo genere, alii sunt creditores privilegiati, alii non privilegiati.

Notandum: 1. Privilegia personalium actionum non æstimantur ex tempore, sed ex causa: nemo enim potior est ratione temporis, in actione personali, ut in hypothecaris; in qua, qui est prior tempore, est potior jure. 2. Privilegiatus, præfertur non privilegiato. 3. Privilegiatus contra alium privilegiatum, non utitur suo privilegio. Interdum tamen privilegiatus alii privilegiato præfertur, ut Fiscus ei, qui in navem exstruendam credidit.

Titulus 6.
De Separationibus.

C*Reditoribus Defuncti*, etiamsi ex die vel sub conditione eis debeatur, aut legatariis, intra quinquennium ab adita hereditate, id postulantibus, *separantur bona defuncti, a bonis heredis propriis*: ita ut ex his satisfiat creditoribus heredis; ex illis satisfiat creditoribus hereditariis. Verbi causa, debitorem quis Titium habuit, is decessit, heres ei extitit Sempronius, hic non est solvendo, & patitur bonorum venditionem. Creditores Titii dicunt, bona Titii sufficere sibi, & creditores Sempronii contentos esse debere Sempronii bonis. Etsi enim heres Sempronius adeundo se obligavit creditoribus Titii defuncti, suasq; obligationes cum illius bonis permiscuit; tamen, quia iniquum esset, creditorum conditionem fieri deteriorem facto heredis, qui forte pluribus creditoribus est obligatus, indulsit Prætor separationem bonorum.

Facta bonorum Separatione, primum ex bonis hereditariis satisfit creditoribus hereditariis; deinde, si quid supersit, etiam creditoribus propriis ipsius heredis. Ex bonis autem propriis heredis, satisfaciendum est propriis duntaxat creditoribus, non hereditariis, etiamsi aliquid supersit, postquam satisfactum est propriis creditoribus: nam, quia creditores hereditarii Separationem impetrarunt, omnino a persona heredis recesserunt. Si tamen temere separationem petierunt, impetrare veniam ob justissimam ignorantiæ causam possunt.

Heredi non datur Separationis beneficium, quia sponte adeundo se Creditoribus defuncti obligavit:

non

non autem licet heredi, adjiciendo sibi creditores, suorum creditorum conditionem facere deteriorem: At, qui coacti adeunt hereditatem, nec bona attingunt, separationem postulare possunt. Sed in his omnibus, an admittenda sit separatio, Prætoris erit cognoscere.

Titulus 7.

De Curatore Bonis dando.

BOnis Debitoris plerumq; *Curator datur*, qui ea custodiat, administret, distrahat, & ex redacto creditoribus satisfaciat. Eum constituunt creditores privato consilio, vel adeunt Prætorem, qui sequetur majoris creditorum partis voluntatem.

Hoc munus injungitur, vel uni ex creditoribus, vel cuivis alii; & vel uni, vel pluribus. Per eum, vel eos gesta, rata habentur; & cum plures sunt, singuli in solidum possunt agere, vel conveniri.

Titulus 8.

Quæ in fraudem Creditorum facta sunt, ut rescindantur.

QVia debitores, possessionem aut distractionem bonorum metuentes, mature solent res suas in fraudem creditorum alienare & intervertere, huic quoque rei provisum est, actione a Prætore proposita, qua res alienatæ revocantur, quæ *Pauliana* dicitur, a Paulo Prætore, aliquando *Calvisiana*, a Calvisio, qui, & ipse Prætor, hac de re edictum fecit, quibus accessit *Fabiana*.

Calvisiana & Fabiana Patronis competit in res libertorum, in fraudem eorum alienatas; *Pauliana* autem

 tem

tem soli creditori datur, & quidem fraudato re, & proposito.

Datur Pauliana Actio, adversus eum, qui, sciens debitorem non esse solvendo, ab eo aliquid aufert, quocunque contractu; puta venditione, aut oppignneratione, aut dotis donatione, aliove quolibet pacto: nam, contra ignarum fraudis agi nequit, nisi quatenus locupletior est, multo minus adversus tertium, bonæ fidei possessorem.

Venit in hanc Actionem Rei restitutio, quæ omnimodo restituenda est in eum statum, in quo fuit ante alienationem, revocato nimirum dominio, omniq; jure, quod in alium est translatum. Veniunt & *fructus*, qui tempore alienationis terræ cohæserunt, & qui post inchoatum judicium percipiuntur.

Competit hæc Actio *ex die factæ alienationis*, & quidem intra annum utilem indistincte, etiam adversus eum, qui doli particeps non fuit, post annum, in fraudulentos tantum, in id, quod ad eos pervenit, aut pervenire potuit.

DIGESTORUM
LIBER XLIII.

Titulus I.

De Interdictis, sive Extraordinariis Actionibus, quæ pro his competunt.

I*Nterdicta*, erant formæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat: & quia Prætor inter duos litigantes interdictum reddebat, nec dabat judicem, uti cum Actionem

nem tribuit, idcirco appellatum est Interdictum, quasi *inter duos dictum*.

Ad finiendas Possessionum controversias, *Prætor Interdicta protulit*; nam, oborta de possessionibus contentione, ne interea, dum litigabatur, ad vim & arma res deveniret, utroque litigatorum in possessionis utilitatem imminente, Prætor statim aliquid inter eos interdicebat, puta, vetando vim fieri, donec causa ordinario judicio plenius disceptaretur.

Interdictum, proprie loquendo, non est Actio, sed *interdum sequebatur Actio*. Nam, Prætor interdictum reddebat, deinde, si dubitabatur, an quis eo interdicto teneretur, de eo quærebatur apud Judicem, per Actionem in factum. Verbi causa Prætor interdicebat: *Quod vi aut clam fecisti, restituas*: si ille, contra quem interdictum impetratum erat, negabat se vi aut clam fecisse, de eo quærebatur apud Judicem per Actionem in factum. Sed, hæc omnia in desuetudinem abierunt; hodie namq; extra ordinem agitur, perinde ac si Prætor interdixisset; idcirco Rubrica tituli concepta est: *De Interdictis, seu extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt*. Interdictorum igitur formulæ & ritus non sunt in usu, sed eorum effectus manet, ipso jure interdicente, cum olim Prætor vivus interdictum redderet.

Interdictorum variæ sunt divisiones. Præcipua hæc esse videtur: Quædam sunt hominum causa, quædam divini juris, aut de religione. Hominum causa, vel pertinentia ad publicam utilitatem, vel juris sui, vel officii tuendi causa, vel ad rem familiarem defendendam. Hæc, sunt vel adipiscendæ, vel recuperandæ, vel retinendæ possessionis.

Titulus 2.
Quorum Bonorum.

PRimum interdictum, a primis Prætoris verbis, (nam multa a primis edicti verbis nomen sumunt) appellatur *Quorum bonorum*. Hoc Prætor jubet, ut quodcunq; corpus ex his bonis, quorum possessio alicui data est, alius quispiam pro herede, (id est, bona fide, putans se esse heredem, vel bonorum possessorem,) aut pro possessore, (id est, mala fide, sciens se non esse heredem, nec bonorum possessorem) possidet, vel dolo malo fecit, quo minus possideret, id ei restituat, cui possessio data est.

Datur Actio ex hoc Interdicto, *Directa* quidem Bonorum Possessori, cui specialiter Prætor providit, ut decretam a se possessionem tueretur: *Vtilis* autem, ex interpretatione, cuilibet heredi, etiam Suo, adversus eum, qui pro herede ejus, cujus de hereditate agitur, vel pro possessore possidet. At, contra justo titulo possidentes, cum ne quidem petitio hereditatis detur, multo minus Interdictum competere dicendum est.

Titulus 3.
Quod Legatorum.

INterdictum *Quod Legatorum*, est interdictum adipiscendæ possessionis, quo agit heres, post aditam hereditatem, ut possessionem rei legatæ, quam legatarius occupavit, adipiscatur. Æquissimum enim est, ut legatarius non sibi jus dicat, licet dominium ad eum pertineat, sed ab herede possessionem habeat.

Dolo quidem cæteroquin agit, qui petit, quod mox redditurus est, nimirum cum non interest actoris, ut

rem interim habeat: *at heredis id interest*, puta, ut constet de legato, an debeatur propter legem Falcidiam, aut ob æs alienum; ac deinde hic tantum agitur de possessione interim habenda, non de re ipsa.

Titulus 4.

Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus fuerit.

AD universalia Edicta pertinet & illud, quod redditur ex generali Edicto, *Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*: quo Prætor omnes omnium possessiones, a se decretas, tuetur, promisso interdicto, sive judicio, aut Actione, si edicto non paritum esse dicatur.

Est hoc Interdictum partim Prohibitorium, quia diserte prohibet vim fieri; partim Restitutorium, jubet enim possessionem restitui Prætor, aut, nisi factum erit, damnari Reum, quanti ea possessio est.

Titulus 5.

De Tabulis exhibendis.

EX interdicto *de Tabulis exhibendis*, datur actio omnibus, quibus aliquid in testamento, vel libello, sive codicillis adscriptum est, quorumq; interest exhiberi, dummodo jurent, quod sua interesse credant.

Datur adversus possessorem, vel tabularum detentorem, qui negat se tabulas possidere, vel ob certam probabilemve causam exhibere recusat, ut eas exhibeat, id est apprehendendarum copiam apud Magistratum faciat.

Quod si quis confiteatur se possidere, nec ullam justam causam prætendat, quare exhibere non debeat, in hunc Prætor interdictum non reddit, sed statim ex officio cogit ad exhibendum.

Titulus 6.
Ne quid in Loco Sacro fiat.

POst Interdicta ad universitatem rerum attinentia, sequuntur nunc *Singularia*.

Interdicto, *Ne quid in loco sacro fiat*, vetatur, ne quid, quod deformitatem vel incommodum habet, fiat in loco sacro, vel immittatur; quod & referendum est ad Portas, aut alia loca sancta.

Titulus 7.
De Locis, & Itineribus publicis.

DE Publicis rebus, quæ sunt humani juris, primo Edictum generale proponitur, *De locis & itineribus publicis*, quo vetat Prætor quid fieri, ad impediendum loci publici usum. Interdicit autem fere modis, qui deinde sequuntur.

Loca publica sunt, quorum solum est publicum.

Via publica est, cujus solum publicum est, relictum in directum, certis finibus latitudinis, ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur. Vocatur etiam via regia, & consularis, vel militaris.

Via privata est, quæ est in fundo serviente, ut ad fundum alterius ducat; vel, quæ ex via consulari ad fundum privatum ducit.

Titulus 8.
Ne quid in Loco Publico, vel Itinere fiat.

DE *publicis locis omnibus*, i. e. iis, quæ utilitatibus publicis & singulorum serviunt, nullius tamen pri-

privati in bonis existunt, sed proprietate ad universitatem pertinent, Prætor edicit, ne quid ibi fiat, neve quid in eum locum immittatur, quod alicui damnum det; nisi lege, aut SC, aut constitutione Principis concessum sit.

Damnum pati videtur, qui commodum qualecunq; amittit, quod ex publico consequebatur.

Prætor vetat in via publica, itinereve publico, aliquid *immitti*, quo ea via, idve iter deterius sit, vel fiat.

Deterior via fieri dicitur, si usus ejus ad commeandum, i. e. ad eundum, vel agendum corrumpatur.

Titulus 9.

De Loco Publico fruendo.

ACtio *De loco publico fruendo*, publicæ utilitatis gratia, ad conservanda vectigalia, conductoribus publicorum locorum, adversus inquietatores, concessa est, qua suam quasi possessionem tueantur, cum nullam jure civili habeant. Sed & socio publicani datur; quod & ipsum singulare est: nam alias ex contractu socii, non potest socius, nisi cedatur, Actione uti.

Titulus 10.

De Via publica, & si quid in ea factum esse dicatur.

QVia parum est, usum Viarum liberum esse; nisi etiam purgentur eæ, & reficiantur, ut usibus pateant, huic quoque rei provisum est.

Vrbanis quidem viis, *Edicto Ædilium Curulium*, penes quos harum cura est, qui vetant aliquid immittere, facere, projicere in viam publicam, quod prætereuntibus aut impedimento, aut noxæ esse possit; ju-

bentq; unumquemque, juxta propriam domum, viam publicam reficere & purgare.

Titulus 11.

De Via publica, & Itinere publico reficiendo.

VIis *Rusticis* purgandis, quarum curam sustinere Magistratus urbicus nequit, Prætor in subsidium hoc interdicto consulit, ne vis fiat reficienti viam, vel iter publicum.

Titulus 12.

De Fluminibus: ne quid in Flumine publico, Ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.

F*Lumen* dicitur a fluendo, nec specie a Rivo differt, sed magnitudine, ex qua, & ex accolarum existimatione dijudicatur.

Fluminum quædam sunt perennia, quæ semper fluunt; quædam torrentia, quæ hyeme fluere, æstate exarescere solent.

Ripa, est id, quo flumen continetur, naturalem sui cursus rigorem tenens. Nam, si quando vel imbribus, vel alia ratione flumen ad tempus excrescat, ripas non mutat; sed, si naturaliter crevit, perpetuumq; incrementum, vel alio flumine admixto, vel alia ratione nactum sit, ripas sine dubio mutavit.

Inter Lacum & Stagnum hoc interest, quod ille perpetuam, hoc temporalem aquam habet.

Fossa, est receptaculum aquæ, manu factum.

Prætor prohibet, ne quid in flumine publico ripave ejus fiat, immittaturve, quo statio navium, aut navigatio deterior fit.

Titu-

Titulus 13.

Ne quid in Flumine publico fiat, quo aliter Aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit.

PRætor prohibet, in flumine publico, (sive navigabile sit, sive non navigabile) ripave ejus, aliquid fieri, vel immitti, *quo aliter aqua fluat, quam priori æstate fluxit.*

Prætor *Æstatem* in edicto comprehendit, quia semper certior est naturalis fluminis cursus æstate, quam hyeme, propter hibernas eluviones,

Prohibet igitur Prætor, ne derivationibus, constructione molarum, aliisq; ejuscemodi operibus, flumina exarescant, aut cursus eorum mutetur, aut depressior, vel altior fiat aqua, in detrimentum vel publicum, vel accolentium.

Titulus 14.

Vt in Flumine publico navigare liceat.

PRætor prohibet, *ne legitimus usus impediatur fluminis,* ripæ, lacus, fossæ, stagni, si modo hæc publica sint; privata enim flumina nihil differunt a cæteris bonis. Vetat ergo vim fieri naviganti in publico flumine, aut in ripa oneranti vel exoneranti navem, aut pecus ad flumen, ripamve ducenti.

Titulus 15.

De Ripa munienda.

PRohibet Prætor, *ne fiat vis opus in flumine publico ripave ejus facienti,* ripæ, agrive, qui circa ri-

pam

pam est, tuendi, reficiendi, muniendi causa: dummodo eo opere deterior navigatio non fiat, & is qui facit, vicinis, & his quoque, qui ultra flumen prædia possident, de damno infecto, in annos decem, viri boni arbitratu, caveat, vel satisdet.

Titulus 16.
De Vi, & Vi armata.

INterdictum de Vi datur propter vim atrocem, qua quis de possessione soli, aut rei, quæ solo cohæret, ut ædificii, dejectus est, ita ut possessionem amiserit, nec saltem per alios retinuerit.

Vis duplex est: Altera *quotidiana*, seu privata, quæ fit sine armis; & in hac rubrica vocatur simpliciter vis: Altera *publica*, quæ fit hominibus coactis, & armatis; *Armorum* autem appellatione, non tantum enses & hastæ, sed & fustes & lapides significantur. Hanc ob causam, olim duo de Vi fuerunt Interdicta, e quibus Justinianus unum tantum in Pandectas retulit.

Datur Interdictum cuicunq; possessori, sive animo, sive corpore possideat, licet etiam possideat vi, clam, vel precario a dejiciente. Datur & usufructuario, non colono, quia sibi non possidet.

Datur adversus dejicientem, vel eum, qui mandavit, aut ratum habuit. Etiam adversus heredes, in id quod pervenit, Actione in factum agi potest.

Datur interdictum, ut dejectus ante omnia pristinam possessionem recuperet, (si civiliter agatur,) cum fructibus & omnibus utilitatibus, ex die dejectionis, ac omnibus rebus mobilibus, propriis & alienis, quas præstare debet, quasque ibi habuit dejectus.

Si

Si dejiciciens dominum se dicat, non auditur, etiamsi in continenti offeratur probatio, nisi dejectus consentiat tacite vel expresse, ut cognoscatur de proprietate.

Si quis vim patiatur, in continenti potest eam jure repellere; adeoq; qui in vi repellenda alterum occidit, cum aliter ipsi parcere non potest, ac usus est moderamine inculpatæ tutelæ, jure eum occidit.

Vim passo etiam aliis remediis consulitur. Hæc sunt: 1. Accusatio ex judicio publico de vi. 2. Remedium est *l. 7. C. unde vi.* per quod, si dominus expulerit, dominium amittit; si alius, præter restitutionem rei, mulctatur ejus æstimatione, quam dejecto præstare tenetur. 3. Remedium ex *c. redintegranda. C. 3. q. 1.* cujus beneficio consulitur iis, qui injuste, quolibet modo, possessionem suarum rerum amiserunt, ut possessionem recuperare possint a quolibet, maxime eo, qui non ignorabat, eam vi esse abiatam.

Titulus 17.
Vti possidetis.

ALterum Interdictum de singulis rebus privatis immobilibus, est *Vti possidetis*. Hoc datur iis, qui possident res immobiles, vel quasi possident, vel res incorporales, quæ instar mobilium se habent, adversus eos, qui turbant in possessione, nisi vi, aut clam, aut precario, ab adversario turbante possident.

Datur contra turbantes ac impedientes usum possessionis quolibet modo. Imo & contra eum, qui metum intulit, ne quis colere fundum audeat. Nempe Prætor ei, qui rem immobilem possidet, quo minus ita possideat, vim fieri vetat.

Titu-

Titulus 18.

De Superficiebus.

PRætor Superficiario possidenti, nisi vi, aut clam, aut precario ab adversario possideat, vim, quo minus ita possideat, fieri vetat. Hoc interdictum est omnino superiori simile, & illud tantum proprium habet, quod ad superficiarium pertinet.

Superficies est id, quod solo inædificatum est.

Superficiarius est, qui superficiei, in alieno solo positæ, dominium utile habet, & certam pensionem domino soli præstat. Est igitur similis Emphyteutæ & Vasallo; ab eis tamen discrepat, quoniam Emphyteuta non solum superficiei, sed etiam soli dominium utile habet, sicuti & Vasallus. Atque hi inter se differunt, quod Emphyteuta certam pensionem, Vasallus servitia feudalia domino directo præstat.

Titulus 19.

De Itinere, Actuq; privato.

CVm dicimus in hac rubrica Iter & Actum, *Via* etiam intelligenda venit, quæ ex itinere & actu constat, & duo illa continet.

De Itinere Actuq; duo sunt Interdicta: *Primum* est prohibitorium, ne ei, qui itinere, vel actu, vel via, hoc anno usus est, quo minus ita utatur, vis fiat, nisi vi, aut clam, aut precario ab adversario sit usus. *Secundum* interdictum est, de itinere actuque reficiendo: nam Prætor prohibet vim fieri reficienti, qui jus reficiendi sive præscriptione, sive aliam ob causam habet.

Titulus 20.

De Aqua quotidiana & æstiva.

DE *Aquæ ductu* sunt plura Interdicta, omnia prohibitoria. *Primum* est de *Aqua quotidiana*, quo Prætor ei, qui hoc anno (id est saltem una die vel nocte hujus anni) aquam duxit, nisi vi, aut clam, aut precario ab adversario duxerit, vim fieri vetat, quo minus ita ducat.

Aqua quotidiana dicitur, quæ assidue duci solet, vel æstate, vel hyeme; licet interdum non ducatur.

Prætor permittit aquam eodem modo duci, quo ducta est hoc anno: proinde nec plus aquæ duci potest, nec alia aqua, nec per alium locum. Sed hoc Interdictum requirit bonam fidem, ut Actor putet, se habere jus aquæ ducendæ. *Datur contra eum*, qui aquam duci prohibet, sive sit dominus fundi, sive non.

Secundum Interdictum est de Aqua æstiva, quo Prætor ei, qui superiori æstate aquam duxit, nisi vi, aut clam, aut precario ab adversario duxerit, quo minus ita ducat, vim fieri vetat.

Æstas sex mensibus definitur, ab æquinoctio verno, ad æquinoctium autumnale: reliqua anni pars vocatur hyems.

Aqua æstiva est, quam æstate tantum ducere licet, vel expedit.

Tertium Interdictum est de aqua ex Castello, id est ex eo receptaculo, quod aquam publicam suscipit, ducenda. Nam, Prætor ei, cui ex Castello aquam ducere a Principe permissum est, quo minus ducat, vel, si de damno infecto caverit, quo minus aquæ ducendæ causa opus faciat, vim fieri vetat.

Titulus 21.
De Rivis.

PRætor ei, qui eodem anno, vel ſuperiori æſtate aquam duxit, ſive jus aquæ ducendæ habeat, ſive non habeat, dummodo nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario duxerit, vim fieri vetat, quo minus, aquæ ducendæ cauſa, rivum, ſpecum, ſepta reficiat, purget: ſic tamen, ne aliter aquam ducat, quam antea uſus eſt.

Rivus, eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrit, dictus ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, a fluendo.

Specus, eſt locus ex quo deſpicitur.

Septa ſunt, quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ cauſa, ſive lignea ſint, ſive lapidea, ſive ex alia qualibet materia.

Incile, eſt locus depreſſus ad latus fluminis, ſic dictum, quia vel lapis vel terra inciditur, ut aqua ex flumine agi poſſit.

Titulus 22.
De Fonte.

DE aquæ hauſtu, & pecoris ad aquam appulſu, duo Interdicta prohibitoria ei dantur, qui de fonte, lacu, puteo, piſcina, nec vi, nec clam, nec precario (ſaltem ab adverſario) aqua uſus eſt.

Primum Interdictum eſt, ne ei vis fiat, quo minus ita aqua utatur.

Alterum Interdictum eſt, ne ei vis fiat, quo minus fontem, vel lacum, vel puteum, vel piſcinam reficiat, ut aquam coërcere, & ea uti poſſit; dummodo non aliter utatur, atque eodem anno uſus eſt, & de damno infecto caveat.

Titu-

Titulus 23.
De Cloacis.

CLoaca, est locus cavus, per quem colluvies quædam fluit: & est vel publica, vel privata.

De cloaca privata est Interdictum, quo Prætor vetat vicinum vim facere, quo minus cloaca reficiatur, purgetur, ab eo qui damni infecti cavet, etiamsi vitiose possideat: quia publice interest, cloacas purgari, unde nec per operis novi nunciationem potest purgatio & refectio cloacæ impediri.

De Cloaca publica Prætor jubet, ut, quod quis in ea factum immissumve habet, quo usus ejus deterior sit, id restituat, & ne quid fiat immittaturve; denique ne vis fiat cloacam purganti & reficienti.

Titulus 24.
Quod vi, aut clam.

DE opere, quod in solo, vi, aut clam factum est, datur *Interdictum, quod vi aut clam*, quo Prætor opus vi aut clam factum restitui jubet.

Opus facere dicitur, non solum qui aliquid novi operis facit, ut ædificium, aut fossam, sed etiam qui destruit. Nec refert, utrum factum sit in privato loco, an in publico, sive sacro, sive religioso; nec utrum factum sit vi tantum, vel clam tantum, an partim vi, partim clam.

Vi facit, qui prohibitus facit, & qui, quo minus prohiberetur, consecutus est, vel periculo adversariis denunciato, vel janua clausa; & sufficit vim initio factam esse; licet enim singulis momentis non fiat, tamen semel facta perseverare intelligitur.

Clam facit, qui celavit adversarium, cum existimaret, aut existimare deberet, eum esse prohibiturum.

Hoc interdictum *ei competit*, cujus interest, opus factum non esse, sive sit dominus, sive non, etiamsi non possideat. In hoc autem competit, ut, si possideat reus quod factum est, suis sumtibus restituat, id est reponat in antiquum statum, destructo opere, quod vi, clamve fecit: si non possideat, restitui curet a possessore, refuso etiam eo quod interest, & fructibus restitutis.

Datur hæc actio etiam heredibus, in heredes vero, duntaxat quatenus ad eos pervenit; & est annalis, exemplo reliquarum, quæ ex jurisdictione Prætoris proficiscuntur.

Titulus 25.
De Remissionibus.

R*Emissio*, est nunciationis novi operis solutio, vel ex voluntate nunciantis, vel Prætoris imperio, vel alia justa causa. Nam, si quis nunciet ibi, ubi jus non habet, nunciatio nequaquam tenet; sin jure renunciet, tam diu tenet renunciatio, quoad remissa est voluntate nunciantis; aut in ea causa est, ut remitti debeat, puta cautione, de demoliendo novo opere, si injuste ædificatum apparuerit, præstita, aut oblata.

Titulus 26.
De Precario.

P*Recarium* est, quod precibus utendum conceditur, & quidem tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur. Est juris gentium, simile Commodato; sed ab eo differt, quia non est ad certum usum, nec est contractus, ideoq; non parit actionem civilem, sed tan-

tantum Interdictum; receptum tamen est ex æquo & bono, ut detur etiam Actio præscriptis verbis.

Jubet Prætor, ut is, *qui ab altero precario habet, vel dolo malo fecit, ut desineret habere*, id ei restituat. Alioquin, nisi restituat, in tantum condemnabitur, quanti actoris est rem restitui: quod spectatur ab eo tempore, quo Interdictum editum est, proinde etiam fructus ex die Interdicti editi præstabuntur.

Heres tamen ex dolo defuncti non tenetur, nisi in id, quod ad eum pervenit.

Titulus 27.

De Arboribus cædendis.

DE *Arboribus* sunt duo Interdicta prohibitoria: *Primo*, si arbor ex ædibus tuis in ædes vicini impendeat, si per te stet, quo minus eam adimas: tunc quo minus illi eam arborem adimere, sibiq; habere, id est totam arborem succidere, ac ligna tollere liceat, vim fieri Prætor vetat. Arboris appellatione etiam Vitis continetur.

Secundo, si Arbor ex agro tuo in agrum vicini impendeat, si per te stet, quo minus pedes quindecim a terra eam altius coërceas, tunc, quo minus illi ita coërcere, id est, inferiores ramos amputare, lignaq; sibi habere liceat, vim fieri Prætor vetat. Cujus interdicti ratio est, ne umbra arboris vicino prædio noceat.

Titulus 28.

De Glande legenda.

DE *Fructibus* unum est Interdictum, similiter prohibitorium, ne vis fiat vicino, quo minus Glandem, quæ ex ejus agro in tuum cecidit, tertio quoq;

die legere, & auferre liceat. *Glandis* appellatione omnes fructus ſignificantur.

Titulus 29.

De Libero Homine exhibendo.

DE *hominibus liberis* ſunt tria Interdicta. *Primum* eſt de quocunq; homine libero. & eſt Exhibitorium. Nam libertatis tuendæ cauſa Prætor jubet, ut quem hominem liberum dolo malo quis retinet, eum exhibeat.

Exhibere, eſt in publicum producere, & videndi tangendique hominis poteſtatem facere; quod non aliter fit, quam ſi extra ſecretum habeatur. Hoc Interdictum eſt populare, & omnibus competit.

Titulus 30.

De Liberis exhibendis, item ducendis.

REliqua duo Interdicta ſunt de Liberis noſtris.

Secundum Interdictum eſt exhibitorium, quo Prætor jubet, ut extraneus, penes quem eſt filiusfamilias, quive dolo malo fecit, quo minus penes ſe eſſet, eum parenti, in cujus poteſtate eſt, exhibeat.

Tertium Interdictum eſt prohibitorium, ne vis fiat parenti, quo minus liberos, quos in poteſtate habet, ducere ei liceat. Superius Interdictum eſt hujus præparatorium, nam, liberi exhibendi ſunt, ut duci poſſint.

Hujus actionis exemplo, datur & Marito jus agendi, de exhibenda & deducenda uxore, etiam adverſus ſocerum.

Titu-

Titulus 31.
Vtrubi.

SVperſunt Interdicta de *Rebus Mobilibus*, quæ ſunt in commercio. Primum Interdictum a primo verbo dicitur *Vtrubi*, cujus eadem vis eſt in rebus mobilibus, quæ Interdicti Vti poſſidetis, in rebus immobilibus.

Titulus 32.
De Migrando.

S*Ecundum* Interdictum eſt, ne vis fiat inquilino migranti, quo minus abducere, asportare ei liceat, quæ non ſunt domino ædium pignerata: vel, quia in pignoris cauſam non venerunt: vel, quia merces ſoluta eſt, aut per dominum ædium ſtat, quo minus ſolvatur.

Titulus 33.
De Salviano Interdicto.

T*Ertium* Interdictum, quod a Salvio Juliano, Edicti perpetui conditore (ut probabile eſt) appellatur Salvianum, eſt Reſtitutorium adipiſcendæ poſſeſſionis. *Directum* domino fundi competit, de rebus coloni ſibi pigneratis, contra quemcunq; poſſeſſorem. *Vtile* datur eidem domino fundi, de partu ancillæ pigneratæ, poſt eam venditam edito, & cuivis alii creditori, adverſus ipſum debitorem, non adverſus extraneum poſſeſſorem.

DIGESTORVM LIBER XLIV.

Titulus 1.

De Exceptionibus, Præſcriptionibus, & Præjudiciis.

EXceptio, eſt allegatio, quam Reus, conventus in judicio, intentioni Actoris opponit.

Præſcriptio eſt, qua modus, tempus, locus, aliæq; circumſtantiæ actionis determinantur, & quaſi circumſcribuntur; ut, cum reus oſtendit coram alio judice, aut ab alio actore, aut cum alio, aut non hoc loco vel tempore, eſſe agendum. Solent autem voces Exceptio & Præſcriptio promiſcue uſurpari; unde & exceptio poſſeſſionis, qua ſe adverſus dominum poſſeſſor tuetur, præſcriptio longi temporis appellatur.

Præjudicium in jure crebro accipitur pro certo actionum genere, quæ præjudiciales appellantur, cum videlicet ante quid petitur judicari, quam ad principale negotium perveniatur. Harum ad Actionum ſimilitudinem, Exceptiones etiam quædam præjudiciales ſive præjudicia dicuntur, quibus nimirum Reus ita excludit agentem, ut dicat, præjudicium, per novum aliquod judicium, quod adverſarius moliatur, principaliori actioni fieri non debere.

Titulus 2.

De Exceptione Rei judicatæ.

EXceptio rei judicatæ eſt, qua reus allegat ſententiam de controverſia latam eſſe, atque ob eam cauſam litem non poſſe reſuſcitari. Ideo introducta

eſt

est hæc exceptio, quia uni liti unum judicati finem sufficere oportet; alioquin modus litium multiplicatus, summam atque inexplicabilem faceret difficultatem.

Habet locum Exceptio, cum est eadem res, eadem causa agendi, ac eædem personæ, ac earum eadem qualitas. Vtrum autem sit diversum genus sive modus actionis, an idem, non interest; modo eadem res, eademq; causa agendi maneat.

Quod si quis partem petat, qui totum ante petiit, manet eadem res; & sic exceptio hæc nocebit.

Titulus 3.

De diversis temporalibus Præscriptionibus, & de Accessionibus Possessionum.

PRæscriptio temporis multas species sub se continet; sed omnes ad *tria genera* videntur referri posse. 1. Actioni in *personam temporali* opponitur Exceptio illius temporis finiti, quo actio terminatur: veluti, si quis agat Redhibitoria post sex menses, aut, Quanto minoris, post annum, aut, de Dolo, post biennium. 2. *Actioni in personam perpetuæ* præscribitur ex constitutionibus longissimo tempore, id est 30. vel 40. annis. 3. *Actioni in Rem* opponitur præscriptio longi temporis, id est 10. annorum inter præsentes, aut 20. inter absentes. Sed, si res mobilis cum justo titulo possideatur, triennium sufficit.

In hoc tertio exceptionis genere habetur ratio interruptionis, & accessionis. Nam *Interruptio* possessionis nocet præscribenti, quia possessio continuata requiritur: & *Accessio* prodest, quia tempus primi pos-

præſumitur, non directo probatur; uti in literarum obligatione: vel, cum ſubtilitas juris, qua obligatio ſuſtinetur, pugnat cum æquitate; uti ſi quid metu vel dolo ſit geſtum. Illo modo habet efficaciam; hoc, vel nullas habet vires, vel per reſtitutionem in integrum reſcindi poteſt.

Obligatio Mixta eſt, quæ, & ex æquitate naturali, & ex jure civili ſubſidium habet, ac omni ex parte eſt valida, uti ſit in ſocietate, in mutuo.

Naturalis obligatio eos habet effectus, ut proficiat ad Exceptionem, impediat Condictionem indebiti; Fidejuſſorem, Pignus, Compenſationem, & Novationem admittat.

Obligatio quoque vel eſt ex Contractu, vel quaſi, item ex Maleficio, vel quaſi.

Actio eſt jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.

DIGESTORVM LIBER XLV.

Titulus 1.

De Verborum Obligationibus.

S*Tipulatio*, eſt contractus, qui verbis perficitur, præcedente interrogatione, & ſequente congrua reſponſione. Dicta eſt ſtipulatio a *ſtipulato*, quod veteribus ſignificabat firmum; eſt enim firmiſſimus contractus, per quem nobis cavetur.

Titulus 2.

De duobus Reis conſtituendis.

AVt unus ſtipulatur, & unus promittit; aut duo rei ſtipulantur, vel promittunt.

Vt

Vt plures debendi vel stipulandi rei fiant, requiritur 1. ut sit eadem res, quæ in stipulationem deducitur. 2. Vt sit eadem causa obligationis. 3. Vt singuli in solidum expresse vel tacite se obligent. 4. Vt quilibet sit principaliter obligatus.

Titulus 3.

De Stipulatione Servorum.

NOn modo liberæ personæ, sed etiam *Servi stipulari possunt*. Etsi enim in iis, quæ ad jus civile pertinent, nulla Servorum habetur ratio, neque personam sustinere videntur; tamen, quia respectu domini caput habeat, recte stipulari possunt. Nam, dominus cui acquiritur, quadam juris interpretatione, per manum servi, tanquam instrumentum, contrahere fingitur.

Si Factum stipuletur servus, quod suam personam respiciat, ut sibi liceat agere, ire &c. persona tantum stipulantis continebitur, quia personalia facta ad alios transire non possunt.

Cum hereditas personam defuncti sustineat, etiam *hereditarius Servus* stipulari poterit.

DIGESTORUM

LIBER XLVI.

Titulus 1.

De Fidejussoribus, & Mandatoribus.

QVi suo nomine obligatur, est *Reus principalis*; qui alieno nomine, dicitur *Fidejussor*, videlicet, si, principali obligatione manente, accedat.

No-

Vt efficaciter fiat solutio ratione Personarum, 1. necesse est, ut is sit, qui solvere possit; sunt enim nonnulli, qui non possunt; ita pupilli sine tutoris autoritate, aliiq; qui nihil alienare possunt, non solvunt, nec rem faciunt accipientis; imo, quod solutum est, vindicari potest. 2. Necesse est, ut ei solvatur, qui liberare potest.

Ratione Rerum necesse est, 1. ut totum solvatur, nisi pars debiti sit illiquida, vel fiat partis solutio ex voluntate. 2. Vt idem non aliud solvatur, nisi necessitas, vel lex publica, vel creditoris voluntas aliud admiserit.

Titulus 4.

De Acceptilatione.

Acceptilatio, est solutio imaginaria, cum, quod debetur, acceptum fertur, ac si vere solutum esset. Vel, est liberatio, per mutuam interrogationem, per quam contingit ab obligationis nexu absolutio.

Acceptilatio fit vel *simpliciter*, cum verborum obligatio verbis tollitur; vel *per Aquilianam stipulationem*, cum, quod ex alia causa debetur, prius transfunditur in obligationem verborum, & deinde tollitur.

Titulus 5.

De Stipulationibus Prætoriis.

Stipulationes Prætoriæ sunt eæ, quas Prætor interponit, & quæ sunt ex Edicto ejus. Hæ sunt vel *Judiciales*, quæ propter judicium interponuntur, ut judicatum solvi: vel *Cautionales*, quæ ad securitatem fiunt, uti sunt de legatis, de tutela: vel *Communes* quæ fiunt & causa judicii & securitatis, uti quæ fiunt judicio sistendi causa.

Stipu-

Stipulationes Prætoriæ requirunt fidejussores, cum satisdatio in specie exigitur, non cum in genere cautio; sufficit enim nonnunquam nuda promissio. Ita in novi operis nunciatione, qui suo nomine cavet, repromittit; qui alieno, satisdat. De Opere, quod in privato factum, exigitur Satisdatio; de eo, quod in publico, Repromissio.

Titulus 6.

Rem Pupilli vel Adolescentis salvam fore.

REm *Pupilli vel Adolescentis salvam fore*, tutores & curatores, antequam administrationem suscipiant, satisdare debent; exceptis testamentariis, & dativis, qui ex inquisitione sunt. His tamen a collega offerri poterit, utrum satis accipere velint, an satisdare.

Cavetur hac stipulatione ipsi pupillo. Qui, si præsens est, & fari potest, etiamsi ejus ætatis sit, ut non intelligat, quid agatur, tamen propter utilitatem receptum est, recte eum stipulari & agere. Quod si aliter erit, servus pupilli, aut, eo deficiente, servus, seu notarius publicus, ejus nomine ad acquirendam pupillo Actionem stipulabitur, aut dare aliquem Prætor debebit, cui caveatur.

Titulus 7.

Judicatum solvi.

COnventus Actione Reali, aut in Personam, sed alieno nomine, satisdare *judicatum solvi* cogebatur: quæ quidem stipulatio tres clausulas in unum collectas habet: nempe, de re judicata, de re defendenda, & de dolo malo.

Prima est de re judicata, ut in tantum committatur stipulatio præsteturque, quantum judex deberi pronunciaverit, ex causa tamen principali: nam, si quid rei judicatæ accesserit, ex contumacia aut delicto Rei, ad id iniquum esset fidejussores teneri.

Secunda est de re, hoc est, de causa defendenda: ut, nisi boni viri arbitratu lis agatur, & defendatur Reus, quanti hoc nomine interest, exigere Actor a Reo & Fidejussoribus possit. *Res* autem *defensa non videtur*, si non in solidum defendatur, aut quando certum esse incipit, neminem posse existere, qui reum defendat.

Tertia clausula est, dolum malum abesse, absuturumq; esse.

Titulus 8.

Ratam rem haberi, & de Ratihabitione.

REm *ratam haberi* petunt a se mutuo Procuratores Actoris & Rei, aut cum non satis idonee de mandato constat, aut cum alioqui mandatum exhibere non coguntur, uti conjunctæ personæ. Nam, qui alieno nomine agit quacunque Actione, id ratum habiturum eum, ad quem illa res pertinet, cavere debet.

Ex hac stipulatione agitur adversus Promissorem, ejusque Fidejussores & Successores, nisi aliud sit actum, in id, quanti interest dominum rem ratam habuisse. Quæ quidem stipulatio in nervum abit statim atque dominus, de re gesta certior factus, eam ratam non habet.

DIGESTORVM LIBER XLVII.

Titulus 1.

De Privatis Delictis.

DElictum aliud est publicum, aliud non publicum.

Non-publicum, est vel Privatum, vel Populare.

Privatum delictum est, ad cujus pœnam tantum læsus agit, non alius.

Privatum delictum est vel Ordinarium, vel Extraordinarium. Ordinariorum Delictorum species sunt: Furtum, Rapina, Damnum injuria datum, ac Injuria.

Privata delicta id commune habent: 1. Quod læsi tantum agant. 2. Quod actiones pœnales pecuniariæ non dentur contra heredes, nisi lite contestata, vel quatenus ad heredes pervenit. 3. Quod non desideretur inscriptio nisi criminaliter agatur. 4. Quod, si multa concurrant, nullius debeat dari impunitas.

Titulus 2.

De Furtis.

F*Vrtum*, est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi causa, vel Rei, vel Vsus, vel Possessionis.

Fur enim vel *ipsam rem* lucrari cupit, ut cum rem alienam occultat: vel *possessionem*, ut cum Debitor Creditori Pignus surripit: vel *usum*, ut cum Depositarius re deposita utitur.

Vt Furtum dicatur commissum, requiritur 1. ut sint personæ doli capaces. Hæc autem capacitas, non ex annis certis, sed ex facto, pro re nata, ad arbi-

trium judicis æstimanda est. 2. Vt penes furem sit affectus furandi. 3. Vt fiat invito domino. 4. Vt res sit talis, quæ possit cadere in furtum.

Furtum est vel Manifestum, vel Non manifestum.

Manifestum Furtum est, cum fur deprehenditur vel in loco, quo furtum fit, vel cum re, antequam detulerit ad locum, in quem deferre voluit. Reliqua sunt *Non manifesta.*

Furti Actio datur non tantum Dominis, quibus furtum est factum, sed & omnibus, quorum interest, ex honesta causa rem esse salvam, quiq; levem culpam præstare debent.

Pœna ordinaria furti de jure civili est tantum pecuniaria, in manifesto quadrupli, in non manifesto dupli. Præter hanc, datur & Vindicatio contra possessorem, vel Condictio furtiva, contra furem, aut ejus heredem in solidum. *Extraordinaria* pœna est criminalis.

Rem furtivam in alienis ædibus non aliter quærere licet, quam cum suspicio est contra illum, in cujus ædibus inquisitio facienda, vel publica utilitas id urget. Nec aliter *Inquisitio* fiet, quam præsentibus ad eam rem ex Senatu deputatis.

Titulus 3.

De Tigno juncto.

T*Igni* appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constat, vel, quæ vineæ est necessaria.

Tignum quamdiu junctum est, nec vindicare lex 12. tabb. permittit, ne ædificia rescindantur, neve cultura vinearum turbetur; nec ejus nomine agi ad exhibendum, nisi adversus eum, qui mala fide junxit:

xit: ſed in eum, qui junxit, actionem dat in duplum. *Soluto autem ædificio*, vel ſeparato tigno a vinea, dominus poteſt illud vindicare, & ad exhibendum agere, niſi jam ſit duplum conſecutus.

Titulus 4.

Si is, qui teſtamento liber juſſus erit, poſt mortem domini ante aditam hereditatem, ſurripuiſſe aut corrupiſſe quid dicatur.

S*Ervus in teſtamento liber eſſe juſſus, ſi rem hereditariam dolo malo aut lata culpa ſurripuit, vel corrupit*, non poteſt puniri ut Servus, quia libertas ei in domini teſtamento relicta eſt: quin nec poteſt furti conveniri, facit enim hereditati furtum, hoc eſt dominæ; dominus autem dominave non poſſunt habere furti actionem cum ſervo, etiam poſt libertatem, niſi poſtea quoque eam rem contrectaverit. In hunc igitur Prætor, naturalem æquitatem ſecutus, intra annum dat utilem actionem in duplum.

Titulus 5.

Furti adverſus Nautas, Caupones, Stabularios.

E*X Furto facto in Navi, Caupona, vel Stabulo*, datur Actio in Exercitores in duplum, ſi per eos furtum ſit factum, quorum opera exercentur naves: ſi per Viatores, poteſt agi & adverſus Exercitores in ſimplum, ad reſtituendum quod ablatum eſt, & adverſus ipſos viatores furti in duplum.

Titulus 9.

De Incendio, Ruina, Naufragio.

SI *quis ex incendio, ruina, naufragio, rate nave expugnata, rapuisse*, vel dolo malo recepisse, damnive quid in his rebus dedisse dicetur, in eum intra annum utilem in quadruplum, post annum, in simplum actionem Prætor dat.

Ex incendio rapitur, quod propter incendium rapitur, vel ex ipso igne, vel ex loco, ubi incendium fit, vel ex adjacentibus prædiis.

Ex Ruina rapi dicitur, si quid ex his, quæ ruerunt, sive ex adjacentibus, aliquis rapiat, dummodo ruinæ tempore rapiat.

Quod si Incendium vel Ruina non fuit, sed tantum ejus suspicio, Edictum cessat.

Ex Naufragio rapi dicitur, si tempore & loco naufragii quis rapiat: qui autem rem in litore jacentem, postquam naufragium factum est, abstulit, is furti, neutiquam vero ex hoc Edicto tenetur.

Navis expugnari dicitur, cum spoliatur, aut mergitur, aut dissolvitur, aut pertunditur, aut vela ejus a furibus præciduntur aut conscinduntur, aut anchoræ involantur.

Titulus 10.

De Injuriis & Famosis libellis.

I*Njuria* aliter hic accipitur, ac in lege Aquilia, quæ est de damno injuria, id est culpa dato.

Hoc loco *Injuria denotat* omne illud, quod dolo malo in alterius contumeliam vel contemtum admittitur.

Injuria est vel Realis, vel Verbalis. *Realis* fit re vel facto, quod in alterius tendit contumeliam, idq; vel in corpore, vel extra corpus. *In corpore*, cum manus inferuntur, verberando, quod cum dolore, vel pulsando, quod sine dolore contingit, vel etiam verbera comminando. *Extra corpus*, cum quis habitu, gestu, vel alio aliquo actu despicatui ducitur.

Verbalis Injuria fit vel *Verbis*, uti si quis maledictum vel convitium in aliquem ingerat, aut dicendo, mentiris, calumniaris, etiamsi additum sit, salvo honore; protestatio enim facto contraria nihil operatur. Huc pertinet, si quis virum honoratum Germano sermone tuissat. Vel fit *Scriptis*, uti si alicui objiciatur contumelia per libellum scriptum.

Ratione circumstantiarum loci, personæ, vel temporis aut facti, dividitur injuria in *Levem* & *Atrocem*.

Causa Efficiens injuriæ est dolus animi, contumeliam alicui facere volentis. Hinc, si quis per jocum percutiat, aut dum certat, injuriarum non tenetur. Idem est, si animo corrigendi id faciat.

Facere injuriam nemo potest, nisi sciat se injuriam facere; non est autem opus, ut sciat, sed pati injuriam potest, etiam qui non sentit, ut furiosus.

Injuriarum tenetur, qui verbis secundum propriam significationem nihil injuriosum, sed potius laudem continentibus, per *ironiam* utitur: v. c. si quis aliquem bonum virum vocet, cornutum intelligens.

Personæ injuriam inferentes eæ sunt, quæ doli sunt capaces, & animum habent injuriandi. Hunc animum si Reus neget se habuisse, Actor probare debet. In hac vero probatione etiam præsumtiones & conjecturæ sufficiunt, utpote cum hoc in animo consistat, nec incurrat in sensus.

Quod si vero id, quod dictum factumve est, sua
tura injuriosum sit, Actor non indiget hac proba
ne, cum illud tamdiu animo lædendi factum pra
matur, donec contrarium probetur; quandoq; tan
ei permittitur *Juramentum Purgationis.*

Infantes, Furiosi, Impuberes, utpote doli non
paces, injuriam inferre nequeunt. Idem dicend
de dormientibus, qui furiosis æquiparantur.

Clerici, pravos seculi mores corrigentes, injuriar
non tenentur. Si certæ personæ crimen aliquod
objiciant, ut omnes intelligant, quis notetur, injuri
inferunt, & ideo conveniri ac puniri possunt. R
cessus Imperii Augustanus A. 1530. §. Wir habe
Ist unser Wille / Gemüth und Meinung / daß d
Prediger das Evangelion / nach Auslegung d
Heil. Schrift / und Lehrer / von der gemein
Heil. Christlichen Kirchen approbiret und angenom
men / predigen und lehren / und was disputirl
che Sachen / sich dasselbig zu predigen und zu leh
ren / dazu stumpfierens / schmähens und lästern
enthalten.

Veritas convitii ab animo injuriandi & dolo libe
rat, ita ut adversus hunc Actio injuriarum denegetur
Quod ita se habet jure civili, per textum generalem
l. 18. in pr. h. t. & quoque jure Canonico *c. 1. C. 6
q. 2.* Pragmatici tamen distinguunt, utrum manife-
stari crimen Reip. intersit, an minus; priori casu
proferens, ab actione injuriarum relevatur, posteriori
non item. Nec juvat, convitii habere auctorem,
unde tritum: Wehrmann haben hilft nit.

Afficitur quis injuria vel *Immediate*, vel etiam
Mediate, quando quis per injuriam iis, qui in potesta-
te ejus sunt, affectam læditur.

Inju-

Injuriarum Actio datur ei, qui per ſe, vel per alium injuriam paſſus eſt, adverſus eum, qui per ſe, vel per alium injuriam fecit. Sed neque heredibus, neque contra heredes, neque poſt annum datur.

Hæc actio eſt *Prætoria privata*, quia Prætor permittit, ipſum, qui injuriam paſſus eſt, eam æſtimare: ut Judex vel tanti, vel minoris Reum condemnet, prout ſibi juſtius videbitur.

Concurrit cum Judicio Extraordinario, & certis caſibus cum Judicio Publico, veluti, ſi quis pulſatus, aut verberatus ſit, aut in domum ejus alius vi irruperit.

Poteſtati noſtræ ſubjecti ſunt Servi, & Filiifamilias. Ob injuriam *Servo* illatam, domino tum demum competit Actio, ſi atrox ea ſit, & aperte ad contumeliam domini reſpiciat. Secus ſe res habet de famulis noſtris, qui pro mercede ſerviunt, nam illis illata, etiam atrox injuria, non in noſtram contumeliam facta cenſetur, niſi id aliunde conſtet.

Si *Liberi*, in poteſtate noſtra exiſtentes, injuria afficiantur, ipſis quidem acquiritur Actio, ſecundum *l. 9. ff. de O. & A.* non tamen ab ipſis liberis, ſed a patre exerceri debet, & quidem ſub diſtinctione, quam refert Paulus *l. 18. §. 4. h. t.* utrum quis ſciens, aliquem eſſe filiumfamilias, eidem intulerit injuriam, an ignorans hoc fecerit. Priori, non poſteriori modo, parentibus hæc actio conceditur, filiofamilias vero non aliter, niſi pater ſit abſens, aut vilis conditionis, aut furioſus. Non igitur pater agere poteſt de injuria illata filio emancipato. Quæ de filiis dicta ſunt, valent etiam de Filiabus.

Affectui noſtro ſubjacent *Uxor*, *Sponſa*, & *Nurus*, quibus ſi injuria fiat, ipſa etiam ad maritum, ſponſum, & ſocerum attinet, adeoq; & ipſis injuriarum agere

agere licet, modo injurians in genere sciverit, i uxorem, sponsam, vel nurum esse. Atque sic potest, ut injuria uni immediate illata, tribus, quatuor personis facta videatur, & ut omnibus injuriarum actio acquiratur; neq; actio ab uno in tuta, alterius actionem perimit.

Vxori, ob injuriam marito illatam, actio injuriar non competit: Quamvis enim per mariti injuriam m xime lædatur, attamen cum maritus ejus potestat affectui subjectus non sit, non magis uxori eo nor ne injuriarum actio competit, quam liberis de inju parentum. *Excipe*, si injuria marito facta eti uxoris injuriam involvat, uti si quis maritum corr tum appellet; hoc enim casu ipsi quoque uxori vinc catio injuriæ competet.

Frater, *Affinis*, aliæve personæ conjunctæ in lin collaterali, ob injuriam, quam Frater, Affinis, vel co junctus passus est, injuriarum agere non possunt.

Licet actiones ex delictis provenientes, alias her dibus actoris competant, *attamen hæc Actio in her dem injuriati non transit*, cum ad meram tendat vi dictam, quam moriens remittere videtur. *Excipitu casus*, ubi lis est contestata, nam sic Actio in bonis no stris computatur.

Adversus Heredes injuriantis, quia ex delicto est hæc actio non competit, nisi lis cum injuriante de functo sit contestata.

Finis Actionis est, ut per eam injuriæ illatæ æstimationem consequamur. Licet enim nec fama nec diffamatio proprie æstimationem recipiat, tamen, ut injuriantis petulantia puniatur, Prætor permisit, ut injuriam passus illam certa quantitate, in libello expressa, æstimare, eamq; æstimationem a reo exigere possit,

ſit, ſalva tamen judicis moderatione, qui vel tanti reum condemnabit, vel minoris, prout ei viſum fuerit, ratione circumſtantiarum; habito reſpectu non ad tempus, quo judicatur, ſed ad id, quo facta eſt injuria. Hæc autem æſtimatio fit vel cum, vel absq; juramento.

Sic ſe habet remedium civile. Alterum generale remedium, eſt *Accuſatio criminalis*, qua petitur, ut injurians officio Judicis extraordinaria aliqua pœna coërceatur.

Hæc extraordinaria pœna non tantum eſt pecuniaria fiſco applicanda, aut carceris, vel relegationis, ſed interdum etiam ad corporales, nempe fuſtigationem, vel membri amputationem, imo & ultimum ſupplicium extenditur.

Accuſatio & Civilis Actio non concurrunt cumulative; Actiones enim, ex uno eodemq; fonte deſcendentes, & ad eundem finem & vindictam tendentes, non cumulative, ſed elective concurrunt.

Actio Prætoria Æſtimatoria tollitur 1. morte, tam injuriati quam injuriantis, ante litem conteſtatam. 2. Lapſu anni, non continui, ſed utilis. 3. Remisſione, eaque vel expreſſa, vel tacita. 4. Retorſione.

Ægrotans, ſi in confeſſione remittat injuriam, poſtea convaleſcens, injuriarum agere non poteſt. Qui enim agnoſcit & remittit vindictam, injuriarum agere nequit; quippe remittentibus actiones ſuas non eſt regreſſus dandus, ait Vlpianus *l. 14. §. 9. ff. de Ædil. ed.* Accedit, quod cæteroquin per remiſſionem nihil actum eſſe videretur, quodq; omnis remiſſio ex animo fieri debet.

Tacita injuriæ remiſſio colligitur ex lapſu temporis, nimirum anni; item ex factis, quæ inducunt diſſimulatio-

Prima est de re judicata, ut in tantum committatur stipulatio præsteturque, quantum judex deberi pronunciaverit, ex causa tamen principali: nam, si quid rei judicatæ accesserit, ex contumacia aut delicto Rei, ad id iniquum esset fidejussores teneri.

Secunda est de re, hoc est, de causa defendenda: ut, nisi boni viri arbitratu lis agatur, & defendatur Reus, quanti hoc nomine interest, exigere Actor a Reo & Fidejussoribus possit. *Res* autem *defensa non videtur*, si non in solidum defendatur, aut quando certum esse incipit, neminem posse existere, qui reum defendat.

Tertia clausula est, dolum malum abesse, absuturumq; esse.

Titulus 8.

Ratam rem haberi, & de Ratihabitione.

R*Em ratam haberi* petunt a se mutuo Procuratores Actoris & Rei, aut cum non satis idonee de mandato constat, aut cum alioqui mandatum exhibere non coguntur, uti conjunctæ personæ. Nam, qui alieno nomine agit quacunque Actione, id ratum habiturum eum, ad quem illa res pertinet, cavere debet.

Ex hac stipulatione agitur adversus Promissorem, ejusque Fidejussores & Successores, nisi aliud sit actum, in id, quanti interest dominum rem ratam habuisse. Quæ quidem stipulatio in nervum abit statim atque dominus, de re gesta certior factus, eam ratam non habet.

DI-

DIGESTORVM LIBER XLVII.

Titulus I.

De Privatis Delictis.

DElictum aliud est publicum, aliud non publicum.

Non-publicum, est vel Privatum, vel Populare.

Privatum delictum est, ad cujus pœnam tantum læsus agit, non alius.

Privatum delictum est vel Ordinarium, vel Extraordinarium. Ordinariorum Delictorum species sunt: Furtum, Rapina, Damnum injuria datum, ac Injuria.

Privata delicta id commune habent: 1. Quod læsi tantum agant. 2. Quod actiones pœnales pecuniariæ non dentur contra heredes, nisi lite contestata, vel quatenus ad heredes pervenit. 3. Quod non desideretur inscriptio nisi criminaliter agatur. 4. Quod, si multa concurrant, nullius debeat dari impunitas.

Titulus 2.

De Furtis.

F*Vrtum*, est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi causa, vel Rei, vel Vsus, vel Possessionis.

Fur enim vel *ipsam rem* lucrari cupit, ut cum rem alienam occultat: vel *possessionem*, ut cum Debitor Creditori Pignus surripit: vel *usum*, ut cum Depositarius re deposita utitur.

Vt Furtum dicatur commissum, requiritur 1. ut sint personæ doli capaces. Hæc autem capacitas, non ex annis certis; sed ex facto, pro re nata, ad arbi-

trium judicis æstimanda est. 2. Ut penes furem sit affectus furandi. 3. Ut fiat invito domino. 4. Ut res sit talis, quæ possit cadere in furtum.

Furtum est vel Manifestum, vel Non manifestum.

Manifestum Furtum est, cum fur deprehenditur vel in loco, quo furtum fit, vel cum re, antequam detulerit ad locum, in quem deferre voluit. Reliqua sunt *Non manifesta*.

Furti Actio datur non tantum Dominis, quibus furtum est factum, sed & omnibus, quorum interest, ex honesta causa rem esse salvam, quiq; levem culpam præstare debent.

Pœna ordinaria furti de jure civlli est tantum pecuniaria, in manifesto quadrupli, in non manifesto dupli. Præter hanc, datur & Vindicatio contra possessorem, vel Condictio furtiva, contra furem, aut ejus heredem in solidum. *Extraordinaria* pœna est criminalis.

Rem furtivam in alienis ædibus non aliter quærere licet, quam cum suspicio est contra illum, in cujus ædibus inquisitio facienda, vel publica utilitas id urget. Nec aliter *Inquisitio* fiet, quam præsentibus ad eam rem ex Senatu deputatis.

Titulus 3.
De Tigno juncto.

T*Igni* appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constat, vel, quæ vineæ est necessaria.

Tignum quamdiu junctum est, nec vindicare lex 12. tabb. permittit, ne ædificia rescindantur, neve cultura vinearum turbetur; nec ejus nomine agi ad exhibendum, nisi adversus eum, qui mala fide junxit:

xit: ſed in eum, qui junxit, actionem dat in duplum. *Soluto autem ædificio*, vel ſeparato tigno a vinea, dominus poteſt illud vindicare, & ad exhibendum agere, niſi jam ſit duplum conſecutus.

Titulus 4.

Si is, qui teſtamento liber juſſus erit, poſt mortem domini ante aditam hereditatem, ſurripuiſſe aut corrupiſſe quid dicatur.

SErvus in teſtamento liber eſſe juſſus, ſi rem hereditariam dolo malo aut lata culpa ſurripuit, vel corrupit, non poteſt puniri ut Servus, quia libertas ei in domini teſtamento relicta eſt: quin nec poteſt furti conveniri, facit enim hereditati furtum, hoc eſt dominæ; dominus autem dominave non poſſunt habere furti actionem cum ſervo, etiam poſt libertatem, niſi poſtea quoque eam rem contrectaverit. In hunc igitur Prætor, naturalem æquitatem ſecutus, intra annum dat utilem actionem in duplum.

Titulus 5.

Furti adverſus Nautas, Caupones, Stabularios.

EX *Furto facto in Navi, Caupona, vel Stabulo*, datur Actio in Exercitores in duplum, ſi per eos furtum ſit factum, quorum opera exercentur naves: ſi per Viatores, poteſt agi & adverſus Exercitores in ſimplum, ad reſtituendum quod ablatum eſt, & adverſus ipſos viatores furti in duplum.

Titulus 6.

Si Familia furtum fecisse dicetur.

SI *Furtum a Familia*, id est a servis, extraneo factum sit, Prætor domino innocenti succurrit, ne cogatur toties litis æstimationem offerre, quot servi deliquerunt; sed, vel omnes noxæ dedere, vel tantum solvere possit, quantum solveret, si unus liber furtum commisisset, & retinere familiam. Hoc Edictum ad damnum a familia datum producitur, non ad injuriam a familia factam.

Cæteroqui, quot sunt personæ injuriam inferentes, tot nascuntur Obligationes & Actiones, singuliq; in solidum tenentur. Sed, quia Furto, non injuria præcipue, sed potius damnum, cujus æstimatio in duplum aut quadruplum fit, (non enim fit contumeliæ, sed lucri faciendi gratia) infertur, ideo æquius visum est, quemadmodum in Lege Aquilia, ita & in Furto, pro uno familiæ facto, una tantum Actione dominum teneri.

Titulus 7.

Arborum furtim cæsarum.

ARboris appellatione continentur etiam Vites, Hederæ, Arundines, Salicta.

Cædere dicitur, non solum qui succidit, sed etiam qui cædendi causa ferit: *Cingere*, qui deglabrat, id est librum seu corticem detrahit: *Subsecare*, qui serra secat. *Furtim cædere* dicitur, qui clam cædit, id est, domino ignorante, celandiq; ejus animo facit.

Actio arborum furtim cæsarum lege Aquilia introducta est, & datur domino adversus eum, qui arborem succidit, vel deglabravit, vel subsecuit, vel cinxit,

vel

vel aliquid eorum fieri imperavit. Nec refert, utrum tota arbor, an pars cæsa sit; is vero non tenetur hac actione, qui arborem radicitus evulsit, nec qui per vim sciente domino fecit.

Hæc *Actio est in duplum*, facta æstimatione ejus, quod domini interest non lædi; de qua deducitur pretium ipsorum corporum læsorum, quæ apud dominum manent.

Titulus 8.

Vi Bonorum Raptorum, & de Turba.

RApina est contrectatio rei alterius violenta.

Ex hoc datur læso privata actio intra annum in quadruplum, cui rei persecutio inest; post annum in simplum; aut judicium publicum de vi publica vel privata.

Qui per errorem juris rapuit rem suam, dominium amittit; qui rapuit eam, quam putabat esse suam, illam restituet cum æstimatione.

Turba a Rixa differt numero, nam Turba est multitudinis hominum turbatio & cœtus, itaq; decem aut quindecim homines turbam faciunt: duorum, vel trium, vel quatuor, *Rixa est*, non turba.

Edicto de turba tenetur is, qui in turba damnum dedit, vel dolo malo fecit, ut in turba damnum daretur. Si vero extra turbam damnum datum sit, hæc actio cessat.

Damnum hoc est deterioratio corporis. Hinc distinguitur a corruptione servi, quæ refertur ad animum, & a furto, rapina, injuria, quibus res non corrumpitur.

Titulus 9.

De Incendio, Ruina, Naufragio.

SI *quis ex incendio, ruina, naufragio, rate nave expugnata, rapuisse*, vel dolo malo recepisse, damnive quid in his rebus dedisse dicetur, in eum intra annum utilem in quadruplum, post annum, in simplum actionem Prætor dat.

Ex incendio rapitur, quod propter incendium rapitur, vel ex ipso igne, vel ex loco, ubi incendium fit, vel ex adjacentibus prædiis.

Ex Ruina rapi dicitur, si quid ex his, quæ ruerunt, sive ex adjacentibus, aliquis rapiat, dummodo ruinæ tempore rapiat.

Quod si Incendium vel Ruina non fuit, sed tantum ejus suspicio, Edictum cessat.

Ex Naufragio rapi dicitur, si tempore & loco naufragii quis rapiat: qui autem rem in litore jacentem, postquam naufragium factum est, abstulit, is furti, neutiquam vero ex hoc Edicto tenetur.

Navis expugnari dicitur, cum spoliatur, aut mergitur, aut dissolvitur, aut pertunditur, aut vela ejus a furibus præciduntur aut conscinduntur, aut anchoræ involantur.

Titulus 10.

De Injuriis & Famosis libellis.

I*Njuria* aliter hic accipitur, ac in lege Aquilia, quæ est de damno injuria, id est culpa dato.

Hoc loco *Injuria denotat* omne illud, quod dolo malo in alterius contumeliam vel contemtum admittitur.

Inju-

Injuria est vel Realis, vel Verbalis. *Realis* fit re vel facto, quod in alterius tendit contumeliam, idq; vel in corpore, vel extra corpus. *In corpore*, cum manus inferuntur, verberando, quod cum dolore, vel pulsando, quod sine dolore contingit, vel etiam verbera comminando. *Extra corpus*, cum quis habitu, gestu, vel alio aliquo actu despicatui ducitur.

Verbalis Injuria fit vel *Verbis*, uti si quis maledictum vel convitium in aliquem ingerat, aut dicendo, mentiris, calumniaris, etiamsi additum sit, salvo honore; protestatio enim facto contraria nihil operatur. Huc pertinet, si quis virum honoratum Germano sermone tuissat. Vel fit *Scriptis*, uti si alicui objiciatur contumelia per libellum scriptum.

Ratione circumstantiarum loci, personæ, vel temporis aut facti, dividitur injuria in *Levem* & *Atrocem*.

Causa Efficiens injuriæ est dolus animi, contumeliam alicui facere volentis. Hinc, si quis per jocum percutiat, aut dum certat, injuriarum non tenetur. Idem est, si animo corrigendi id faciat.

Facere injuriam nemo potest, nisi sciat se injuriam facere; non est autem opus, ut sciat, sed pati injuriam potest, etiam qui non sentit, ut furiosus.

Injuriarum tenetur, qui verbis secundum propriam significationem nihil injuriosum, sed potius laudem continentibus, per *ironiam* utitur: v. c. si quis aliquem bonum virum vocet, cornutum intelligens.

Personæ injuriam inferentes eæ sunt, quæ doli sunt capaces, & animum habent injuriandi. Hunc animum si Reus neget se habuisse, Actor probare debet. In hac vero probatione etiam præsumtiones & conjecturæ sufficiunt, utpote cum hoc in animo consistat, nec incurrat in sensus.

Quod si vero id, quod dictum factumve est, sua natura injuriosum sit, Actor non indiget hac probatione, cum illud tamdiu animo lædendi factum præsumatur, donec contrarium probetur; quandoq; tamen ei permittitur *Juramentum Purgationis.*

Infantes, Furiosi, Impuberes, utpote doli non capaces, injuriam inferre nequeunt. Idem dicendum de dormientibus, qui furiosis æquiparantur.

Clerici, pravos seculi mores corrigentes, injuriarum non tenentur. Si certæ personæ crimen aliquod ita objiciant, ut omnes intelligant, quis notetur, injuriam inferunt, & ideo conveniri ac puniri possunt. Recessus Imperii Augustanus A. 1530. §. Wir haben. Ist unser Wille / Gemüth und Meinung / daß die Prediger das Evangelion / nach Auslegung der Heil. Schrift / und Lehrer / von der gemeinen Heil. Christlichen Kirchen approbiret und angenommen / predigen und lehren / und was disputirliche Sachen / sich dasselbig zu predigen und zu lehren / dazu stumpfierens / schmähens und lästerns enthalten.

Veritas convitii ab animo injuriandi & dolo liberat, ita ut adversus hunc Actio injuriarum denegetur. Quod ita se habet jure civili, per textum generalem *l. 18. in pr. h. t.* & quoque jure Canonico *c. 1. C. 6. q. 2.* Pragmatici tamen distinguunt, utrum manifestari crimen Reip. intersit, an minus; priori casu proferens, ab actione injuriarum relevatur, posteriori non item. Nec juvat, convitii habere auctorem, unde tritum: Wehrmann haben hilft nit.

Afficitur quis injuria vel *Immediate*, vel etiam *Mediate*, quando quis per injuriam iis, qui in potestate ejus sunt, affectam læditur.

Inju-

Injuriarum Actio datur ei, qui per se, vel per alium injuriam passus est, adversus eum, qui per se, vel per alium injuriam fecit. Sed neque heredibus, neque contra heredes, neque post annum datur.

Hæc actio est *Prætoria privata*, quia Prætor permittit, ipsum, qui injuriam passus est, eam æstimare: ut Judex vel tanti, vel minoris Reum condemnet, prout sibi justius videbitur.

Concurrit cum Judicio Extraordinario, & certis casibus cum Judicio Publico, veluti, si quis pulsatus, aut verberatus sit, aut in domum ejus alius vi irruperit.

Potestati nostræ subjecti sunt Servi, & Filiifamilias. Ob injuriam *Servo* illatam, domino tum demum competit Actio, si atrox ea sit, & aperte ad contumeliam domini respiciat. Secus se res habet de famulis nostris, qui pro mercede serviunt, nam illis illata, etiam atrox injuria, non in nostram contumeliam facta censetur, nisi id aliunde constet.

Si *Liberi*, in potestate nostra existentes, injuria afficiantur, ipsis quidem acquiritur Actio, secundum *l. 9. ff. de O. & A.* non tamen ab ipsis liberis, sed a patre exerceri debet, & quidem sub distinctione, quam refert Paulus *l. 18. §. 4. h. t.* utrum quis sciens, aliquem esse filiumfamilias, eidem intulerit injuriam, an ignorans hoc fecerit. Priori, non posteriori modo, parentibus hæc actio conceditur, filiofamilias vero non aliter, nisi pater sit absens, aut vilis conditionis, aut furiosus. Non igitur pater agere potest de injuria illata filio emancipato. Quæ de filiis dicta sunt, valent etiam de Filiabus.

Affectui nostro subjacent *Vxor*, *Sponsa*, & *Nurus*, quibus si injuria fiat, ipsa etiam ad maritum, sponsum, & socerum attinet, adeoq; & ipsis injuriarum

agere

agere licet, modo injurians in genere ſciverit, illam uxorem, ſponſam, vel nurum eſſe. Atque ſic fieri poteſt, ut injuria uni immediate illata, tribus, imo quatuor perſonis facta videatur, & ut omnibus inde injuriarum actio acquiratur; neq; actio ab uno inſtituta, alterius actionem perimit.

Vxori, ob injuriam marito illatam, actio injuriarum non competit: Quamvis enim per mariti injuriam maxime lædatur, attamen cum maritus ejus poteſtati & affectui ſubjectus non ſit, non magis uxori eo nomine injuriarum actio competit, quam liberis de injuria parentum. *Excipe*, ſi injuriæ marito facta etiam uxoris injuriam involvat, uti ſi quis maritum cornutum appellet; hoc enim caſu ipſi quoque uxori vindicatio injuriæ competet.

Frater, *Affinis*, aliæve perſonæ conjunctæ in linea collaterali, ob injuriam, quam Frater, Affinis, vel conjunctus paſſus eſt, injuriarum agere non poſſunt.

Licet actiones ex delictis provenientes, alias heredibus actoris competant, *attamen hæc Actio in heredem injuriati non tranſit*, cum ad meram tendat vindictam, quam moriens remittere videtur. *Excipitur caſus*, ubi lis eſt conteſtata, nam ſic Actio in bonis noſtris computatur.

Adverſus Heredes injuriantis, quia ex delicto eſt, hæc actio non competit, niſi lis cum injuriante defuncto ſit conteſtata.

Finis Actionis eſt, ut per eam injuriæ illatæ æſtimationem conſequamur. Licet enim nec fama nec diffamatio proprie æſtimationem recipiat, tamen, ut injuriantis petulantia puniatur, Prætor permiſit, ut injuriam paſſus illam certa quantitate, in libello expreſſa, æſtimare, eamq; æſtimationem a reo exigere poſ-

ſit,

ſit, ſalva tamen judicis moderatione, qui vel tanti reum condemnabit, vel minoris, prout ei viſum fuerit, ratione circumſtantiarum; habito reſpectu non ad tempus, quo judicatur, ſed ad id, quo facta eſt injuria. Hæc autem æſtimatio fit vel cum, vel absq; juramento.

Sic ſe habet remedium civile. Alterum generale remedium, eſt *Accuſatio criminalis*, qua petitur, ut injurians officio Judicis extraordinaria aliqua pœna coërceatur.

Hæc extraordinaria pœna non tantum eſt pecuniaria fiſco applicanda, aut carceris, vel relegationis, ſed interdum etiam ad corporales, nempe fuſtigationem, vel membri amputationem, imo & ultimum ſupplicium extenditur.

Accuſatio & Civilis Actio non concurrunt cumulative; Actiones enim, ex uno eodemq; fonte deſcendentes, & ad eundem finem & vindictam tendentes, non cumulative, ſed elective concurrunt.

Actio Prætoria Æſtimatoria tollitur 1. morte, tam injuriati quam injuriantis, ante litem conteſtatam. 2. Lapſu anni, non continui, ſed utilis. 3. Remiſſione, eaque vel expreſſa, vel tacita. 4. Retorſione.

Ægrotans, ſi in confeſſione remittat injuriam, poſtea convaleſcens, injuriarum agere non poteſt. Qui enim agnoſcit & remittit vindictam, injuriarum agere nequit; quippe remittentibus actiones ſuas non eſt regreſſus dandus, ait Vlpianus *l. 14. §. 9. ff. de Ædil. ed.* Accedit, quod cæteroquin per remiſſionem nihil actum eſſe videretur, quodq; omnis remiſſio ex animo fieri debet.

Tacita injuriæ remiſſio colligitur ex lapſu temporis, nimirum anni; item ex factis, quæ inducunt diſſimulatio-

lationem, uti si quis pristina familiaritate cum injuriante utatur, sua sponte cum illo edat, bibat, ludat, amice fabuletur. Sed hi familiaritatis actus ex motu proprio, non occasione procedere debent. Nam, si ambo invitati sint ad convivium, atque ibi humaniter agant, non Actio, sed rancor animi & odium remissa videntur; unde solent Aulici pocula jure aulico (auf Hofrecht) accipere, id est citra præjudicium injuriæ.

Retorsio in verbalibus tantum injuriis locum habet, & est injuriarum verbalium in injuriantem ab injuriato in continenti relatio & contradictio. Hoc autem remedium adversatur juri divino, Matth. V. & 1. Petr. III, 9. quin & Civili, quia injuriatus retorquens, vindictam, ad quam alias Actio injuriarum tendit, ipse sumit. Est igitur moribus tantum introducta Retorsio, & tam verbis, quam literis fieri potest.

Retorsio ut valeat, requiritur 1. ut convicium præcesserit tale, ob quod injuriarum actio competit. 2. Vt in continenti fiat, hoc est eo tempore, quo primum retorquendi occasio injuriato offertur, puta quo primum injuriam sibi illatam cognovit, vel, quo Notarium, qui eam injurianti (si solenniter injuriam regerere velit) tradat, habere potuit. 3. Vt sit proportio inter injuriam illatam & retorsionem, h. e. ne regerendo modus excedatur, quod fit, si aliud crimen retorqueatur.

Cessat quoq; injuriarum Actio, si injuriatus, actione injuriarum seposita, ex *l. diffamari. C. de ingen. manum.* agit, implorando Judicis officium, ut diffamanti sive injurianti, causa cognita, terminum assignet, quo probet injuriam, vel ab ejusmodi diffamatione desistat.

Est

Est etiam remedium consuetudinarium adversus injurias *Actio ad palinodiam, sive recantatoria,* quam is, cui factum aliquod turpe objectum est, contra injuriantem intendit, ut dicta famosa reclamet, & a se injuste prolata fateatur, læsamque quodammodo existimationem Actori aperte restituat.

Actio hæc *ex errore vulgi* nata aliquibus videtur, dum illius opinione honor & fama nostra convitiis & maledictis lædi, & per revocationem opprobrii iterum nobis quasi restitui creduntur. Non habet autem hæc Actio locum in realibus injuriis; quid enim in his reus recantaret? Quin nec in omni verbali obtinet: Ex iis enim, quæ famæ læsionem non respiciunt, v. g. si corporis aliquod vitium, uti gibbositas, claudicatio objiciatur, atque sic injuria ad contemtum tantum tendat, hæc Actio non oritur; sed iis casibus, ad deprecationem (auf eine Christliche Abbitt) potius agitur. Interim *hæc Actio competit etiam heredibus injuriati*, quia non tendit ad vindictam, sed ad famæ restitutionem: fama autem injuriati durat, etiamsi is decesserit, eamque salvam esse, etiam heredum interest. Adversus heredes tamen injuriantis ne quidem lite contestata transit, quia revocatio est (ceu loquuntur) personalissimum quid, qualia ad heredes non migrant.

Actio ad Palinodiam non est quidem famosa, quia, quod in aliis delictis est condictio, id in injuriis est recantatio; indubitati vero juris est, nullam condictionem infamiæ maculam inurere.

Attamen non diffitendum, parum esse honorificum recantare, & seipsum mendacii arguere, cum recantantis existimatio apud honestos viros multum sane oneretur, adeoq; recantans vix infamiam facti evitare

poss

possit, præsertim, si solenniter fiat in loco speciali; hinc passim sententiis inseritur: Daß Beklagter Klägern einen offentlichen Wiederruf vor Gericht/ jedoch seinen Ehren unbeschadet/ zu thun schuldig.

Libellus famosus late complectitur etiam *famosam & obscœnam picturam*; stricte denotat famosam scripturam, atq; hoc sensu *definitur*, compositio in scriptis facta, ejus, quod autor probare non vult, ad infamiam alicujus, in publico loco, occultato nomine, affixa. *Differt ab injuria scripta*, quod hæc nomen autoris subscriptum habet, & pœna arbitraria coërcetur, ac annuo spatio, modo scriptum non maneat, evanescit. In libello vero famoso deficit autoris nomen, eumq; manet pœna capitalis, deq; illo cognitio durat annis 30. & insuper anno & die.

Habet actio de famoso libello quoque locum, etiamsi verum crimen fuerit objectum; nisi Reip. intersit, delictum illud patefieri, quia animus injuriandi spectatur.

Non componens tantum libellum famosum, sed etiam *inveniens*, & *non dilacerans*, & quocunque modo divulgans, capitalis supplicii reus est, imprimis si capitale crimen fuerit objectum.

Titulus II.

De Extráordinariis Criminibus.

EXtraordinaria Crimina sunt, de quibus extra ordinem agitur, & extraordinaria pœna arbitrio Judicis irrogatur. *Actor* autem in his, ut in criminibus publicis, in crimen subscribere debet, ne inulta maneat ejus calumnia, si temere agat.

Species Extraordinariorum Criminum sunt: Si quis solicitaverit alienas nuptias; si quis habere cœtus illi-

illicitos vel religionis, vel voti ſolvendi ſpecie tentaverit; ſi quis partum abegerit; ſi quis ſit Dardanarius, & annonam vexet; ſi quis ſit Saccularius, qui vetitas in ſacculo artes exercet, ac partem ſubducit & ſubtrahit; ſi quis ſit Directarius, qui in aliena cœnacula ſe dirigit, furandi animo; ſi quis ſcopelismo det operam, & lapidem ponat, indicio, illum periturum, qui agrum iſtum coluerit; ſi quis circulator ſerpentes circumferat, ac damnum dederit.

Scopelismo affinis eſt *Diffidatio*, die Befehdung oder Abſagung / quæ eſt minitatio hoſtilis, qua quis per literas, ſignum, aliudve factum, inimico ſuo perſecutionem extremam vitæ, ſanguinis, aut bonorum denunciat; unde pax publica violatur, & toti populo vel univerſitati periculum & damnum imminet.

Ad Diffidationem duo requiruntur: 1. ut ad minas factum aliquod accedat, quo perſecutio extrema vitæ, corporis, aut bonorum alicui denunciatur; uti ſi quis literas diffidatorias transmittit, vel ſigna ſuſpendit. 2. Vt per eam pax publica violetur, & toti populo periculum immineat. Non igitur privatæ minæ diffidationem efficiunt, v. c. man wolle einem eine Kugel ſchencken.

Diffidationis pœna, præter bannum Imperiale, eſt pœna gladii.

Titulus 12.

De Sepulchro violato.

Violatio Sepulchri fit, cum reliquiæ vel oſſa contrectantur, vel ſepulchra deſtruuntur.

Pœna hujus delicti, eſt vel Civilis; quæ datur agenti, & primo quidem ei, cujus intereſt, deinde, ſi ille non agat, cuiq; agere volenti, ad centum aureos; vel,

 ſi quis

si quis in sepulchro dolo malo habitet, aut ædificium ibi fecerit, ad ducentos. Vel est criminalis, quæ est capitis, in illos, qui armata manu cadavera spoliant.

Si quis Debitorem defunctum impediverit sepeliri, vel alias tristem familiam gravet, debito suo cadit, ac alterum tantum heredibus inferre jubetur, confiscatis bonis pro tertia parte, & infamia notatur. Deinde constitutum, ne intra *novem dies* quis ulla ratione inquietetur ex persona defuncti: *auth. sed neq. C. h. t.*

Titulus 13.
De Concussione.

COncutere dicitur, qui percellit aut perturbat aliquem, injecto terrore. Vnde *Concussio* est terroris injectio, ad faciendum vel non faciendum aliquid. Committitur non tantum a privatis, sed plerunq; a Magistratibus, eorumq; Officialibus. Coërcetur vero, præter rei restitutionem, extraordinaria pœna.

Titulus 14.
De Abigeis.

ABigei dicuntur, qui gregem ovium aut pecorum, (id est, saltem decem oves, aut quatuor porcos,) vel equum de grege, vel bovem de armento abducunt.

Abigei non solum extra ordinem accusari possunt, sed etiam privata actione, quasi fures.

Titulus 15.
De Prævaricatione.

PRævaricator a varicando dicitur; *varicare* autem est in transversum ire, a varicibus crurum,

rum, quibus qui laborant, recte incedere nequeunt.

Prævaricari dicitur Accuſator, qui cum eo colludit, quem crimine publico accuſat, & eum adjuvat, prodita cauſa, quo abſolvatur.

Adverſus Prævaricatores datur actio pœnalis extraordinaria. Noviſſime ex *Ord. Crim. art.* 115. agitur ad reſarciendum damnum, & fuſtigationem cum relegatione.

Titulus 16.
De Receptatoribus.

R*Eceptatores* dicuntur, qui latrones, vel alios maleficos, ſcienter, & dolo malo occultant, quique eos pecunia; vel ſurreptorum parte accepta, dimiſerunt, cum eos apprehendere poſſent.

Receptatores eadem pœna, qua ipſi latrones, puniuntur; cum non minus ac ipſi aggreſſores delinquant.

Ab hac pœna eximendi, qui Parentes, Liberos, vel Cognatos, aut Affines recipiunt & occultant; hi enim neque abſolvendi, neque ſevere admodum puniendi. *Excuſantur quoq; Caupones & Stabularii*, qui maleficos ignoranter recipiunt: quippe cum horum officium ſit, hoſpites recipere, & ad id cogi poſſint, *l. un. §. fin. furt. adv. naut.* unde illorum non eſt, advenientium conditionem explorare.

Titulus 17.
De Furibus Balneariis.

C*Vm* apud Romanos frequens fuerit Balneorum uſus, & quoniam nudis ibi & aliud agentibus homini-

minibus facilius quid ſurripi poterat, gravioribus ſanctionibus veſtimenta lavantium ab injuriis, quo magis defendantur, tueri, publice interfuit: *ideo de iſtis ſpecialis propoſitus fuit titulus*; quo enim major eſt furandi facultas & occaſio, eo gravius in furtum eſt animadvertendum.

Damnantur igitur Fures balnearii damnatione in opus publicum temporali, &, ſi milites fuerint, cum ignominia mittuntur.

Titulus 18.

De Effractoribus & Expilatoribus.

E*ffractores generaliter* dicuntur, qui non tantum carceres, ſed etiam ædes privatas, fores, parietes inſularum, horreorumq;, vel cellas, aut armaria areasq; perfringunt, furandi cauſa; vel *ſpecialiter*, qui, ſua vel aliena opera carceres vel vincula, aut locum pro illorum cuſtodia & aſſervatione ex ſententia judicis aſſignatum frangunt, indeq; ſe eximunt, & aufugiunt.

Effractores extraordinaria actione conveniuntur, ad pœnam extraordinariam, & quidem ad ultimum ſupplicium, ſi vel carcer Principis effractus ſit, vel ex cauſa capitali quis incarceratus fuerit. Si per negligentiam cuſtodum, qui olim *Commentarienſes* dicebantur, incarcerati evaſerint, cuſtodes lenius puniendi.

Expilatores, ſunt fures atrociores, qui ne pilum quidem in corpore ſpoliatorum relinquunt, quique per vim, veſtimentis & pecunia hominem exuunt. Hi æque nunc puniuntur ultimo ſupplicio, incidunt-que in violationem pacis publicæ, ſi, coadunatis hominibus, atque vi armata, & hoſtili animo, crimen perpetrarint: De jure vero civili in opus publicum, vel

vel perpetuum, vel temporarium, dari solent; honestiores ordine moventur, aut ad tempus relegantur.

Titulus 19.
Expilatæ Hereditatis.

CRimen *Expilatæ Hereditatis*, est crimen extraordinarium, quo, lucri gratia, fraudulenter res hereditariæ, ab herede nondum possessæ, ante aditam hereditatem, contrectantur. Id coërcetur pœna extraordinaria.

Non habet locum hæc actio adversus Uxorem; ad exhibendum tamen, ob res amotas, adversus eam experiri licebit. Pariter *nec habet locum inter Liberos & Coheredes defuncti*, quia inter hos, in dubio, cessat conjectura doli, & consilium fraudationis, cum in rebus communibus pro suo jure versari videantur.

Titulus 20.
Stellionatus.

CRimen *Stellionatus*, a Stellione, lacertæ genere versutissimo & maxime fraudulento, dictum est, & alius criminis, titulo deficiente, locum habet. Itaque respondet actioni de dolo: quod enim est in privatis judiciis Actio de dolo, hoc in criminibus est Stellionatus persecutio. *Concurrit cum forensi actione*, veluti cum actione ex vendito, si quis rem alicui obligatam alii callide vendiderit, ea obligatione dissimulata: nam & criminis stellionatus accusari, & ex emto quoque conveniri potest.

Titulus 21.

De Termino moto.

T*Erminus* generaliter notat omne illud, quod distinguendorum dominiorum gratia collocatur, uti sunt sepes, fossa, columnæ, lapides terminales, qui, ex religione priscorum Romanorum, Deum Terminum venerantium, magna colebantur ceremonia.

Crimen de Termino moto incurrit, qui terminum finium causa positum avulsit, vel propulit, vel ejecit, seu quavis ratione loco movit, vel, finium obscurandorum causa, faciem locorum convertit; puta ex sylva novale fecit.

Præter judicium extraordinarium, datur 1. *Actio popularis* in 50. aureos ex lege Julia Agraria, si terminus ultra suum gradum motus sit, id est, ultra 5. pedes lege Manilia definitos. 2. *Judicium capitale* in servum, qui inscio domino fecit.

Titulus 22.

De Collegiis & Corporibus.

C*Ollegium* a colligendo seu collectione hominum sic dicitur, & est corpus ex pluribus individuis constans, uno eodemq; jure gaudens. Vocatur alias Sodalitium.

Dividuntur Collegia in Licita, & Illicita.

Illa, sunt legitima trium pluriumve personarum ejusdem conditionis & potestatis consociatio, SCto vel autoritate Principis inita. Vti sunt Collegia Doctorum, Scholarium, item Collegia pietatis causa inita, quorum mentio *l. 1. §. 1. h. t.*

Collegæ possunt, ad exemplum Reipublicæ, habere res communes, Arcam communem, & Actorem

sive

ſive Syndicum, per quem communia negotia expediantur.

Collegia Illicita ſunt trium pluriumve perſonarum ejusdem conditionis & poteſtatis conſociatio, ſine SCti vel Principis autoritate inſtituta. Hæc, cum communiter ad finem improbum, puta comeſſationum, falſarum religionum, erigantur, ideo eadem illa, quæ vim publicam, manet pœna; ſed & inſuper Magiſtratus extraordinaria pœna in autorem animadvertet.

Titulus 23.

De Popularibus Actionibus.

POpularia Judicia a Prætore conſtituta ſunt, ut jus populi tueantur. Permittuntur cuique e populo, modo integra perſona ſit, cui per edictum poſtulare liceat. Sed, ſi multi agere velint, is, cujus intereſt, præfertur, aut magis idoneus a Prætore eligitur: mulieri vero aut pupillo non dantur, niſi res ad eos pertineat.

Pœna, quæ his judiciis irrogatur, ita ad fiſcum pertinet, ut pars loco præmii concedatur accuſatori.

Popularium judiciorum ſpecies multæ ſunt. Vti: De albo corrupto: Actio in factum de dejectis vel effuſis, ſi liber homo occiſus, vel ei nocitum ſit: Interdictum, ne quid in loco ſacro, vel religioſo, vel ſancto fiat: Interdictum de locis & itineribus publicis.

DIGESTORVM
LIBER XLVIII.
Titulus I.
De Publicis Judiciis.

J*Vdicia Publica* dicuntur, quæ legibus publicorum judiciorum ſunt conſtituta, & proinde omnia Civilia ſunt, & a Popularibus Actionibus, quæ Prætoriæ ſunt, hac ratione ſeparantur; quanquam & hæ interdum publicæ appellantur.

Dividuntur in Capitalia, & non Capitalia.

Capitalia ſunt, in quibus damnato infertur mors; vel naturalis, quæ animæ amiſſionem affert; vel civilis, quæ libertatem, aut civitatem adimit. *Non Capitalia* ſunt, ex quibus pœna pecuniaria, aut in corpus coërcitio aliqua infligitur. Sive, quæ infamiam irrogant, cum damno pecuniario.

Non recte ex eo, quod crimen aliquod eſt capitale, infertur, illud eſſe publicum; nam etiam crimina extraordinaria interdum ſunt capitalia.

In his judiciis *probationes* luce meridiana clariores requiruntur, ſive apertiſſima rerum argumenta.

Finis Judiciorum Publicorum eſt ſalus & tranquillitas Reipub. Ideoque cuilibet e populo permittitur poteſtas, ob crimen illud, ſolenni judicio reum accuſandi.

Notandum, ex omnibus judiciis publicis, condemnatos infamiam ſequi; item, ex parte Actoris & Rei, regulariter Procuratores & Defenſores non admitti.

Differunt Judicia Publica & Privata 1. quod in Privatis per modum Actionis, in Publicis per Accuſatio-

ſationem, vel per Denunciationem, vel per Inquiſitionem proceditur. 2. In Privatis Actor intendit Reum ſibi dare præſtare oportere; in Publicis, intendit Accuſator Accuſatum hujus vel illius criminis reum eſſe, & propterea pœna aliqua afficiendum.

Titulus 2.

De Accuſationibus & Inſcriptionibus.

IN *Cauſis Criminalibus duplici modo proceditur*, ſcilicet per viam Accuſationis ordinariæ, & per viam Inquiſitionis.

Ordinarius procedendi modus dicitur, quando adverſus Reum, propter delictum commiſſum, proceditur ordinarie, ſecundum formam & ordinem juris, offerendo libellum, litem conteſtando ſolemni forma, & reliqua peragendo, quæ ad ſubſtantiam proceſſus ſpectant: ubi Judicis officium tantum in cognoſcendo ac judicando imploratur.

Inquiſitorius Proceſſus eſt, quando, nullo exiſtente accuſatore, judex per viam inquiſitionis ſummarie, ſine longo litis ſufflamine, procedit, & ex officio adverſus delinquentem inquirit, eique pœnam promeritam imponit.

Inſtituenda Accuſatio coram Judice competente, cui vel a Lege, vel a Principe, jus cognoſcendi de criminibus conceſſum eſt; quales de jure Romanorum fuerunt Proconſules & Præſides provinciarum; in Vrbe, Quæſtores Parricidii. Antiquitus enim de Capite Civis Romani, injuſſu populi, jus dicere non erat permiſſum.

Ne Accuſator temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ſolennis *Inſcriptionis* vinculo alligabatur, neque aliter ad accuſandum admittebatur, niſi prius no-

nomen suum in libello professus erat, seque obstrinxerat ad similitudinem supplicii reo intentati, si fuerit deprehensum, eum falso arguisse.

Hæc solennitas inscribendi, tanquam nimis acerba, in desuetudinem abiit : quia multi etiam sceleratissimum quemque accusare verebantur, censentes satius esse, propriæ saluti consulere, quam alterius vitam accusando auferre. *Nunc Cautio præstatur* de injuriis & expensis in casum succumbentiæ, vel accusator carcere detinetur.

Titulus 3.

De Custodia & Exhibitione Reorum.

A*Ccusationem sequitur Custodia & Exhibitio* : Reus enim custodiendus & exhibendus est, ut pœnam legitimam patiatur.

Accusatione instituta, æstimabit Magistratus, utrum in carcerem compingenda sit persona accusata, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem, pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel secundum facultates, aut dignitatem personæ accusatæ, æstimatur.

Vt Judex insimulatum Reum jubere possit prebendi & incarcerari, requiritur 1. ut de tali delicto agatur, cujus si quis convinceretur, ultimum supplicium, aut pœnam corporis afflictivam incurreret: nisi persona sit vagabunda, aut dubium sit, quæ pœna infligenda. 2. Vt indicia criminis perpetrati, saltem leviora, contra reum adsint.

Veteri jure, quod in *Nov.* 134. c. 9. fundatur, *Mulieres* custodiæ tradere non licebat; sed recenti consuetudine, omnes indifferenter incarcerari possunt, ita ut

ut nec Mulieres, Nobiles, Doctores, vel Clerici eximantur; atque in carcerem detrusus, suis sumtibus, si vero inops & egenus sit, sumtibus Accusatoris, vel, si Judex ex officio in reum inquirat, Fisci sumtibus alendus erit.

Jure Justinianeo *etiam Accusator incarcerari poterat*, si scilicet in accusatione defecerit; quod tamen usu fori præsentis non obtinet.

Quod si carcere inclusus aufugerit, Commentariensis, seu carceris præpositus, itemque custodes, si fraus eorum intervenerit, illi pœnæ obnoxii sunt, quæ illum manere debebat, qui aufugit. Sed nostris moribus, haud gravior pœna quam fustigationis infligitur.

Privati Carceres prohibentur, adeo, ut si privatus aliquem domi suæ includat, vel ei compedes aut vincula injiciat, tanquam violator criminis læsæ majestatis, ultimo supplicio afficiendus sit. Sed hodie pœna obtinet arbitraria.

Permissum tamen est Parentibus, liberos contumaces domi detinere; Dominis, servos in vincula conjicere; Marito, adulterum cum uxore deprehensum, horis 20. diurnis nocturnisque, probandæ ejus rei causa, domi suæ retinere. Pariter fas est Consanguineis, furiosum includere, aut vinculis continere; Creditori, Debitorem fugientem prehendere; Domino, furem fugientem persequi; cuivis, latronem, falsam monetam fabricantem, apprehendere, & detinere, ut judici offerantur.

Exhibitio, sive Remissio aut Transmissio Reorum est, quando Reus sistitur Judici competenti, & producitur in judicium, quo accusatio, & cæteri actus, cum ipso solenniter possint institui; Germanice vocatur

Die

die Stellung der Freveler. Olim præcipue remittebantur Rei ad judicem loci, in quo delictum perpetratum, ut expeditior esset probatio; facilius enim testes inveniuntur in loco delicti: atque hæc Remissio ideo introducta, quia omnes provinciæ Imperii Romani uni erant Imperatori subjectæ.

Nostris moribus id mutatum est, quia nimirum Status Imperii a se invicem non dependent; itaque desiit Remissio, & Reus punitur in loco, ubi deprehensus. Habet tamen interdum, jure vicinitatis aut amicitiæ, locum; & tum fit sub antigrapho, seu literis reversalibus, ne transmittenti in jurisdictione sua præjudicium fiat.

Titulus 4.

Ad Legem Juliam Majestatis.

CRimen *Læsæ Majestatis* est, quod adversus Reipubl. aut ejus, penes quem est summum Reip. imperium, securitatem, vel contra dignitatem & potestatem ejus committitur. Priori modo admissum crimen, *Crimen Perduellionis*, altero, Crimen Læsæ Majestatis simplex vocatur.

Hoc crimen committunt tantum Subditi. Quemadmodum enim qui patrem quidem, sed non suum, occidit, non dicitur parricidium commisisse: ita nemo hujus criminis reus fit, nisi qui contra Majestatem suam delinquit; quod tantum a Subdito fieri potest.

Pœna Criminis Læsæ Majestatis est ultimum supplicium, damnatio memoriæ post obitum, & bonorum confiscatio. In *Filiis* Reorum statutum est, ne ex proximorum successione quid capiant, & ne ad ullos honores admittantur. In *Filiabus*, ut tantum

tum legitimam ex bonis matris consequantur. *In consciis ac ministris*, ut eadem in iis pœna vigeat, quæ in ipsis Reis; ii vero, qui pro *Reis interveniunt*, infamia notantur.

Bona Reorum, non ad Fiscum, sed ad alios legitimos heredes devolvuntur.

Si quis ex odio privato *Consiliarium Principis* interficiat, tenetur ex Lege Cornelia de Sicariis. Si ex odio in Principem id fecerit, reus erit criminis læsæ majestatis.

Titulus 5.
Ad Legem Juliam de Adulteriis coërcendis.

Lege Julia, ab Augusto lata, vindicatur Adulterium, Stuprum, & nefanda libido cum maribus.

Fornicatio, est soluti cum soluta se publice prostituente, illicitus concubitus; ex quo nati dicuntur Spurii. *Pœna* hodie in illam statuta est arbitraria.

Stuprum, est concubitus illicitus cum fœmina soluta & honesta. *Punitur* hodie pœna carceris aut mulcta; & stuprator tenetur stupratam aut dotare, & alimenta infanti præstare, aut in uxorem ducere.

Adulterium, de Jure Civili, est violatio nuptiarum alienarum, sive concubitus cum alterius uxore: secundum vero Jus Canonicum, ac mores, definiendum est, quod sit crimen publicum, quo per concubitum conjugale fœdus violatur. Violat vero id tum persona, quæ est in matrimonio, tum illa, quæ ipsa in matrimonio non est, sed cum conjuge alterius rem habet. Divi Severus & Antoninus rescripserunt, etiam in *Sponsa* hoc idem delictum vindicandum a Sponso, quia nec matrimonium qualecunque, nec spem ma-

trimonii

trimonii violare permittitur : vix tamen hodie alia, quam ſtupri pœna obtinet.

Agitur ob Adulterium vel Civiliter, vel Criminaliter. *Actio Civilis* tendit ad vinculi matrimonialis ſolutionem, & dotis vel donationis nuptialis lucrum: quanquam iſta de Jure Canonico ſecus ſe habent.

Actio ſeu Accuſatio Criminalis ad pœnam & adultero & adulteræ infligendam tendit.

Pœna legis Juliæ fuit relegatio; ſed ex conſtitutionibus facta eſt pœna gladii; niſi quod ſtuprator regulariter, ſi honeſtus ſit, dimidiæ bonorum partis confiſcationem patitur; ſi humilis, corporalem coërcitionem ſuſtinet.

At, ſi quis eam ſtupravit, cujus tutelam geſſit, deportatur, & omnia ejus bona confiſcantur. *Mulier vero ſi ſervo ſe jungat*, utrique pœna mortis irrogatur. Ex nova autem Juſtiniani conſtitutione *Nov.* 134. c. 10. adultera verberata in monaſterium conjicitur, &, niſi a marito intra biennium recipiatur, perpetuo ibi manere cogitur.

Facultas agendi civiliter & criminaliter competit Marito : Vxor vero civiliter tantum agere poteſt. Noſtris moribus hæc differentia eſt ſublata.

Minor 25. annis accuſare adulterii non poteſt, niſi matrimonii ſui injuriam perſequatur; quamvis ab aliis accuſationibus capitalibus non repellatur.

In accuſatione adulterii *primo loco* eſt Maritus; poſt illum Pater, deinde Frater, Patruus, & Avunculus admittuntur.

Maritus poteſt jure mariti, Pater jure patris, intra 60. dies utiles a ſoluto matrimonio, accuſare, atque, qui jure mariti accuſat, non cogitur ſe inſcribere,

abolere

abolere potest suo arbitrio accusationem, nec de calumnia tenetur, nisi fuerit evidens.

Pater jure interficit filiam, quam habet in potestate, deprehensam in adulterio, domi suæ, vel generi. Et *Maritus Adulterum uxoris* itidem recte interficit domi suæ.

Stuprum violentum est, quo quis fœminam vi comprimit, ita, ut concubitus, quantum in ipso est, perfectus sit & consummatus. Committitur autem, vel cum *Puella*, quæ per ætatem consentire nequit, & ita vim pati censetur; cujus pœna est capitalis: vel *Fœmina*, quæ posset consentire, vim inferendo per coactionem aut metum; cujus pœna itidem est ultimum supplicium.

Raptus, est crimen publicum, quod committitur vi abducendo, libidinis causa, personam honestam; estque ejus pœna ultimum supplicium.

Contra naturam qui committitur concubitus, dicitur *Sodomia*; cujus pœna est, ut delinquens igne crematur.

Concubitus illicitos, sui quæstus causa, procurantes, *Lenocinium* committunt; & quidem si Parens Liberos, vel Maritus Vxorem lucri causa prostituat, pœna est capitalis.

Titulus 6.
Ad Legem Juliam de Vi Publica.

VIs *Publica* est, cum vis infertur armis adhibitis, aliove atrociori modo. Vti, si quis dolo malo fecerit, quo minus judicia tuto exerceantur; si quis congregatis hominibus, vim fecerit, quo quis verberetur, pulsetur, etiamsi homo occisus non sit; si quis hominibus armatis, possessorem domo, agro, navi sua

ſua dejecerit ; ſi quis ædes alienas expugnaverit, aut ſaltem oppugnaverit, non ſecuta licet effractione.

Huc refertur, ſi quis nova Vectigalia exerceat, aut Mulierem rapiat.

Per *Armatos* non ii ſoli intelligendi, qui tela habent, ſed & qui habent aliud, quod nocere poteſt.

Pœna adverſus vim publicam de jure civili ſtatuta Deportatio ; in quibusdam tamen caſibus ultimum eſt ſupplicium. Hodie, pœna eſt arbitraria, quæ etiam, circumſtantiis exigentibus, ad mortem extendi poteſt.

Titulus 7.

Ad Legem Juliam de Vi Privata.

V*Is Privata* eſt, quando, ſine armis, vis alicui infertur, & per quam publica ſecuritas directe haud læditur : uti cum privatus, ſine armis, lædit privatum ; vel per injuriam, convocatis hominibus, ex alienis bonis quid rapit, aut aliquem dejicit de poſſeſſione, aut bona debitoris vi occupat.

Pœna, de Jure Civili, eſt publicatio tertiæ partis bonorum cum infamia ; hodie eſt arbitraria.

Titulus 8.

Ad Legem Corneliam de Sicariis & Veneficiis.

L*Ege Cornelia de Sicariis & Veneficiis*, quam Cornelius Sylla Dictator tulit, tenetur, qui dolo malo hominem occidit, vel occidi curavit ; vel in alterius necem cum telo ambulavit, venenum confecit, vendidit, habuit : item, qui abortus poculum propinavit, ad fœtum formatum extinguendum ; licet nec mulier,

mulier, nec fœtus interierit: qui alium castravit, aut thlibiam fecit, aut se castrari passus est, aut non-judæum circumcidit; item, qui magiam, auspicia, similesve imposturas docuit, vel didicit, vel his usus est.

Non tenetur hac lege, qui dolo caret, ne quidem ob latam culpam. Irrogatur regulariter *pœna gladii*.

Infans, si cædem commiserit, non punitur; *Impubes* haud aliter, quam si doli capax; si autem sit doli capax, mitiorem pœnam Judex decernet. *Minor* non excusabitur. *Ebrius*, si docere possit profundam fuisse ebrietatem, arbitraria pœna punietur. Si vero ebriosus fuerit, non facile quid de pœna remittetur.

Qui mandat hominem interfici, punitur tanquam homicida, nisi revocaverit mandatum re integra: si autem tantum quis mandaverit, ut percuteret, vel vulneraret leviter, & mandatarius occiderit, non habet locum pœna homicidii.

Si homicidium a pluribus sit commissum, & omnes conspiraverint in necem alterius, omnes tenebuntur, licet ignoretur, quis vulnus intulerit. *Si in rixa* sit commissum homicidium, & ignoretur, quis commiserit, omnes extraordinaria pœna plectentur: si vero constet, quis interfecerit, is solus tenebitur.

Omnes leges permittunt, se tueri adversus vim, modo defensio fiat in continenti, ab eo, qui in periculo vitæ est constitutus, cum sese tueri non posset nisi occidendo, sive paribus, sive imparibus armis sit usus.

Si attentetur pudicitia, per vim præsentem, & minas mortis, vel rapturus rem, invadat dominum rei, impune cedit homicidium.

Lege Cornelia quoque capitali pœna vindicatur *Veneficium*, quo quis venena mala neçandi causa vendit,

dit, tractat, vel propinat. Pœna veneno occidentium hodie est rota.

Veneficium quoque dicitur, si quis susurris magicis hominem occiderit; id crimen alio nomine dicitur Maleficium, item Magia.

Maleficium seu *Magia* est, cum quis, adhibitis artibus illicitis, diabolo cooperante, hominibus, aut eorum bonis, nocet, illos deludit, & miraculosa facere conatur, aut divinandi curiositatem profitetur.

Maleficium seu Magia est duplex: Vel enim *expressum pactum* cum diabolo est initum, quo quis Deum abnegavit, & diabolo se mancipavit: Vel *tacitum pactum* intercedit, quando quis, citra peculiare seu expressum fœdus, diaboli utitur ope & auxilio. Tali pacto ii gaudent, qui arte diabolica divinare conantur, in speculo, vel vitro polito; dæmonem interrogantes de rebus furto amissis; nec non, qui adhibent superstitiosa remedia, veluti characteres, imagunculas, amuleta.

Pœna eorum, qui expressam pactionem cum diabolo inierunt, licet nemini nocuerint, est, ut igne crementur. Cæterorum est extraordinaria, seu arbitraria, fustigationis, relegationis, aut carceris.

Titulus 9.
De Lege Pompeja de Parricidiis.

LEge Pompeja, lata a Cn. Pompejo M. vindicatur *Parricidium*, quod est homicidium commissum in personas conjunctas. Sunt vero conjunctæ, vel ex Cognatione, vel ex Affinitate, vel ex Conjugio.

Parricidii *in Linea Recta*, a liberis, sive legitimis, sive illegitimis, sive naturalibus, sive adoptivis, in parentes; vel a parentibus in liberos commissi, pœna est

eſt culei, ſeu ſuffocatio, &, cum aqua deficit, rota. *In Linea* vero *Collaterali*, inter Cognatos proximiores, ut & inter Affines proximiores, nec non inter Conjuges commiſſi, pœna eſt gladius, ut tamen reus ante forcipibus candentibus aduratur, vel trahæ illigetur.

Titulus 10.

De Lege Cornelia de Falſis, & de Senatusconſulto Liboniano.

CRimen Falſi eſt, quod committitur dolo malo, per immutationem veritatis. In hoc crimine varia delicta vindicantur. 1. Si quis vendat rem duobus. 2. Si quis partum alienum ſuppoſuerit, cujus rei accuſatio ſolis parentibus, iisq; quorum intereſt, competit. 3. Si quis falſum teſtimonium dixerit, vel malitioſe veritatem celaverit. 4. Si quis publicum vel privatum ſcriptum adulteraverit. 5. Si quis Monetam corruperit, aliisve multis modis alterum fefellerit doloſe.

Si Teſtamenti ſcriptor legatum ſibi, vel his, quos in poteſtate habet, præter voluntatem teſtatoris, adſcripſerit, pœna falſi tenetur ex SC. Liboniano ad legem Corneliam, facto temporibus Tiberii, Statilio Tauro, & L. Scribonio Libone Conſulibus.

Pœna Falſi hodie fere eſt arbitraria, quæ ad mortem extendi poteſt.

Titulus 11.

De Lege Julia Repetundarum.

CRimen Repetundarum eſt, quod committunt, qui pecunias in Magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, vel alio munere publico acceperunt, ob judi-

judicandum, vel decernendum, vel quo magis aut minus officium ſuum facerent. *Excipiuntur* tamen eſculenta & potulenta, quæ in proximos dies conſumuntur, aut, quæ a conjunctis perſonis oblata ſunt.

Pœna hîc quadrupli irrogatur, ita ut duplum reſtituatur ſpoliato, ac duplum inferatur fiſco. Præterea hoc crimine damnatus teſtimonium publice dicere, judex eſſe, & poſtulare prohibetur.

Proprium hujus criminis eſt, ut heres quoque teneatur intra annum a morte rei; poſt annum vero non tenetur, niſi in quantum ad eum pervenit.

Titulus 12.

De Lege Julia de Annona.

CRimen *fraudatæ Annonæ* committitur dolo malo, faciendo quid, quo Annona carior fiat, vel quo rei ad victum humanum pertinentis, abundantia & commercium in Republ. impediatur. In Reum ſtatuta eſt *pœna* 20. aureorum; ſæpe etiam extra ordinem punitur.

Titulus 13.

Ad Legem Juliam Peculatus, & de Sacrilegiis, & de Reſiduis.

CRimen *Peculatus* ab eo committitur, qui pecuniam publicam ſurripuit, vel in tabulis publicis quid delevit, vel induxit, vel minorem pecuniam, quam qua quid venierit, adſcripſit, aliudve quid ſimile commiſit.

Pœna Jure Civili vel eſt pecuniaria in quadruplum, vel alia; & quidem in privatas perſonas deportatio, in publicas, ultimum ſupplicium. Hodie, pro modo delicti, accommodari poterit pœna furti.

Cri-

Crimen Sacrilegii, quod lege Julia Peculatus quoque continetur, est crimen, quo res sacra & religiosa surripitur, sive fiat in loco sacro; sive a sciente rem esse sacram, in loco profano. Quando autem res profana in loco sacro aufertur, id proprie sacrilegium non est; etsi Jure Canonico aliud obtinet.

Pœna Sacrilegii capitalis est, vel, pro qualitate rerum & personarum, extraordinaria.

Lege Julia de Residuis tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in usum aliquem, aut ejus partem, retinuit, neque in usum illum consumsit; item is, apud quem ex locatione, emtione, aliave causa, pecunia publica resedit, si eam apud ærarium non est professus, vel, si professus, retinu.t ultra annum.

Pœna est, ut reus amplius tertia parte, quam debet, damnetur: puta, si trecenta debeat, quadringenta fisco inferre cogatur.

Titulus 14.
De Lege Julia Ambitus.

CRimen *Ambitus* committitur ab iis, qui illicito modo, uti data pecunia, honores ambiunt.

Pœna, est mulcta centum aureorum, & infamia, ac honoris quoque per ambitum delati amissio.

Titulus 15.
Ad Legem Fabiam de Plagiariis.

PLagiarii sunt, qui πλαγίως, sive dolose, homines liberos, aut servos alienos intercipiunt, ac supprimunt. Ex SC. in hujus legis pœnam incidit, qui servum fugitivum vendit.

Hac lege *pœna pecuniaria* statuta fuit, quæ in usu esse desiit; & postea pro modo delicti, transgressores coër-

coërceri, & plerunque in metallum damnari cœperunt. Hodie, propter hominem liberum suppressum, pœna mortis infligitur.

Titulus 16.

Ad SCtum Turpilianum, & de Abolitionibus Criminum.

Accusatores cœptam accusationem prosequi coguntur; alioquin SCto Turpiliano coërcentur, nisi, abolitione impetrata, ab accusatione quis destiterit.

Accusatorum temeritas tribus mediis detegitur, & tribus pœnis subjicitur; aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur.

Calumniatur, qui falsa crimina sciens intendit.

Pœna calumniantium fuit talio, seu supplicium illud, quod ob crimen, cujus quis dolose & falso alterum accusat, fuisset huic infligendum.

Prævaricatur, qui vera crimina abscondit, & cum reo colludit, ita ut perfunctorie munere accusandi fungatur, & proprias probationes dissimulet, falsas Rei excusationes admittat. De *pœna*, est supra tit. de Prævaricationibus.

Tergiversatur, qui in universum ab accusatione cœpta desistit. Qui tergiversantur & desistunt, SC. Turpiliano quinque libris auri puniuntur, & infamia notantur, atque, qui semel destitit, postea ad accusationem admitti nequit.

Nonnullis casibus potest quis impune ab accusatione desistere. Puta 1. cum transactio fit de crimine capitali. 2. Cum minor desistit, vel mulier. 3. Si Abolitio petita & impetrata fuerit ab eo, qui jus abolendi habet.

Nun-

Nunciatores, qui absq; inscriptione similitudinis supplicii, per notoria indicia produnt, h.e. indicant Magistratui delicta, quasi certis elogiis & argumentis deprehensa, iisdem illis argumentis suis in Inquisitione assistere coguntur. Quod si calumniose detulisse deprehenduntur, impunitam eorum audaciam remanere non oportet.

Abolitio, est exemtio Reorum a crimine.

Fit aut publice seu generaliter, aut privatim seu specialiter.

Privata seu specialis Abolitio est, quæ conceditur a judice accusatori, causa cognita, cum accusator confitetur, se per errorem, vel temeritatem, vel calorem, ad accusandum prosiliisse, ut suam & suorum cognatorum injuriam defenderet. Potest illa concedi re integra, intra 30. dies, secus est, si res non sit integra, & reus nonnulla injuriosa sit perpessus; hoc enim casu desideratur consensus Rei.

Abolitio concedi non potest, si testibus tormenta sint illata; si agatur de læsa majestate; patria oppugnata vel prodita; peculatu admisso; vel, si quis ad accusandum, vel ad desistendum ab accusatione, pecuniam acceperit, aut manifeste sit calumniatus.

Generalis Abolitio est, quæ publice & ipso jure competit, vel ad tempus, vel in perpetuum. Ad tempus, propter ferias. In perpetuum, cum Rei ob publicam lætitiam liberantur, ex speciali Principis indulgentia.

Si ad tempus fiat Abolitio, potest accusatio repeti intra tempus 30. dierum.

Titulus 17.

De Requirendis Reis, vel Absentibus damnandis.

SI *Reus absit ante litem contestatam*, non damnatur, neque enim, inaudita causa, quenquam condemnare æquitas patitur, sed requirendus reus est, ut apprehensus exhibeatur, ac transmittatur, vel, si apprehendi non possit, citandus, ut compareat, & se purget.

Citatio fit legitimis edictis, per trinundinum, id est, tribus nundinis, quæ nono quoque die celebrabantur: quod si non comparuerit, bona ejus annotantur, ut copiam sui præstet. Si redierit, & se purgaverit intra annum, integram rem suam habet. Si neque responderit, neque defensorem habeat, nunc post annum bona in fiscum coguntur.

Quod si redierit Reus, si, antequam se purgaverit, intra annum sit mortuus, tollitur causa criminis, & bona heredibus restituuntur. At, si citatus intra annum non comparuerit, licet postea innocentiam suam purget, bona tamen ob contumaciam confiscata non recuperat; quod nihilo secius consuetudine est abrogatum.

Quod dictum, *absentes non posse damnari*, obtinet in pœnis gravioribus; aliàs si legitime citati Rei fuerint contumaces, pœnaque sit relegationis, vel ea minor, damnari absentes possunt.

Hodie, jure communi, bona quidem etiam annotantur, non tamen eo fine, ut confiscentur, sed ne quid ex bonis ad fugitivum transferatur, & ita ejus fuga instruatur. In levioribus vero delictis, non est opus annotatione.

Titu-

Titulus 18.
De Quæstionibus.

AD eruendam veritatem, *Quæstionibus* seu *Tormentis* locus est. Antequam enim pœna dictetur, constare debet 1. de corpore delicti, ceu vocant, seu, quod delictum sit admissum. 2. Quod delictum ab hoc reo sit commissum: & 3. quomodo, hoc est, an dolo, vel culpa &c. sit admissum.

Si satis constat de corpore delicti, Reus autem, licet præsumtiones & probationes contra ipsum allatæ sint, se innocentem dicat, ibi aut confessio exprimitur, aut innocentia confirmatur, 1. per Juramentum Purgationis, si persona sit integræ fidei, & delictum subiit levius, aut indicia ad torturam non sufficiant. 2. Per Territionem, si judex perjurium metuat, aut delicti qualitas ita requirat, & levia solum adsint indicia. 3. Per Quæstionem, seu torturam.

Vt Tortura locum habeat, requiritur 1. ut crimen sit capitale vel atrox. Ex constitutione autem D. Pii servus torquetur, etiam in causa pecuniaria, si veritas exquiri aliter non possit. 2. Vt personæ torquendæ qualitas hoc patiatur: id est, sit Servus, aut Plebejus, non Miles, non Decurio, non prægnans, non ætate defectus, non impubes. Similiter Testis torquetur, si sit vilis persona, aut in testimonio dicendo vacillet. 3. Ne torqueatur contra personam, cui pietatem seu reverentiam debet, uti servus contra dominum, libertus contra patronum. Sunt tamen casus, in quibus etiam servi contra dominos torquentur; uti in crimine læsæ majestatis.

Arbitrio Judicis committitur, *quæ, & quanta tormenta adhibere conveniat;* item, quæ fides sit eis habenda,

benda. Non tamen ſimpliciter, ob confeſſionem in tormentis factam, reus condemnandus, ſed bene ſi eam poſtea repetat.

Fuga ſuſpicionem quidem criminis commiſſi inducit, nequaquam autem certam præſumtionem.

Titulus 19.

De Pœnis.

Pœna, eſt delicti ſeu criminis æſtimatio, atque coercitio.

Puniuntur vel *Facta*, ut furta, cædes: vel *Dicta*, ut convicia: vel *Scripta*, ut famoſi libelli: vel *Conſilia*, ut conjurationes, & latronum conſcientia.

In irrogandis pœnis ſpectantur 7. circumſtantiæ: 1. Cauſa, ex qua delictum eſt ortum. 2. Perſona, quæ deliquit. 3. Locus, in quo perpetratum eſt. 4. Tempus, quando fuit perpetratum. 5. Qualitas, ſecundum quam factum eſt. 6. Quantitas facinoris. 7. Eventus, qui eſt ſubſecutus.

Pœnæ ſunt vel Capitales, quæ mortem naturalem vel civilem inferunt: *vel non-Capitales*, quando quis, vita, libertate, & civitate ſalvis, coërcetur.

Titulus 20.

De Bonis Damnatorum.

Bona *Damnatorum* olim in plerisque delictis publicabantur, h. e. fiſco applicabantur. Jure novo, cedunt deſcendentibus & aſcendentibus, itemque ex latere conjunctis ad tertium gradum: Vxores dotem, & ante nuptias donationem accipiunt; ſi vero ſine dote ſint, de ſubſtantia mariti accipient partem legibus definitam, ſive filios habeant, ſive non. Si nemi-

neminem horum habeant delinquentes, Fiscus admittetur. *Nov. 134. c. fin.*

Hodie tam Descendentes & Ascendentes, quam collaterales, in infinitum admittuntur ad bona damnatorum, excepto Crimine Læsæ Majestatis.

Titulus 21.

De Bonis eorum, qui ante sententiam, vel mortem sibi consciverunt, vel Accusatorem corruperunt.

E*Jus, qui in reatu ex quo bona essent publicanda, mortuus est* bona non confiscantur, nisi capitalis criminis reus, conscientia criminis, sibi manum intulerit, quo casu pro confesso habetur.

Si quis, ex tædio vitæ, vel impatientia doloris, vel alio modo, manus violentas sibi inferat, bona ad successores pertinebunt, & mitius puniendus, quam qui sibi manus ultro intulit.

Si parati sunt heredes ostendere, defunctum esse innocentem, non sunt publicanda bona, nisi de crimine fuerit probatum.

Semper in melius est præsumtio, ideoque, si incarceratus inveniatur occisus, & sit causa aliqua excusandi, is non præsumetur se occidisse.

Titulus 22.

De Interdictis, & Relegatis, & Deportatis.

R*Elegatorum duo sunt genera:* aut enim certa Insula assignatur, aut non, sed Provinciis tantum interdicitur. Si assignetur, est *Deportatio*, quæ tollit jus civitatis. Si non assignetur, est *Relegatio*, quæ

quæ nec bona, nec civitatem adimit; tum vero deportatio omnis fit in perpetuum, cum relegatio fieri possit etiam ad tempus.

Interdictorum nomen latius patet; non enim de iis tantum dicitur, quibus certa provincia certove loco interdictum est, sed etiam, quibus honore, vel ordine, vel negotiatione, vel advocatione interdicitur.

Titulus 23.

De Sententiam passis, & restitutis.

Potest is, qui sententiam ob crimina passus est, restitui, sed non nisi ex magna causa, & non a judice, sed a Principe, nec in præjudicium privati, sed tantum in præjudicium sui fisci.

Restitutio Damnatorum, est vel simplex indulgentia, ita ut tantum pœna remittatur, & nihil amplius restituatur, nisi specialiter a Principe concessum sit: Vel, *est restitutio in integrum*, quæ ita plena est, ut etiam honoribus, ordini, cæterisque omnibus restituat.

Titulus 24.

De Cadaveribus Punitorum.

Sine permissu Principis, nec corpora ultimo supplicio damnatorum sepeliri, nec corpora deportatorum aut relegatorum alio transferri possunt.

Hodie cadavera punitorum non facile Cognatis aut aliis ad sepulturam ea petentibus denegantur, nisi exemplum sit statuendum.

DI-

DIGESTORUM LIBER XLIX.

Titulus 1.

De Appellationibus, & Relationibus.

Appellatio, quæ etiam *Provocatio* dicitur, est querela de gravamine ab inferiore judice illato, quod a majori judice tolli petitur.

Causa per appellationem a minori judice, ad majorem devolvitur: apud illum ante appellationem erat *prima Instantia*, apud hunc post appellationem est *secunda Instantia*.

Appellatio regulariter admittitur in omnibus caussis, Civilibus, & Criminalibus.

Transfertur etiam lis ab Inferiori ad Superius judicium, per *Relationem*, qua Judex Inferior, Superiori causam referendo, eum consulebat, quomodo judicare debeat. Hujus usum olim fuisse maximum, ostendunt Imperatorum rescripta, Codici inserta.

Ab hac Relatione diversa est illa, qua Judex inferior, post sententiam latam, & a quo appellatum est, refert, se appellationem interpositam admisisse, aut eam non recepisse, & cur non receperit.

Titulus 2.

A quibus appellare non licet.

Appellari potest regulariter ab omnibus, qui recognoscunt Superiorem: Excipiuntur tamen, Princeps; Senatus; is, a quo litigantes se non provocaturos caverunt; Judex, quem Princeps ita dedit, ne pro-

provocare liceat; Præfectus Prætorio. Sed nec a sententiæ Executore provocare licet, nisi modum in executione excedat, vel gravamen aliter non possit reparari: vel, nisi Executor perperam interpretetur sententiam.

Titulus 3.
Quis a quo appelletur.

Appellatur ad Judicem superiorem ejusdem ordinis, & quidem non intermisso judice intermedio.

A Judice dato, appellatur ad eum, qui dedit, vel Successorem ejus.

Ab eo, cui jurisdictio mandata est, non appellatur ad eum, qui jurisdictionem mandavit, sed ad Superiorem Judicem, ad quem provocaretur, si is judicasset, qui jurisdictionem mandavit. Excipitur tamen *Legatus Proconsulis*, a quo appellatur ad Proconsulem, qui jurisdictionem ei mandavit.

Titulus 4.
Quando appellandum sit, & intra quæ tempora.

Appellatio fit vel in continenti, stante judicio, cum sententia definitiva pronunciata est; vel ex intervallo. *In continenti*, fieri potest viva voce, *ex intervallo*, tantum in scriptis.

Appellare quondam ex intervallo oportebat, in causa propria intra *biduum*, in aliena, intra *triduum*; sed hodie indistincte, sive propria, sive aliena causa agatur, intra *decendium* est appellandum; nec potest hoc tempus partium consensu, vel autoritate judicis prorogari.

Titulus 5.

De Appellationibus recipiendis, vel non.

J*Vdex, ad quem appellatur*, appellationem, nisi legibus improbata sit, recipere tenetur; temere autem, & extra casus jure exceptos, appellationem respuens, 30. libris auri mulctatur. Is, cujus appellatio ad Principem recepta non est, Principi supplicabit; si vero ad alium provocavit, vel eum adibit, vel Principem.

Non potest appellare 1. Contumax, sive is, qui, post litem contestatam, in judicio citatus non comparet, nisi eum pœniteat. 2. Qui confessus est. 3. Qui renunciavit appellationi.

Titulus 6.

De Libellis dimissoriis, qui Apostoli dicuntur.

L*ibelli Dimissorii*, sive *Apostoli*, sunt literæ, a Judice a quo, ad Judicem ad quem, quibus causam ad eum transmittit, & indicat, quis, contra quem, & a qua sententia, appellaverit.

Has literas Appellator instanter & sæpius petere debet, olim intra quintum diem, sed hodie *intra dies 30.* intra quod tempus Apostolos non petens appellationi renunciasse videtur.

Fatale justificandæ appellationis, sive intra quod tempus instantia appellationis ad finem sit perducenda, nostris moribus lege non est definitum. Olim annus, vel ex justa causa biennium concedebatur.

Titu-

Titulus 7.

Nihil innovari Appellatione interposita.

DEvolvitur per Appellationem causa ad Superiorem, & sententia, ab Inferiore lata, suspenditur, ita ut executioni dari nequeat. Quod *si igitur attentatum innovatumq; quid fuerit*; super attentatis imploratur judex ad quem, ut illa in pristinum statum restituantur.

Devolvitur sententia, non solum respectu appellantis, sed & respectu appellati; unde hic potest adhærere appellationi, perinde ac si ipsemet appellasset.

Titulus 8.

Quæ Sententiæ sine Appellatione rescindantur.

S*Ine Appellatione rescinduntur sententiæ omnes, quæ ipso jure sunt nullæ.* Vti, si directo expressum errorem juris contineant; si contra rem judicatam prolatæ sint; si Judex incompetens eas tulerit; si contra ordinem judiciorum sint pronunciatæ; si non omnes judices dati dixerint sententiam; si sine prorogatione partium Judex delegatus judicaverit ultra diem suæ commissionis; vel modum suæ potestatis excesserit; vel in calculo erraverit; vel quis ob contumaciam sit condemnatus; vel impossibile sit præceptum judicis; vel Condemnatus, eo tempore, quo judex est datus, aut pronunciatum est, non sit in rebus humanis.

Titu-

Titulus 9.

An per alium causæ Appellationum reddi possint.

IN *Pecuniariis causis*, possunt causæ appellationum per Procuratorem reddi, non vero in Criminalibus, (in quibus jure Romano appellare licet) sive causa sit Capitalis, sive alia, usque ad relegationem.

Titulus 10.

Si Tutor, vel Curator, vel Magistratus creatus appellaverit.

IS, *qui ab injuncto munere appellavit*, puta, cui delata est Tutela, vel Curatio, vel Magistratus, non liberatur ab illius onere, & periculum medii temporis ad ipsum pertinebit; atque Successores quoque, post mortem ejus, qui appellavit, causas reddere debent.

Titulus 11.

Eum, qui appellaverit, in provincia defendi.

QVi *Appellationis introducendæ & prosequendæ causa abest*, si interim in sua provincia ab alio conveniatur, defendendus est. Illi enim solum, qui Reip. causa abest, id præstatur, ne necesse habeat se defendere.

Titulus 12.

Apud eum, a quo appellatur, aliam causam agere compellendum.

HOc jure utimur: *Compellendus est is, qui appellavit, apud Judicem, a quo appellavit, causas*

alias, quas habet agere ; nec is utetur hoc prætextu, quod apud offenſum, atque ideo ſuſpectum judicem, non debeat experiri : poteſt enim denuo provocare.

Titulus 13.

Si pendente Appellatione mors intervenerit.

S*I pendente appellatione mors intervenerit, & appellans heredem non reliquerit*, Appellatio evaneſcit. Si ei extiterit heres, is cauſam appellationis defendet, ſed non aliter, quam ſi Fiſci, vel alterius interſit, ut, quia cauſa eſt pecuniaria, aut quæſtio eſt de bonis confiſcandis. Secus eſt, ſi quæſtio ſit de relegatione, aut alia pœna capitali, ſine confiſcatione bonorum.

Sunt & alii modi, præter Appellationem, quibus condemnatis conſulitur, uti *Reſtitutio in integrum*, *Supplicatio*, *Querela nullitatis*, *Reviſio*, *Syndicatus*.

Reſtitutio in integrum eſt, qua contra ſententiam reſtituitur Minor, vel etiam aliquando ex juſta cauſa Major.

Supplicatio, eſt querela de aliquo gravamine, & offertur vel ipſi Judici, ei ſcilicet, a quo appellare non licet, vel ſuperiori ejus, & petitur, ut detur facultas proponendi errorem in judicato. Error autem hic facti intelligitur, non juris.

Appellatio & Supplicatio differunt. 1. Appellatio eſt remedium juris communis ; Supplicatio gratiæ, ſive benignitatis. 2. Appellatio ſuſpendit executionem;

nem; non Supplicatio. 3. Appellatur intra decendium; Supplicationi datur aliud tempus. 4. Appellatio fit ob iniquitatem Judicis; Supplicatio ob errorem. 5. De Appellatione cognoſcit alius Judex; de Supplicatione, qui ante judicavit, vel cum illo alii. 6. Appellari poteſt ſæpe; ſupplicari tantum ſemel.

Querela Nullitatis eſt, per quam allegatur nullitas ſententiæ, atque ob eam prior ſententia reformari & corrigi petitur.

Reviſio, eſt beneficium obtentum a Principe, ut proceſſus, in quo a ſupremo Senatu ſententia eſt dicta, rurſus examinetur ex iisdem Actis, per eos, qui iſti rei ſunt præfecti. In Saxonia recepta eſt *Leuteratio* & *Oberleuteratio*, atque utrâque petitur declaratio ſententiæ, ab eodem Judice, qui priorem dixit.

Syndicatus eſt, quo litigator, qui iniqua ſe gravatum ſententia dicit, ipſum Judicem de dolo, quod, prece vel pretio corruptus, favore aut odio injuſtam ſententiam dixerit, accuſat.

Titulus 14.
De Jure Fiſci.

FIſcus & Ærarium olim differebant, atque *Fiſcus* erat Principis, *Ærarium* Populi: ſed poſtea, omnibus ad Principem translatis, Fiſcus & Ærarium promiſcue dici cœperunt; & ita in libris juris accipiuntur.

Cauſæ, ex quibus Fiſco acquiritur, potiſſimæ ſunt, 1. ſi hereditas indigno relicta. 2. Si bona ſint vacantia.

Acquiritur ejusmodi bonorum dominium Fiſco, ipſo jure, poſſeſſio tamen facto occupanda eſt, & quidem propria autoritate, ſi poſſeſſio ſit vacua; autoritate Judicis, ſi quis contradictor ſit in poſſesſione.

Quando contingit, *ut defunctus bona in diverſis territoriis poſſideat*, Fiſco in loco domicilii cedunt immobilia ibi ſita, & omnia mobilia ubicunque ſunt. Immobilia alibi ſita, Fiſco illius loci acquiruntur.

Privilegia Fiſci varia ſunt. 1. In Contractibus Fiſcus nunquam tenetur de Evictione ultra ſimplum, etiamſi duplum ſit promiſſum. 2. Si Fiſcus hereditatem vendiderit, non tenetur creditoribus hereditariis, ſed Emtor. 3. Bona contrahentis cum Fiſco, tacite ipſi ſunt obligata. 4 Fiſcus habet jus prælationis. 5. Judicatum contra Fiſcum, intra triennium retractari poteſt.

Titulus 15.

De Captivis, & de Poſtliminio, & de Redemtis ab Hoſtibus.

C*Aptivorum* triplex eſt inſpectio, aut enim ſunt in poteſtate hoſtium; aut deceſſerunt apud hoſtes; aut in patriam ſunt reverſi.

Primo caſu, hoſtium ſervi ſunt jure gentium. *Secundo*, lex Cornelia fingit eos in Civitate primo captivitatis momento decesſiſſe. *Tertio*, jus poſtliminii fingit eos ſemper fuiſſe in Civitate, quapropter jure poſtliminii priſtinum ſtatum, & priſtina jura omnia recipiunt: ea vero quæ ſunt facti, uti poſſeſſionem,

nem, sine nova & corporali rei apprehensione, non recipiunt.

Redemtus ab hostibus, si servilis sit conditionis, non restituitur domino, sed est servus redemtoris, donec pretium redemtionis ei restituatur. *Si vero est liber homo*, interim, quasi jure quodam pignoris, a Redemtore detinetur, donec ei pretium redemtionis restituat, aut Redemtor vitam cum morte commutet

Postliminium dicitur a limine & post; limen vero hic vocatur Imperii finis ac terminus. Quare postliminio reversus dicitur, qui ab hostibus, ad idem Imperii limen ac terminum redit.

Titulus 16.

De Re Militari.

M*Iles* dicitur, qui in militari matricula, autoritate Principis, scriptus, armisq; cinctus, a signis non recedere juravit.

Poterant olim omnes ad militiam cogi, nisi ob ætatem, vel privilegium singulare excusarentur.

Delicta Militum, sunt vel Communia, vel Propria seu Militaria. *Ob Militaria* ad Ducem, ut plectantur, remittendi sunt, etiam in levioribus. *Ob Communia*, quando exemplo opus est, ab ordinario puniuntur.

Titulus 17.

De Castrensi Peculio.

C*Astrense Peculium* est, quod filiusfamilias ratione militiæ acquisivit.

Filiusfamilias Miles de castrensi peculio disponere, atque adeo etiam testari potest, quasi paterfamilias. Si tamen intestatus decesserit, pater non fiet ei heres, sed occupabit omne peculium, jure patriæ potestatis.

Titulus 18.

De Veteranis.

V*Eterani* dicuntur, qui legitima 20. annorum stipendia confecerunt. Sed, quia honeste dimitti solebant, idcirco Veteranus in jure accipitur pro eo, qui honestam dimissionem impetravit, & militi opponitur.

Veterani *Excusationem* habent a muneribus personalibus, non realibus.

DIGESTORVM LIBER L.

Titulus 1.

Ad Municipalem, & de Incolis.

OLim *Municipes* dicebantur, qui extrinsecus in civitatem Romanam recepti erant, ut munerum cum Populo Romano participes essent, suo autem jure suisque legibus uterentur. *Coloni* vero appellabantur, qui e civitate Romana in colonias propagabantur, & jura institutaq; omnia Populi Romani, non sui arbitrii, habebant. Sed postea abusive Municipes vocati, cujuscunq; civitatis cives.

Habebant ergo quondam Municipes jus civitatis Romanæ in alia civitate, Municipio dicto; atque sic ipsi

ipsi Municipes, respectu suorum municipiorum, particularem, Romanæ tamen subjectam, Rempublicam, constituebant.

Civis est, qui jus habet civitatis seu Municipii; idq; acquiritur 1. *Origine*, si quis natus sit in civitate a patre, qui ejusdem fuit civis: atque hoc civitatis jus originarium, jure Rom. est immutabile, hodie vero translatione domicilii id amittitur. 2. *Manumissione Servi*, & quidem sequuntur Liberti originem vel domicilium Patronorum. 3. *Adoptione*, quæ originem naturalem imitatur: adoptatus enim est municeps civitatis, in qua pater adoptivus est. 4. *Assumtione seu Allectione in civem*, quando alicui jus civitatis conceditur.

In Assumtione Civis, requiritur solutio certæ pecuniæ, deinde juramentum, quo obsequium Magistratui, & salutis publicæ observatio promittitur. Sic recepti, Matriculæ inscribuntur.

Incolæ dicuntur, qui in aliqua civitate domicilium, perpetuo habitandi animo, constituentes, ad munera civilia ferenda sunt obstricti.

Moribus hodiernis, certum tempus præscriptum esse solet, intra quod quis jus civitatis recipere tenetur. Quod nisi faciat, competentibus remediis adigitur, vel etiam civitate arcetur.

Habentur tamen aliquando etiam in civitatibus *Hospites* & *Peregrini*, qui scilicet propter pestem, bellum, aliamve necessitatem aliquo confugiunt. Atque hi, quamdiu durat necessitas, ad jus Civitatis recipiendum non adiguntur, neque Collectis subjacent, nisi causa Collectarum Forenses quoque concernat.

Licet Civibus & Subditis, invitis quoque Dominis & Superioribus, usitato modo *jus civitatis resignare, & aliò migrare;* modo non malitiose fiat renunciatio, eo scilicet tempore, quo, pro commodis ante perceptis, onera sustinenda sunt.

Quod si quis alio migrans *non legitime resignet, vel censum emigrationis non præstet*, quamvis juribus civitatis non amplius fruatur, tamen onera sustinere tenetur; quia, illegitimo discessu, ab obligatione, qua obstrictus civitati erat, se non liberavit.

Titulus 2.

De Decurionibus, & Filiis eorum.

D*Ecuriones* sic dicti, quod olim, cum Coloniæ ducerentur, decima pars eorum, qui ducebantur, consilii publici gratia conscribebatur.

Decuriones præerant Civitatibus Municipalibus, & per hos omnia civitatum munera expediebantur, iisq; omnia, quæ administrationem civitatis respiciebant, imponebantur.

Nascuntur Decuriones, vel eliguntur ex municipibus, ad hos honores idoneis.

Decuriones esse non possunt, relegati, ignominiose ordine moti, criminum capitalium rei, &, qui plurimis officiis distringuntur.

Decuriones, & eorum Liberi, multis fruuntur privilegiis; uti, quod torqueri non possunt; ne certis pœnis afficiantur; & ut, si pauperes sunt, ex publico alantur.

Titu-

Titulus 3.

De Albo ſcribendo.

DEcurionum nomina *in Albo* ſeu *Matricula* ſcribuntur, vel ſecundum legem municipalem, vel, ea ceſſante, illo ordine, quo quisque majoribus honoribus in municipio functus eſt.

Titulus 4.

De Muneribus & Honoribus.

J*Vs inter Remp. & Civem* conſiſtit in eo, ut Respub. obligetur civi providere, quo in ſocietate civili bene vivat. Civis vero tenetur patrimonio ſuo & opera Remp. adjuvare; cujusmodi præſtationes, ſalutem Reip. concernentes, vocantur Munera. Sunt vero in genere Munera, quæ neceſſario ſubimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem.

Munus aliud eſt Publicum, aliud Privatum.

Publicum Munus eſt, quod in adminiſtranda Republ. conſiſtit. *Privatum* eſt, quod in adminiſtratione rei privatæ cernitur, uti Tutela & Cura; quæ tamen alio ſenſu Publica Munera dicuntur, quatenus nimirum publicum munus eſt, quod autoritate publica imponitur.

Munus item dividitur in Perſonale, Patrimoniale, & Mixtum.

Perſonale munus eſt, quod animi vigilantia, & corporali labore, ſine ſumtu, & ſine gerentis damno, perpetratur: uti Tutela, Cura, functio judicis.

Patrimoniale munus eſt, quod ſumtu patrimonii, & detrimento adminiſtrantis, expeditur; ut hoſpitii præbitio.

Mixta Munera ſunt, quæ & corporali miniſterio geruntur, & detrimentum gerentibus inferunt: ut tributorum olim exactio.

Titulus 5.
De Vacatione, & Excuſatione Munerum.

AD *Munera ſubeunda* regulariter omnes ſunt obſtricti, adeo, ut pignoribus captis compelli poſſint, niſi juſtam habeant excuſandi cauſam.

A Perſonalibus Muneribus excuſationem præbent, ſexus, ætas minorennis, aut ſenilis, morbus item, muneris præſtationem impediens.

Titulus 6.
De Jure Immunitatis.

LEx quoque aliquos a Muneribus Perſonalibus immunes præſtat: quales ſunt Clerici, Milites & Veterani, Senatores & Decuriones.

A Patrimonialibus Muneribus immunes præſtat Principis indulgentia; quæ tamen, in genere concepta, ad extraordinaria non extenditur, & fieri debet ſine moleſtia aliorum. Ab *Inhoſpitationis* vero moleſtia, ex lege, immunes ſunt Clerici in domo quam inhabitant; Milites & Veterani; Doctores, Profeſſores, Conſiliarii Principum, Ludimagiſtri. Atque horum immunitas, ad *Viduas* & Liberos eorundem quoque pertinet.

Titu-

Titulus 7.

De Legationibus.

AD Munera Perſonalia pertinet munus Legationum. *Legatus* vero eſt, qui Reipublicæ nomine miſſus eſt, atque tribuitur in legibus Romanis Legatorum nomen etiam miſſis ab inferioribus civitatibus.

Non ſolum quicquid Legati impendunt, cum legatione funguntur, ſive ad neceſſitatem victus, ſive itineris, ſive ad honorem pertineat, id ex publico ſuppeditandum eſt; ſed etiam damna quæ per latrones aliosve fortuitos caſus patiuntur, reſarcienda ſunt.

Titulus 8.

De Adminiſtratione Rerum ad Civitatem pertinentium.

E*Orum, qui adminiſtrant res civitatum, officium eſt*, ut rationes ſecundum fidem datorum & acceptorum ponant; ut fundos Reip. locent; & omnia faciant, quæ viri boni facerent,

Præſtant latam & levem culpam: atque ſi negligentiores in rebus diſtrahendis fuerint, tenentur in ſimplum; ob fraudem vero, in duplum conveniuntur.

Titulus 9.

De Decretis ab Ordine faciendis.

D*E Rebus Civitatis* ſolent decreta ab ordine Decurionum interponi.

Hæc

Hæc ut valeant, duo requiruntur: 1. Vt legitimus Decurionum numerus adfuerit, id eſt, minimum duæ Decurionum partes. 2. Ne ſit decretum ambitioſum, quod in gratiam alicujus privati, nihil tale merentis, factum ſit, ſed ut publicam utilitatem reſpiciat.

Titulus 10.
De Operibus Publicis.

NOvum *Opus* publico ſumtu fieri non poteſt, ſine permiſſu Principis, privato autem ſumtu fieri poteſt, etiam inconſulto Principe, niſi ad æmulationem alterius civitatis pertineat, vel materiem ſeditionis præbeat, vel ſit Circus, Theatrum, Amphitheatrum.

Ei, qui pecuniam in opus publicum impendit, pro præmio conceditur, *ut ſuum nomen operi inſcribat*; cum alias ſolius Principis nomen inſcribi poſſit.

Titulus 11.
De Nundinis.

N*Vndinæ*, ſunt magni mercatus, easque ſolus Princeps conſtituit; conſtitutæ, non utendo, decennii tempore amittuntur.

Nundinarum privilegium eſt, quod in iis, ob debitum privatum, nemo conveniri vel detineri poteſt; quatenus nimirum agitur de Contractibus ante initis: ex iis enim, quæ in Nundinis fiunt, actio juſte inſtituitur.

Titu-

Titulus 12.

De Pollicitationibus.

POllicitatio, est solius offerentis promissum: ideoq; differt non solum a Contractu, sed & a Pacto, quod est duorum pluriumve consensus atque conventio.

Ex Pollicitatione regulariter non datur Actio. Sed *favore Reipublicæ* placuit, Pollicitationem eidem factam præstandam esse, dummodo vel ex justa causa quis promiserit, puta, ob honorem sibi decretum, vel decernendum; vel res non est integra, quia opus sit inchoatum, in cujus gratiam pollicitatio facta est.

Pollicitatio Deo facta, quæ Votum appellatur, servanda, si aut a Patrefamilias pubere, aut a Filiofamilias, vel Servo, consensu Patris vel Domini, facta sit.

Titulus 13.

De Extraordinariis Cognitionibus, &c, si Judex litem suam fecisse dicatur.

M*Agistratus Municipales* de omnibus rebus & negotiis in Municipiis cognoscebant, exceptis nonnullis cognitionibus, quæ Præsidibus reservatæ erant, quæque ideo *Extraordinariæ* dicebantur.

Prætor vel Præses, aut Judicem olim dabat, aut extra ordinem ipse in nonnullis causis jus dicebat: uti de

de Mercedibus, Salariis & Honorariis Professorum, Medicorum, Advocatorum.

Judex datus, si male judicat, litem suam facere dicitur: atque, si per imprudentiam id fecerit, ex quasi delicto tenetur, Actione in factum, & arbitrio judicis punitur. Si vero dolo malo id fecerit, veram litis æstimationem præstare cogitur, & infamia notatur.

Titulus 14.

De Proxeneticis.

P*Roxeneta*, est mediator, cujus opera contractus aliquis perficitur.

Proxenetica, sunt remunerationes, quæ solvuntur iis, qui præstant contrahentibus operam, in negotiis contrahendis. Atque hæc licite petuntur, modo modus secundum qualitatem operæ servetur.

Proxeneta, qui præfuit mutuo contrahendo, nullo modo tenetur Actione mandati, quia monstrat magis nomen, quam mandat, tametsi serio laudavit.

Titulus 15.

De Censibus.

C*Ensus*, est civium, & bonorum ad ipsos pertinentium, descriptio publica.

In describendis *Personis* notatur ætas, & sexus. In describendis *Fundis*, notatur nomen cujuscunq; fundi & in qua civitate aut pago sit, & quos proximos vicinos habeat, & ejus qualitas & quantitas. Atque hæc ideo obtinebant, quia tributa præstantur, vel pro modo

modo patrimonii, vel pro capite, nisi ætas vel immunitas aliquem excusat.

Fuerunt apud Romanos variæ Classes, pro diversitate patrimonii & census. Nam Servius Tullius Cives Romanos in sex classes distribuit. In *primam* eos contulit, qui centum millia æris, aut plus, obtinerent. In *secunda* eos posuit, qui intra centum usque ad quinque & septuaginta millia haberent. In *tertia* eos collocavit, qui quinquaginta millia possiderent. *Quarta*, fuit viginti quinque millium. *Quinta*, undecim millium. In *sextam* relati sunt Proletarii, & capite censi. *Proletarii* dicebantur, qui non amplius mille quingentum æris in censum deferebant. *Capite censi* vocabantur, qui nullo, aut perquam exiguo censu censebantur.

Titulus 16.
De Verborum Significatione.

V*Erborum Appellatione*, significantur non solum simplicia vocabula, uti Vrbs, Sponsio; sed etiam orationes; ut, Mihi heredique meo; Quisquis mihi heres erit, idem filio meo heres esto.

Significatio Verborum sumitur vel ex communi usu loquendi, vel ex proprietate sermonis, vel ex intentione proferentis.

Titulus 17.
De diversis Regulis Juris antiqui.


R*Egulæ Juris*, sunt definitiones, quæ rem breviter explicant, & sunt quasi gnomæ ac axiomata generalia, ex quibus percipiuntur principia sive rationes, quibus jura singularia fulciuntur.

Ex-

Exceptio eſt, quæ in paucis caſibus vitiat Regulam.

Inſcribitur Titulus, in quibusdam Editionibus, ſimpliciter de *Regulis Juris*, in aliis, quas nos quoque ſecuti ſumus, *De diverſis Regulis Juris antiqui.*

Nempe, *diverſæ* vocantur, quia ex diverſis partibus juris deſumtæ ſunt. *Jus antiquum* hoc loco dicitur, non quod antiquatum eſt, ſed quod in veterum Jureconſultorum libris continetur.



EX

EXPLICATIO RVBRICARVM CODICIS.

PArs Prior, Officium, Leges, & Sacra
docebit.
Transſigo, Reſtituo, Gero, Poſtulo, *parte*
Secunda.
Tertia Jus dicit, Queritur, Servit, Petit,
Occat.
Actio, Contractus, Teſtes, *Quarta* re-
ſerantur.
Quinta dabit Nuptas, Tutelarumque fi-
guras.
Sexta & Libertos, & Teſtamenta notabit.
Hepta Manumittit, Præſcribit, Provocat
haud ter.
Pignerat *Octava*, Interdicit, Dat, Stipu-
latur.
Accuſat *Nona*, & diverſaq; Crimina ple-
ctit.
Publica *Finales Libri tres* Jura reſolvunt.
Correctasque notant Leges, *Authentica*
Jura.

CODICIS
LIBER I.
Titulus 1.
De Summa Trinitate, & fide Catholica, &, ut nemo de ea publice contendere audeat.

FIdes *Catholica* est, quæ id continet, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. *Tertull. l. de præscript. cont. hæretic.*

Quæ divinitus de sacris constituta sunt, pieq; creduntur, non sunt in dubium vocanda astutis atque inutilibus disputationibus; ea enim res occasionem præbet tumultibus & perfidiæ.

Si *Clerici* adversus hoc delinquant, amittunt privilegium clericale; *Milites* privantur cingulo; alii *Liberi homines*, exilio, *Servi*, ultimo supplicio mulctantur.

Titulus 2.
De Sacrosanctis Ecclesiis, & de Rebus, & Privilegiis earum.

PErsonarum Ecclesiasticarum cœtus, seu collegium, appellatur *Ecclesia*; interdum significat templum sive basilicam, quæ Catholicorum cœtum continet.

Res Ecclesiasticæ sunt Templa, Altaria, Sacra vasa, Sacræ vestes, Martyrum reliquiæ. Sunt item Ecclesiarum Prædia, & res immobiles.

Privilegiorum alia sunt omnibus Ecclesiis communia, uti immunitas, id est vacatio a muneribus sordidis

didis & extraordinariis: alia quarundam Ecclesiarum propria, veluti, ut Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum caput.

Titulus 3.

De Episcopis, & Clericis, & Orphanotrophis, & Xenodochis, & Brephotrophis, & Ptochotrophis, & Ascetriis, & Monachis, & privilegiis eorum, & quasi castrensi peculio, & de redimendis captivis, & de Nuptiis Clericorum vetitis, seu permissis.

EPiscoporum Ordo* est quadripartitus. Nam quidam *simpliciter Episcopi*, in majoribus civitatibus præsunt. Supra hos sunt *Metropolitani*, qui in singulis provinciis eminent. Supra Metropolitanos sunt *Archiepiscopi*, qui tam Metropolitanis, quam cæteris Episcopis præsunt. Supra Archiepiscopos sunt *Patriarchæ*, qui & *Primates* nominantur. Inter hos primum locum tenet Romanus Pontifex, cui soli hodie nomen *Papæ* tribuitur, cum olim omnes Sacerdotes appellarentur Papæ: secundum locum tenet *Constantinopolitanus*; tertium *Alexandrinus*; quartum *Antiochenus*; quintum *Hierosolymitanus*. Alii sunt inferiores Patriarchæ, uti Aquilejensis, Cantuariensis, Bituricensis; qui proprie Archiepiscopi nominantur.

In *Orphanotrophio* aluntur parentibus orbati; in *Xenodochio* advenæ; in *Brephotrophio* infantes; in *Ptochotrophio* inopes & mendici; in *Nosocomio* ægroti; in *Gerontocomio* senes.

Mo-

Monachi dicuntur quasi solitarii. *Ascetriæ* sic dicti, quod piis actionibus se exercent, & meditationibus vacant.

Regulares dicuntur, qui certæ vivendi regulæ sunt adstricti, sive sint Monachi, sive Canonici Regulares.

Privilegia Episcoporum & Clericorum sunt, quod liberi sunt a personalibus oneribus, uti Tutela, Magistratu; item a defensione Murorum, Portarum; quia non decet Clericos arma gestare, nisi ingruat necessitas. Habent & privilegium fori, tum in civilibus, tum in criminalibus; ut foro suo expresse vel tacite renunciare nequeant. Filiusfamilias Clericus de peculio quasi castrensi potest testari, nec testamentum ejus subjacet querelæ inofficiosi.

Lectores, *Cantores*, & cæteri in Minoribus Ordinibus constituti, nuptias contrahere possunt. *Sacerdotes*, & qui sunt in sacris, uti Diaconi & Subdiaconi, non possunt.

Titulus 4.

De Episcopali Audientia, & diversis capitulis, quæ ad jus, curamque, & reverentiam pertinent Pontificalem.

QVoniam Episcopus contendentes audit, & causas dijudicat, ideo dicitur *Episcopalis Audientia*, & *Episcopale Judicium*. Non tribuitur tamen Episcopo jurisdictio, quia non potest sententiam suam exequi, sed executio ad ordinarios Magistratus pertinet.

Cognoſcit Epiſcopus de cauſis Clericorum & Monachorum vel Civilibus, (videlicet ſi Clericus vel Monachus conveniatur) vel Eccleſiaſticis, & eatenus de Criminalibus, ut exauctoratos remittat ad civilem Judicem, ab eo puniendos.

Cura Epiſcoporum, præcipue eſt circa conſervationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Titulus 5.

De Hæreticis, Manichæis, & Samaritis.

HÆ*reticus* eſt, qui Chriſtianum quidem profitetur, ſed in articulis fidei errat.

Manichæi, a *Manete* hæretico dicti ſunt, qui tempore Felicis Romani Pontificis vixit, gente Perſa, & ſe modo Chriſtum, modo Paracletum jactabat. Statuebat principia duo, unum Bonum, alterum Malum.

Samaritæ dicuntur, qui Samaritanorum ſuperſtitionem amplectuntur, quæ ex Judaismo & Paganismo conſtabat.

Titulus 6.

Ne Sanctum Baptisma iteretur.

A*Nabaptiſtæ* dicuntur, qui ſacrum baptisma iterant. Eorum *tria ſunt genera*. Alii rebaptizant baptizatos in alia Eccleſia ſibi non probata, ut Eunomiani, Ariani, Donatiſtæ. Alii rebaptizant baptizatos in infantia, ut noſtri temporis Anabaptiſtæ. Alii toties rebaptizant, quoties aliquis peccavit, ut ejus peccatum abluant, ut Novatiani, Marcionitæ, & Donatiſtæ.

Titu-

Titulus 7.
De Apoſtatis.

A*Poſtaſiæ* tria ſunt genera, videlicet Perfidiæ, Inobedientiæ, & Irregularitatis.

Apoſtaſia Perfidiæ eſt, cum aliquis Chriſtianam religionem, ejusque verum cultum deſerit.

Apoſtaſia Inobedientiæ eſt, cum aliquis transgreditur præceptum ſui Superioris.

Apoſtaſia Irregularitatis eſt, cum quis recedit ab ordine aſſumtæ religionis. Hoc titulo, Apoſtaſia ſumitur in prima ſignificatione.

Titulus 8.
Nemini licere Signum Salvatoris Chriſti, humi, vel in ſilice, vel in marmore, aut inſculpere, aut pingere.

MVlctantur, qui ſignum Salvatoris noſtri, i. e. *Crucem*, humi pingunt aut ſculpunt; atque id jure prohibitum eſt, ne a prætereuntibus conculcetur.

Titulus 9.
De Judæis & Cœlicolis.

J*Vdæi* dicuntur, qui Vetus Teſtamentum male intellectum recipiunt, Novum autem, quod Veteri confirmatur, non admittunt.

Cœlicolæ ſunt, qui cœleſtia ſidera adorant; & cum Judæis in eodem titulo conjunguntur, quia ferè ex Judæorum numero erant. Hi, niſi ad Chriſtianam fidem convertantur, pœnis hæreticorum afficiuntur, & ædificia, in quibus conveniunt, Eccleſiæ vindicantur.

Titulus 10.

Ne Christianum Mancipium Hæreticus, vel Judæus, vel Paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.

ILlud commune est Hæreticis, Judæis, Paganis, & Samaritis, ut *Christianum mancipium iis habere non liceat.* Ratio est, ne Christi servitio addictus, impiorum jugo prematur. *Pœna* contra facientis est capitalis, eademque etiam manet Judæos, qui Christianum occidere attentant.

Titulus 11.

De Paganis, & Sacrificiis, & Templis.

P*Agani* sunt, qui gentilium sacra ritusque retinent.

Nominis ratio desumta ab eo, quod in pagis diutius hæsit idolorum cultus, quam in urbibus. Paganorum sacra hic titulus exerceri prohibet, eorum templa claudi jubentur, sub pœna gladii.

Titulus 12.

De his, qui ad Ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant.

I*Mmunitas concessa est Ecclesiis*, in Dei reverentiam, qui ibi colitur; eaque venit nomine asyli.

Proinde ad Ecclesiam confugiens, invitus inde abstrahi non potest, citra crimen Læsæ Majestatis Jure Civili, & citra Excommunicationem Jure Canonico.

Asylum præstant non tantum Ecclesia, Altaria, & Oratoria, sed & omnia loca, inter primas Ecclesiæ januas, ut cellæ, domus, horti, balnea, porticus.

Pro

Pro his, qui ad Ecclesiam confugerunt, *conclamari in Ecclesia non debet*; hoc enim ad seditionem spectare videtur. Quare, si quid per exclamationem ab Imperatore, ad Ecclesiam procedente, impetratum sit, effectu caret: & , qui exclamatione usus est, per Præfectum ejus castigatur.

Titulus 13.

De his, qui in Ecclesiis manumittuntur.

O*Lim in Ecclesiis, coram populo & Antistite, manumissis, competebat plena libertas.* Clerici vero, extra Ecclesiam etiam, quocunque modo, servis suis impertiuntur libertatem.

Titulus 14.

De Legibus, & Constitutionibus Principum.

COnsulendi in Digestis titulus *de Legibus*, itemq; titulus *de Constitutionibus Principum.*

Tam *Decreta quam Edicta Principum* habent vim Legis: Prætorum autem Edicta tantum vim legis obtinent, non etiam Decreta.

Titulus 15.

De Mandatis Principum.

M*Andata*, sunt constitutiones speciales, quibus certæ personæ, ut Præsides, vel Judices, monentur; quid facere debeant.

Hæc Mandata sine scriptis non sunt recipienda, nisi Princeps judicem det vel adjungat, aut acta edi jubeat, aut litem celeriter terminari præcipiat.

Titulus 16.

De Senatusconſultis.

OB negotiorum multitudinem, etiam occupata a Principibus Republica, *Senatui* jus erat, decreta facere, unde SCtum Trebellianum ſub Nerone, Pegaſianum ſub Auguſto facta, vim legis habuere.

Titulus 17.

De Veteri Jure enucleando, & de autoritate Jurisprudentium, qui in Digeſtis referuntur.

J*Vrisperitorum*, quibus a Principe datum erat, ut de jure poſſent reſpondere, ingens quondam erat autoritas; nam, ab eorum reſponſis, non licebat Judici recedere. Sed Juſtinianus iis ſolis vim legis tribuit, quæ ex infinitis ſcriptis delegit, atque enucleavit, & in ſua Digeſta retulit, ac omnia æqualem autoritatem habere juſſit: ita ut hanc vim, non ab autoribus JCtis, ſed ab ipſo Imperatore habeant.

Per Jus vetus enucleandum, intelligenda conſcriptio Digeſtorum; nam, jus vetus dicitur, non quod in uſu eſſe deſiit, ſed, quod libris antiquorum JCtorum continetur.

Titulus 18.

De Juris & Facti Ignorantia.

I*Gnorantia Juris* eſt, cum id neſcitur, quod jure cavetur; puta, minorem 14. annis non poſſe facere teſtamentum. *Ignorantia Facti* eſt, cum id ignoratur, quod in facto conſiſtit, velut, teſtatorem eſſe minorem 14. annis.

Igno-

Ignorantia Statutorum excusat Forensem & novitium civem a pœna statuti, si aliquid contra statutum faciat.

Titulus 19.

De Precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

IMperator laborantibus opem fert. Ejus autem opem imploramus, cum preces ei offerimus.

Preces, sunt libellus supplex, ejus desiderium continens, qui Principis auxilium implorat.

Non licet Principi de quacunq; re supplicare. Nam petere a Principe non licet, 1. Quod est contra jus, 2. Quod est damnosum fisco. 3. Administrationem vel dignitatem. 4. Ne debitor exceptione dilatoria utatur. Dilatio autem solutionis ita demum peti potest, si idonea cautio offeratur.

Titulus 20.

Quando Libellus, Principi datus, litis contestationem faciat.

LIbellus Principi oblatus, instar litis contestationis, actionem, alias tempore perituram, perpetuat, facitq; eam competere heredibus impetrantis, dummodo ad illum Princeps rescripserit.

Titulus 21.

Vt lite pendente, vel post Provocationem, aut definitivam sententiam, nulli liceat Imperatori supplicare.

TRia hoc titulo probibentur : 1. Ne liceat lite pendente, scil. in prima instantia, supplicare; nisi vel

vel Acta, vel Sententiam edi, vel Litem terminari, & Sententiam ferri, vel Judicem adjungi petatur. 2. Ne supplicetur post provocationem, id est lite pendente in secunda instantia. 3. Ne supplicetur post definitivam sententiam, id est post litem finitam.

Titulus 22.

Si contra jus, vel utilitatem publicam, vel per mendacium, fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.

N*On supplicandum est contra jus:* nam Judex non secundum rescripta, sed secundum leges & consuetudines generales judicare debet; nisi criminis pœna per rescriptum Principis remittatur, aut aliquid aliud concedatur, quod petenti prosit, & alteri non obsit.

Non supplicandum est contra utilitatem publicam, veluti si id, quod petitur, Fisco damnum afferat.

Est quoque vitium *Subreptio vel Obreptio*, id est, cum supplicans falsum quippiam in precibus ponit, aut aliquid verum reticet. Hic enim non solum impetratis uti non potest, sed etiam pœna falsi afficitur, etiamsi id, quod petiit & impetravit, legibus est consentaneum.

Titulus 23.

De diversis Rescriptis, & Pragmaticis sanctionibus.

R*Escriptum*, est responsum Principis, ad consultationem vel petitionem alicujus Judicis, sive privati hominis emissum.

Ut Rescriptum valeat, 4. *requiruntur*. 1. Ut clausulam illam contineat: Si preces veritate nituntur. Sed

Sed jure Pontificio hæc clausula suppletur, &, ea subaudita, rescriptum sustinetur. 2. Vt notetur dati rescripti tempus, si nimirum fuerit personale: nam generalia rescripta, quæ in Codicem relata, etiam sine die & Consule valent. 3. Vt Princeps manu sua subscribat sacro encausto, id est, cocti muricis, & triti conchylii ardore seu cruore. 4. Vt Quæstor subnotet, inter quos, ad quem, & per quem sit rescriptum emissum.

Rescripti species duæ sunt: Adnotatio seu Subnotatio, & Pragmatica Sanctio.

Adnotatio, est ad libellum privatæ personæ de privato negotio subscriptio Principis.

Pragmatica Sanctio, est sacra Principis jussio, quæ de negotio publico, causa in consilio cognita, ad aliquam universitatem emittitur; sive hoc fiat ad alienas preces, sive ad alicujus relationem aut suggestionem.

Titulus 24.

De Statuis, & Imaginibus.

EST quoque modus, quo opem Principis imploramus, *cum ad ejus Statuam confugimus.*

Statuæ ab Imaginibus differunt, quia Statuæ sunt aut sculptæ, aut marmoreæ, vel ligneæ; aut fusæ, ut æneæ, vel argenteæ: Imagines vero sunt pictæ.

Statuæ eriguntur Principi, non aliis personis, nisi permissu Principis.

Titulus 25.

De his, qui ad Statuas confugiunt.

LIcet ad *Statuam Principis, tanquam ad asylum, confugere*, dummodo id fiat ex justa causa, veluti

uti, si quis fugiat ex custodia aut vinculis, quibus a potentiori viro detinebatur; aut Servus durius, quam ut ferri posset, a domino tractetur.

Titulus 26.
De Officio Præfecti Prætoriorum Orientis & Illyrici.

VIdendus libri 1. Digestorum titulus 11. *De Officio Præfecti Prætorio.*

Fuerunt plures Præfecti Prætorio, ut Italiæ; Galliarum; *Orientis*, sub quo fuerunt quinque diœceses, Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia; item *Illyrici*, sub quo fuerunt duæ Diœceses, Macedonia, & Dacia.

Titulus 27.
De Officio Præfecti Prætorio Africæ, & de omni ejusdem Diœceseos statu.

ETsi Africa diœcesis olim fuit sub Præfecto Prætorio Italiæ, uti ex Notitia Romani Imperii constat; tamen *Justinianus, recuperata a Vandalis Africa, Præfectum Prætorio Africæ constituit*, a cæteris sejunctum.

Status Africanæ diœceseos, partim fuit politicus, partim militaris. *Politico* præfuit Præfectus Prætorio, sub quo sunt Præsides Provinciarum. *Militari* præfuit Magister militum, cui subjecti sunt Duces.

Titulus 28.
De Officio Præfecti Vrbi.

VIdendus libri 1. Digestorum titulus 12. ejusdem inscriptionis.

Titu-

Titulus 29.

De Officio Magiſtri Militum.

ÆQualis fuit dignitas Præfecti Prætorio, Præfecti Vrbi, & Magiſtri Militum.

Magiſter Militum poteſtatem habet in Duces militum, & Comites militares, & ipſos milites.

Titulus 30.

De Officio Quæſtoris.

QVæſtor ſacri Palatii orationes Principum in Senatu legebat, & eorum Reſcripta dictabat, iisque ſubſcribebat. Item curam gerebat *Minoris Laterculi*, id eſt Codicis, in quo deſcriptæ erant minores dignitates & officia; nam *Majus Laterculum*, in quo majora officia, majoresque dignitates deſcriptæ erant, ſervabatur apud Primicerium Notariorum. Dictum eſt Laterculum, vel a *lateribus*, id eſt a figura quadrata, uti Cujacio videtur; vel, a *latendo*, ut Hotomanno placet.

Titulus 31.

De Officio Magiſtri Officiorum.

SVb diſpoſitione *Magiſtri Officiorum* erant fabricæ, item ſcrinia memoriæ, ſive libellorum & epiſtolarum: item ſcholæ ſcutariorum, & armaturarum, nec non curſus publici poteſtas. Amplius, ſignificabat quotannis Cæſaribus, quomodo numerus militum ſe haberet.

Titu-

Titulus 32.

De Officio Comitis sacrarum largitionum.

COmes *sacrarum largitionum* universæ pecuniæ publicæ præerat, de qua sæpe largitiones ex Principis liberalitate fiunt. Vnde Comes sacrarum largitionum dictus est; nam, *Sacrum* passim in jure dicitur, quod ad Principem spectat.

Titulus 33.

De Officio Comitis Rerum privatarum.

COmes *Rerum Privatarum* curabat privatum patrimonium, ad Principem spectans.

Titulus 34.

De Officio Comitis Sacri Patrimonii.

IN quibusdam Codicibus, hic Titulus inscribitur: *De Officio Comitis Sacri Palatii.* Significatur is utroque vocabulo, *qui velut procurator erat divinæ domus*, qui Cæsaris Patrimonium curabat, possessiones, mensamque procurabat, epulas solicita ordinatione disponebat, denique in omnes regiæ domus famulos & ministros imperium habebat: quod munus hodie in Aula aliqua ex parte repræsentat Mareschallus.

Titulus 35.

De Officio Proconsulis, & Legati.

HActenus fuere Magistratus illustres. Sequuntur *Spectabiles*: inter quos primus locus datur *Proconsuli*, cujus proprium est, ut *Legatum* adjunctum habeat,

habeat; nam alii Provinciarum Rectores & Præsides, Legatum non habent. Videndus libri 1. Digestorum titulus 16. ejusdem inscriptionis.

Titulus 36.

De Officio Comitis Orientis.

PRæfectis Prætorio commissi fuere aliquot orbis tractus, qui plures diœceses seu provincias complectebantur. Singulæ habuerunt suos Rectores seu Comites, ut rectius administrarentur: quandoq; uni Rectori integræ diœceses, quæ plures provincias complectebantur, fuere commissæ.

Sic *Comitis Orientis* curæ commissæ fuerunt Provinciæ 15. sed Justinianus ei tantum primam Syriam subjecit.

Titulus 37.

De Officio Præfecti Augustalis.

VIdendus libri 1. Digestorum titulus 17. ejusdem inscriptionis.

Præfecti Augustalis curæ præter cætera incumbebat, a *Moderatoribus provinciarum tributa exigere;* quorum solutionem recusantes, etiam manu militari coërceri poterant.

Titulus 38.

De Officio Vicarii.

V*Icarius* vice Præfecti Prætorio mittitur in aliquam diœcesin, plures provincias continentem.

Titulus 39.
De Officio Prætorum.

SEquuntur Magiſtratus *Clariſſimi*, quales ſunt in urbe *Prætores*, de quibus eſt in libri 1. Digeſtorum titulo 14. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 40.
De Officio Rectoris Provinciæ.

VIdendus libri 1. Digeſtorum titulus 18. *De Officio Præſidis.*

Titulus 41.
Vt nulli Patriæ ſuæ adminiſtratio, ſine permiſſu Principis, permittatur.

NEmo poteſt, ſine ſpeciali permiſſu Principis, fieri Rector provinciæ, ex qua originem ducit, vel in qua domicilium habet.

Hodie plerunque domeſtici & originarii ad patriæ munera vocantur, & Magiſtratibus præficiuntur, præferunturq; alienigenis: Quia magis indigenæ obſtricti ſunt patriæ ſuæ, cujus & ſtatuta ac mores, utpote in ea educati, melius ſcire præſumuntur, quam alienigenæ.

In aliquibus Editionibus ſuccedit nunc titulus, *De Quadrimenſtruis brevibus*; qui tamen a plerisq; abeſt. Sunt autem *Breves Quadrimenſtrui*, libelli, qui, quarto quoque Menſe, a Chartulariis conficiebantur, & ad Officiales Palatini, aut Præfecti Prætorio mittebantur.

Titu-

Titulus 42.

De Officio Præfecti Vigilum.

QVidam hunc titulum sequenti, qui est de Officio Præfecti annonæ, postponunt; quidam eum prorsus omittunt. De Officio Præfecti Vigilum est in Digestis libro 1. tit. 15.

Titulus 43.

De Officio Præfecti Annonæ.

QVamvis olim Annonæ inspectio ad curam Præfecti Vrbi pertineret, placuit postea *Præfectum Annonæ* quoque eligi, & velut extra ordinem constitui, qui una cum Præfecto Vrbi, in Re Annonaria, æqualem potestatem haberet, ita ut unus sine alio de annona statuere nihil posset.

Titulus 44.

De Officio Civilium Judicum.

C*Iviles Judices* paganis, vel inter actorem militem, & reum paganum, jus dicunt.

Titulus 45.

De Officio Militarium Judicum.

M*Ilitares Judices* inter milites, vel inter actorem paganum, & reum militem, jus dicunt.

Titulus 46.

De Officio Tribuni, & Comitis militaris.

HVnc Titulum Cujacius substituit; quem tamen vulgati Codices non agnoscunt.

Titulus 47.

Ne Rei Militaris Comitibus vel Tribunis lavacra præſtentur.

COmites Rei Militaris & Tribuni Militares, nec *lavacra*, id eſt balnea privata, nec *adærationem*, id eſt æſtimationem loco balnei, exigere poſſunt: hoc enim jus tantum Illuſtribus Magiſtris Militum, & Comitibus equitum & peditum conceditur. Publica autem balnea omnibus patent; & qui iis uti prohibetur, poteſt Actione injuriarum experiri.

Titulus 48.

De Officiis diverſorum Judicum.

JVdicibus omnibus tam inferioribus, quam ſuperioribus, quædam *communia ſunt officia*, quæ hoc titulo proponuntur. Eorum *primum eſt*, ne Judices confundant invicem dignitatum gradus. Statutum proinde eſt, ut Inferiores, in ſuis relationibus & ſubſcriptionibus reverentiam præſtent Judicibus celſioribus, neque eos fratres appellent, vel pares faciant. *Alterum* Officium, ad honoratos viros pertinet, ut illis Judices ingreſſum & ſeſſionem in ſecretariis non denegent, ſed reverentiam & honorem debitum exhibeant.

Titulus 49.

Vt omnes Judices, tam Civiles quam Militares, poſt Adminiſtrationem depoſitam, quinquaginta dies, in Civitatibus, vel certis locis permaneant.

E*St commune omnium Judicum Provincialium*, ut non ante adminiſtrationem deponant, quam eorum

rum Successor ad provinciæ fines pervenerit, neque ante 50. dies, a deposita administratione numerandos, de provincia decedant, sed in publico faciant sui copiam, quo sic de rebus a se recte & juste factis, palam testentur, & subditis, quos rexerunt, facultas sit, eos super injuriis, furtis, residuis, arguendi, & accusandi. Eam rem vult Imperator definiri, intra 20. dies, & interim Reum ad juratoriam cautionem admitti, qua fidem interponet, se in judicio permansurum usq; ad terminum litis.

Si, antequam compleantur 50. dies, *Judex aufugerit*, a Provincialibus capi & detineri potest, donec omne damnum refundat.

Titulus 50.

De Officio ejus, qui vicem alicujus Judicis obtinet.

V*Icem Judicis obtinere* dicitur, qui moderamen Provinciæ, ad tempus præfixum, obtinet, Præside forsan defuncto, vel remoto, vel aliorsum vocato. Itaque ob utilitatem Reip. receptum est, ut Judices aliis jurisdictionem mandent, vel, ut alii a Principe aut Præfecto Prætorio constituantur, qui vice mortuorum vel absentium judicent.

Est inter hos magnum discrimen. Nam, illi, *quibus est mandata jurisdictio*; proprium nihil habent, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utuntur. At, *qui vicem alicujus Judicis obtinent*, propriam habent jurisdictionem, atque eandem autoritatem, quam Judex, cujus locum tuentur: unde Tutores dare, decreta facere, alienationibus bonorum minoris, Emancipationibus, & Adoptionibus autoritatem interponere possunt.

Titulus 51.

De Assessoribus, & Domesticis, & Cancellariis Judicum.

ASsessores, sunt Jurisperiti, qui consiliis Magistratus & Judices adjuvant, & docent, quomodo in unaquaq; Juris quæstione, civili vel criminali, cognoscendum sit.

Domestici, sunt milites, ad Magistratus custodiam deputati.

Cancellarii, sunt a secretis Judicum, & in expediendis eorum epistolis operam dant: sic dicti, quod *cancellis* includantur.

Titulus 52.

De Annonis, & Capitatione administrantium, & eorum Assessorum, aliorumve publicas solicitudines gerentium, vel, qui aliquam consecuti sunt dignitatem.

OMnibus Judicibus, de quibus hactenus dictum est, eorumq; Assessoribus, in præmium laboris & industriæ, & ut a donis ac muneribus sibi temperent, de publico *Salaria*, id est Annonas & Capitationes, constitui jussit Alexander Imperator.

Annonæ sunt, veluti panis, vinum, oleum, carnes, & similes res victui necessariæ. *Capitationes*, sunt pabula pro equis & mulis, quibus Judices & Assessores vehebantur, vel eorum sarcinæ importabantur. Pro his autem jubet hujus tituli Constitutio, solvi certam pecuniam, in singulorum delegationibus, id est Notitiis, definitam. *Notitiæ* namq; singulis officiis delegaban-

gaban-

gabantur, quibus continebatur, quantum ſinguli pro dignitate & officio, pro libellis, codicillis inſinuandis, pendere, quantum pro Annona & Capitatione accipere deberent.

Titulus 53.

De Contractibus Judicum, vel eorum, qui circa eos, & inhibendis Donationibus in eos faciendis, & ne adminiſtrationis tempore proprias Ædes ædificent.

NE ſubditi ullo modo premantur, cavetur, ne adminiſtrantes, aut, qui circa eos ſunt, ut Aſſeſſores & Domeſtici, certis modis *contrahant;* puta, ne aliquid emant, præter ea, quæ ad victum quotidianum neceſſaria ſunt; ne fœnerent, vel mutuum dent, ne mutuo accipiant ſine fœnore; imo ne quidem ſub fœnore ab iis accipiant, qui apud ſe litigant; ne mercaturam exerceant; ne ſponſalia cum provincialibus contrahant; neve uxorem ducant, niſi, ante adminiſtrationem ſuſceptam, ſponſalia cum ea contraxerint. Item, prohibentur donationis cauſa capere præter modica xeniola.

Amplius, Adminiſtrantes, & qui circa eos ſunt, prohibentur *Ædes, vel Naves*, adminiſtrationis tempore, exſtruere, ob eandem cauſam, ob quam contrahere iis nefas eſt. Sed nec in eum finem donationes iis accipere licet, ne ulla ratione ſubditi vexentur.

Titulus 54.

De modo mulctarum, quæ a Judicibus infliguntur.

JVdicibus, ſeu Magiſtratibus, communis eſt mulctæ inflictio. Eſt autem *Mulcta* coërcitio pecuniaria, quæ arbitrio Judicis mulctantis infligitur.

Mulctantis arbitrium non eſt omnino liberum, nam Magiſtratus *Illuſtres* mulctam dicere poſſunt usque ad 50. libras auri: *Spectabilium* alii usque ad tres, alii usque ad ſex uncias auri: *Clariſſimi* usque ad duas auri uncias.

In mulcta dicenda requiritur *cauſæ cognitio*, ne quis innocens mulctetur; atque mulcta ex ſcripto pronuncianda eſt, quod & in aliis ſententiis Judicum requiritur.

Mulcta non affert infamiam, *nec poteſt a Judice remitti*, niſi ex juſta cauſa; uti ob inopiam mulctati. Quod ſi exigatur, applicanda eſt fiſco, niſi Judex in alios publicos uſus eam deputaverit.

Titulus 55.

De Defenſoribus Civitatum.

DEfenſor *Civitatis* talis erat in municipiis, qualis Tribunus Plebis Romæ. De cauſis civilibus cognoſcebat usque ad 50. jure Novellarum, usque ad 300. aureos. Audiebat, & puniebat leviora crimina, deprehenſos in gravioribus remittebat ad Judicem puniendos. In carcerem conjicere poterat, mulctam vero dicere non item.

Titulus 56.

De Magiſtratibus Municipalibus.

IN aliquibus civitatibus, præter Defenſores, nullus erat Magiſtratus. At in pleriſque municipiis plures

res fuerunt Magistratus, *Municipales* dicti, itemque *Curatores Reipublicæ*, & *Decuriones*. Præcipui erant *Duumviri*, similes duobus Consulibus Populi Romani. Hi assumebantur ex ordine Decurionum, uti Defensores ex plebe.

Habebant Duumviri ordinariam jurisdictionem in minoribus causis, in majoribus non utique, nisi partium consensu jurisdictio prorogaretur. Habebant & judicati executionem aliquam, quatenus jubere poterant pignora capi. Item habebant modicam coërcitionem, sed in servos tantum, non in liberos. Majorum criminum Reos detrudebant in carcerem, & mittebant ad Provinciæ Præsidem. Amplius, competebat iis jus dandi tutores vel curatores, si scilicet facultates pupilli vel adolescentis non excederent 500. aureos. In summa, ea quæ jurisdictionis sunt, hic Magistratus facere poterat, non ea quæ imperii: unde non animadvertebat in facinorosos homines gladio, non restituebat in integrum.

Titulus 57.
De Officio Juridici Alexandriæ.

VIdendus libri 1. Digestorum titulus 20. *De Officio Juridici.*

CODICIS
LIBER II.
Titulus 1.
De Edendo.

VIdendus libri 2. Digestorum titulus 13. ejusdem inscriptionis.

Titulus 2.

De in Jus vocando.

VIdendus libri 2. Digeſtorum titulus 4. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 3.

De Pactis.

VIdendus libri 2. Digeſtorum titulus 14. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 4.

De Transactionibus.

VIdendus libri 2. Digeſtorum titulus 15. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 5.

De Errore Calculi.

E*Rror Calculi*, eſt error in computationibus factus; nam Veteres in rationibus ſupputandis calculis utebantur. Si quis igitur in reddendis rationibus quibuscunque erraverit, probato errore, rationes retractari recte petit, etiam poſt decennii aut vicennii tempora. Error enim veritati præjudicare non poteſt; ideo quod per errorem ſolutum eſt, tanquam indebitum recte repetitur.

Titulus 6.

De Poſtulando.

VIdendus libri 3. Digeſtorum titulus 1. ejusdem inſcriptionis.

Titu-

Titulus 7.

De Advocatis diverſorum Judiciorum.

ADvocati ab advocando dicuntur, quia patronum *advocamus*, ut agat litem noſtram, *invocamus* Judicem, *vocamus* Adverſarium, *evocamus* Teſtem. Eſt igitur Advocatus Doctor juris, qui pro alio, id eſt Cliente, poſtulat. Dicitur alias *Patronus*, *Cauſidicus*, quanquam olim Advocatus & Patronus differebant: *Patronus* enim erat Orator, qui cauſam agebat; *Advocatus* vero, qui jus ſuggerebat.

Advocati alii ſunt Statuti, qui in collegio ſunt, inque matriculam fuere deſcripti, quorum ordinem excedere, & turbare non licet. Alii ſunt *Supernumerarii*, qui nec certo numero ſunt, nec certo collegio comprehenduntur, nec certo foro addicti, ſed per omnia fora libere oberrant.

In aliquibus Editionibus, ſubjungitur Titulus *de Advocatis diverſorum Judicum*, ſed perperam, ac merito in aliis Leges ad illum relatæ cum hujus tituli Legibus conjunguntur.

Titulus 8.

De Advocatis Fiſci.

ADvocati Fiſci ſunt, ad quos pertinet agere cauſas fiſcales. Agunt ſinguli in eo foro, ex cujus collegio ſumti ſunt: nam, ex variis foris ſeu diverſis advocatorum collegiis aſſumuntur, ut puta electus ex collegio Togatorum Præfectianorum, cauſas fiſcales apud Præfectum Vrbi; &, qui ſumtus eſt ex collegio Togatorum Prætorianorum, cauſas fiſcales agit apud Præfectum Prætorio.

Olim

Olim erat in quolibet foro unus Fiſci Patronus; ſed poſtea ſpecialiter conſtitutum, ut in foro Præfecti Prætorio Orientis duo eſſent.

Hoc officium quondam erat annuum; poſtea conſtitutum eſt, ut biennio duraret in quibusdam foris, uti in foro Præfecti Prætorio Illyrici , & Alexandrino.

Titulus 9.

De Errore Advocatorum, vel Libellos, ſeu Preces concipientium.

ERror *Advocati* non nocet Clienti, niſi Cliens præſens ſit, ac triduano ſilentio comprobet, quæ Advocatus dixit. Similiter domino litis non nocet error in concipiendo libello, admiſſus ab eo, qui libellum ſeu preces concepit.

Titulus 10.

Vt, quæ deſunt Advocatis, vel parti, Judex ſuppleat.

IN quibusdam editionibus ſic concipitur inſcriptio: *Vt, quæ deſunt Advocatis partium, judex ſuppleat.*

Si quid Advocatus omiſerit, quod ad cauſam faciat, Judex id ſupplere debet. Sicut enim error, ita etiam omiſſio Advocati nocere litiganti non debet. Idem obtinet in iis, quæ omiſſa ſunt a Partibus, id eſt, litigantibus.

Atque hæc indiſtincte obtinent in iis, quæ in jure conſiſtunt, non vero omni modo in iis, quæ ſunt facti: quia, cum judex ſecundum allegata & probata judicare debeat, nihil ſupplere poteſt, quod in actis non continetur.

Titu-

Titulus 11.

Ex quibus causis Infamia irrogatur.

INfames ad officium Advocati non admittuntur. Qui vero, & ex quibus causis, notentur infamia, est in libro 3. Digestorum titulo 1.

Titulus 12.

De Procuratoribus.

VIdendus libri 3. Digestorum titulus 3. ejusdem inscriptionis.

Titulus 13.

Ne liceat Potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel Actiones in se transferre.

POtentior prohibetur patrocinium litiganti præstare. *Potentior* dicitur, cui adversarius par esse non potest. *Patrocinium præstare* dicitur, qui litis procurationem suscipit, idque aut procuratoris munus suscipiendo, aut actiones in sese transferendo.

Qui Potentioris operam redimit, Actionem perdit; Potentiorem, arbitraria manet pœna.

Titulus 14.

De his, qui Potentiorum nomine Titulos Prædiis affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt.

NEfas est, Titulos alicujus viri potentis prædio affigere, ne adversarius prædium illud petere audeat.

Titulus, est tabula prædio affixa, quæ nomen, effigiem, vel insignia domini continet.

Nefas quoque est, in litem, qua quis pulsatur, *Potentis viri nomen prætendere*, quasi ad eum causa pertineat.

Vir potens si in ista consenserit, infamia ei per Judicem irrogatur. Is vero, qui ejus potestate abusus est, causa cadit, &, si sine Viri illius potentis consensu id faciat, plumbatis virgis cæsis damnatur in metallum.

Titulus 15.

Vt nemo privatus titulos prædiis suis vel alienis imponat, vel Vela Regia suspendat.

TRia sunt, quæ inter se similitudinem quandam habent: Tituli, Vela, & Signa.

Tituli, sunt tabulæ prædiis affixæ. *Vela* solebant foribus ædium a Veteribus prætendi, unde, levato velo, significat, aperta fore. *Signa* apponuntur rebus mobilibus. De his omnibus hac in parte agitur, &, cum superiori Titulo actum sit de titulis Virorum potentium, hoc tit. agitur de titulis ex velis regiis. Nempe *Titulorum* appellatione, κατ' ἐξοχὴν, significantur tituli Regii, qui etiam appellantur tituli fiscales.

Si quis titulos Regios prædio suo affigat, prædium confiscatur. Si *alieno prædio* sine jussu judicis affixerit, gravissime punitur. Nimirum, plebejus ultimo supplicio afficitur; Clarissimus, vel Decurio, vel Miles, vel Clericus, proscribitur; & cuilibet licet titulos Regios, illicite affixos, dejicere & frangere.

Titu-

Titulus 16.

Vt nemini liceat ſine Judicis autoritate Signa rebus imponere alienis.

S*Igna* non poſſumus imponere rebus alienis, ſine autoritate Judicis, id eſt, antequam per Judicem ſint nobis adjudicatæ, licet nobis ſint obligatæ, imo nec noſtris rebus, ab alio detentis.

Quod ſi *impoſita illicite fuerint*, amoveri impune a quolibet poſſunt, ejusque, qui ea impoſuit, bona confiſcantur.

Titulus 17.

Ne Fiſcus vel Reſpublica procurationem alicui, patrocinii cauſa, in lite præſtet.

QVemadmodum Viri potentes, ita etiam Fiſcus, & Reſpubl. prohibentur patrocinium litiganti præſtare, id eſt, procurationem litis ſuſcipere.

Fiſcus, eſt ærarium Populi Rom. vel Principis; *Reſpublica*, eſt civitas Romano Imperio ſubjecta.

Titulus 18.

De Negotiis Geſtis.

VIdendus libri 3. Digeſtorum titulus 5. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 19.

De his, quæ Vi, Metusve cauſa geſta ſunt.

VIdendus libri 4. Digeſtorum titulus 2. *Quod Metus cauſa geſtum erit.*

Titu-

Titulus 20.

De Dolo Malo.

VIdendus libri 4. Digestorum titulus 3. ejusdem inscriptionis.

Titulus 21.

De in Integrum Restitutione Minorum viginti quinque annis.

VIdendus libri 4. Digestorum titulus 4. *De Minoribus XXV. annis.*

Titulus 22.

De Filiofamilias minore.

FIliusfamilias minor, cum possit, non obstante patria potestate, conveniri, potest etiam in integrum restitutionem petere, excepto Mutuo, quod jussu patris accepit. Sed & pater, nomine filii, licet inviti, restitutionem petere potest, nisi filio contrahenti consenserit.

Titulus 23.

De Fidejussoribus Minorum.

DE *Fidejussoribus Minorum*, duo notanda sunt: *Vnum* est, Minorem restitui contra suum Fidejussorem, cui tenetur actione mandati. *Alterum*, Fidejussorem adversus Creditorem Minoris, apud quem fidejussit, ita demum restitui, si dolus Creditoris intervenerit.

Titulus 24.

Si Tutor vel Curator intervenerit.

M*Inor restituitur* etiam adversus ea, quæ Tutore vel Curatore autore fecit, nec non adversus ea,

quæ

quæ ipse Tutor vel Curator gessit; adeo, ut electio sit minoris, utrum restitutionem petere, an contra Tutorem Actione tutelæ, sive Curatorem, utili negotiorum actione experiri velit: & altero horum remediorum electo, nihilominus possit illud omittere, & ad alterum transire.

Titulus 25.

Si in Communi eademque causa in Integrum Restitutio postuletur.

QVæritur: *Num etiam Majoribus, communem causam habentibus cum Minore, restitutio detur?*

Respondent Imperatores, Majoribus non dari, neque prodesse restitutionem Minoris; sicuti etiam Prætor suo edicto solum pollicetur restitutionem de eo, quod cum Minore gestum erit, non quod cum ejus Consorte, Socio, vel Majore. Quare, si duo Fratres, quorum unus maior, alter minor sit, de successione paterna cum tertio aliquo imprudenter transegerint, restitutio quidem Minori concedetur, sed pro portione sua tantum; cum tamen regulariter eadem res diverso jure censeri non debeat.

Titulus 26.

Si adversus Rem Judicatam.

M*Inor restitui potest adversus rem judicatam*, hoc est, sententiam ipso jure validam, & latam non solum ab inferiore Judice, sed etiam eo, qui vice Principis fungitur, aut ab ipso Principe; quamvis perraro, & solum ob novas allegationes soleat Princeps permittere restitutionem, & induci in auditorium suum eum, qui per infirmitatem ætatis captum se dicit. Fit

Fit vero, ut admittatur potius contra ſententias ſummorum Judicum reſtitutio, quam appellatio. Quia is, qui appellat, conqueritur de iniquitate judicantis: ſed, qui cupit reſtitui, petit veniam ſimplicitatis ſuæ, vel adverſarii circumventionem allegat.

Titulus 27.
Si adverſus Venditionem.

INterdum Venditio rata manet; quandoque ipſo jure nulla eſt, ut Reſtitutione opus non ſit; aliàs infirmatur per reſtitutionem in integrum.

Rata manet, nec per Reſtitutionem reſcinditur, 1. Si minor juraverit, ſe nullam controverſiam facturum; ſtandum enim eſt jurejurando. 2. Si res fortuitis caſibus obnoxiæ, ut Vinum, Frumentum, venditæ ſint, tutore vel curatore autore.

Ipſo jure nulla eſt venditio, 1. Si Pupillus ſine Tutore, Minor, Curatorem habens, ſine Curatore rem vendiderit. 2. Si res, ſine corruptionis & interitus periculo, ut Prædium, venditum ſit ſine decreto Prætoris. Aliis caſibus datur Reſtitutio, ſive ipſe Minor vendidit, ſive Tutor Curatorve rem vendidit Minoris.

Titulus 28.
Si adverſus Venditionem Pignorum.

A*Dverſus Venditionem Pignorum* Reſtitutio conceditur, ſive Creditor rem Minoris ſibi pigneratam diſtraxit: ſive res Minoris condemnati capta & diſtracta ſit; videlicet, ſi Minor magno detrimento ſit affectus: nam temere, adverſus venditionem pignorum, non conceditur Reſtitutio, ne quodammodo pignoris emtor decipiatur Legis autoritate, quæ, interveniens-

veniente decreto, & subhastatione, permisit res Minorum distrahi.

Titulus 29.
Si adversus Donationem.

DOnatio regulariter occasionem restituendi dat, sive Minor donavit, sive Patri donanti consensit, sive donationem sibi factam remisit. Quandoq; tamen donatio Minoris *rata manet*, ut, quia modica est, vel cum autoritate Curatoris facta est ex justa causa. Quandoq; *ipso jure non valet*, ut Prædii donatio.

Titulus 30.
Si adversus Libertatem.

QVia Libertas inæstimabilis res est, & rebus omnibus favorabilior, ideo *contra Libertatem semel obtentam, aut sententiam pro ea latam, non datur restitutio Minori*; quia res judicata pro veritate habetur. Dicitur, *obtentam*, quia libertas, quæ nondum competiit, (ut quia Judex non pronunciavit liberum, sed manumittendum) potest per restitutionem impediri, ne detur. Ob magnam tamen causam, potest retractari a Principe.

Observandum, etsi Minor adversus libertatem semel datam non restituitur, aliis tamen remediis ei consuli, ne imprudentiæ suæ pœnam immeritam ferat. Sic, si dicta sit sententia pro libertate, eam per appellationis remedium Minor suspendet.

Titulus 31.
Si adversus Transactionem vel Divisionem.

MInori *cum Adversario suo transigenti*, Tutore vel Curatore autore, vel cum Cohærede aut Socio

Socio divisionem facienti, restitutio datur. Ea impetrata, iisdem, quas prius habuit, Actionibus utetur, jusq; suum pristinum consequetur, quasi nulla præcessisset transactio. E diverso, æqualitatis servandæ causa, Adversario quoque restituentur pristinæ Actiones, ita ut, si factæ fuerint inefficaces per exceptionem transactionis, recipiant vim pristinam.

Titulus 32.

Si adversus Solutionem a Debitore vel a se factam.

P*Vpilli, vel Minores, nec recte solvunt debitum, nec recte accipiunt*, nisi Tutoris aut Curatoris autoritate, per quam si lædantur, restitutionem merentur, causa cognita. Etsi ergo recte fit solutio, Tutore vel Curatore autore, non tamen est tutissima, sicut ea, quæ fit decreto Prætoris, quæ plenissimam dat solvendi potestatem.

Minor potest restitui adversus solutionem *Legati indebiti* factam, etiam errore juris, restituta ei condictione indebiti, stricto jure non competente.

Titulus 33.

Si adversus Dotem.

S*I Minor, circumventus, dedit omnia sua bona in dotem*, aut ultra vires patrimonii promisit dotem, restitui potest.

Titulus 34.

Si adversus Delictum.

A*Dversus Delictum* Minor non omnino restituitur, sed tantum ratione ætatis pœna mitigatur. Nisi per

per *imprudentiam*, ſeu juris ignorantiam, deliquerit, tunc enim reſtitui poteſt, puta, ſi Nuptias inceſtuoſas, quas putabat eſſe permiſſas, contraxerit.

Titulus 35.

Si adverſus Vſucapionem.

REgulariter *res Pupilli uſucapi non poſſunt*; ideoque reſtitutione non eſt opus. Diverſum eſt in Minore, cujus res olim uſucapi poterant.

Titulus 36.

Si adverſus Fiſcum.

N*Otandi tres caſus*: 1. Si Fiſcus cum Minore contraxerit, puta, rem ejus vili pretio emerit, Minor contra Fiſcum reſtituitur. 2. Si Fiſcus rem minoris vendiderit Titio quaſi ſuam, Minor contra Titium reſtituitur. 3. Si Fiſcus rem Minoris ſibi pigneratam vendiderit, eo quod ſibi non ſatisfecerit, ſic diſtinguitur: Aut res bona fide, & autoritate publica diſtracta eſt, & ſic denegatur reſtitutio: aut, ſecus vendita eſt, & Minor reſtituitur; ita ut ſolvens, quod Fiſco debet, rem ſuam recipiat.

Titulus 37.

Si adverſus Creditorem.

R*Eſtituitur Minor contra Creditorem*, a quo mutuum ei ſolutum, niſi aut patre conſentiente acceperit, aut in rem ſuam verterit, & locupletior factus ſit. Sed, ſi eandem pecuniam alteri crediderit, eatenus creditori ſuo tenetur, ut actiones ei contra ſuum debitorem cedere debeat.

Titulus 38.

Si ut ſe ab hereditate abſtineat.

ADverſus *Acquiſitionem Hereditatis* Minor reſtituitur, ſive ſit heres Extraneus, ſive Suus, ſive Neceſſarius; nempe, ut, non obſtante aditione, *Extraneus* poſſit hereditatem repudiare: vel, non obſtante immixtione, *Suus heres* poſſit abſtinere; *Neceſſarius* poſſit ſeparationem bonorum petere. In Rubrica tamen ſolius abſtentionis mentio fit. Atq; hæc reſtitutio, etiam in bonorum poſſeſſione, & adeo quavis ſucceſſione, locum habet.

Notandum, hæc tantum obtinere in puberibus; nam impubes non eget reſtitutione, ſed ſine reſtitutione poteſt abſtinere, poſtquam ſe immiſcuit.

Titulus 39.

Si ut omiſſam Hereditatem, vel Bonorum Poſſeſſionem, vel quid aliud acquirat.

NOn tantum contra damnum acceptum, ſed & *contra lucrum amiſſum*, reſtitutionem Minor meretur. Proinde reſtituitur, ut hereditatem, vel bonorum poſſeſſionem, ſive in paternis, ſive in extranei bonis, a qua, cum lucroſa eſſet, temere ſe abſtinuit, vel eam repudiavit, acquirat, aut, ut quodvis aliud lucrum amiſſum conſequatur. Sed, oportet res integra ſit; aliàs enim non audietur.

Titulus 40.

In quibus cauſis Reſtitutio in Integrum non eſt neceſſaria.

R*Eſtitutio in integrum eo caſu non datur, quo Minor ipſo jure tutus eſt:* veluti, ſi ſententia ſit lata con-

contra indefensum; si alienatio Prædii sine decreto ab eo sit facta; si quid gestum sit a Curatore, ante satisdationem. Est enim restitutio, amissæ causæ redintegratio, qua non opus, ubi nulla læsio.

Titulus 41.

Qui, & adversus Quos, in integrum restitui non possunt.

R*Estitutio excluditur, locumq; nullum invenit, propter conditionem personæ*, tum ejus, qui petit in integrum restitui; tum ejus, contra quem petitur.

De Conditione ejus, qui petit, ita statuitur, ut, si minoris industria actibus publicis ita fuerit comprobata, ut non sit verisimile, eum esse læsum per ætatem, tunc, nisi aperte se læsum probet, non conceditur restitutio. *Industria igitur juvenilis* ætatis defectum supplet, ita ut præsumtio sit contra Minorem, eum non esse læsum. Hinc non juvatur prætextu imperitiæ, qui se alicui Officio aut Negotiationi ingessit.

Ob Conditionem ejus, contra quem petitur, restitutio denegatur, uti si Filius petat restitui contra Patrem, seu factum patris; Libertus contra Patronum. Nam reverentia paterna, vel patronalis, quæ semper exhibenda est, id non patitur.

Titulus 42.

Si Minor se Majorem dixerit, vel Major probatus fuerit.

R*Estitutionem quoq; denegat dolus Minoris*, veluti, si per mendacium se majorem dixerit; deceptis enim, non decipientibus jura subveniunt. Aliud est, si id asseruerit errore quodam, vel inductus ab adver-

ſario; deeſt enim animus fallendi. Si tamen in Inſtrumento jurejurando affirmaverit, ſe majorem, habebitur pro tali; niſi contrariis Inſtrumentis aliud probetur.

Titulus 43.

Si ſæpius in Integrum Reſtitutio poſtuletur.

R*Eſtitutionem petitam, non obtentam, iterato quis ex eadem defenſione non petit*, quia cenſetur ſupereſſe cauſa, propter quam primo negata; neq; enim licet bis ſuper eadem re in judicio experiri. At, nova defenſione exorta, quæ ante non tractata fuerat, recte reſtitutio petitur.

Titulus 44.

De his, qui Veniam Ætatis impetraverunt.

I*Mpetrans ætatis veniam* jus legitimæ ætatis conſequitur, maſculi nimirum, ſi ſint 20. annorum, fœminæ, ſi 18. *Effectus is eſt*, ut Cura liberentur, & rerum ſuarum adminiſtrationem accipiant, ac in omnibus pro majoribus habeantur; excepta tamen Alienatione, & Obligatione immobilium ſine decreto. Proinde, qui veniam ætatis impetrarunt, fruſtra implorant Reſtitutionis remedium, ex cauſa ætatis, etiamſi rem minus bene adminiſtrent, ne principali reſcripto, cum iis contrahentes, circumſcribantur.

Titulus 45.

Si Major factus ratum habuerit.

V Ltima cauſa denegandæ Reſtitutionis eſt, *ſi Major factus ratum habuerit, quod cum Minore geſtum*

ſtum fuit, quia, per Ratihabitionem, in integrum reſtitutioni renunciaſſe, & Actiones ſuas remiſiſſe videtur. Et nihil intereſt, ſive expreſſis verbis, ſcriptis, vel facto, rem ſcilicet exigendo, diviſionemve faciendo, ratum habuerit, ſive ſilentio; id eſt paſſus ſit labi tacite tempus in integrum reſtitutionis.

Titulus 46.

Vbi, & apud Quem, cognitio in Integrum Reſtitutionis agitanda ſit.

P*Rinceps*, & *Delegatus a Principe*, & quilibet ordinarius, ex conſtitutione Juſtiniani in *l. ult. h. t.* in integrum reſtituere poteſt, quin & is, cui a Magiſtratu mandata eſt juriſdictio omnis.

Arbitri, conſenſu partium electi, cum nullam ſpeciem publicæ perſonæ gerant, quia & *Pedanei Judices*, qui a Prætore vel Præſide dati ſunt, in integrum reſtituere non poſſunt; quippe qui propriam juriſdictionem non habent, imo ne mandatam quidem, uti nec forum proprium, ſed notionem tantum, & audientiam.

Magiſtratus, qui reſtituere poteſt, non tantum contra ſuam, ſed & deceſſoris, aliorumq; judicum ſententiam reſtituit. *Minor tamen Magiſtratus* contra ſententiam majorum non reſtituit. Quod ſi *Princeps* ſententiam dixerit, perraro ſolet permittere reſtitutionem alteri Magiſtratui, ſed ipſe ſolus reſtituit.

Hodie, in foro, ob qualemcunq; cauſam, vel tantum incidentem, reſtitutio a Principe, ejusve ſupremo Concilio, impetrari ſolet, atque veritatis & cauſarum narratarum examen plerunque Judicibus, vel Concilio provinciæ committitur.

Titulus 47.

De Reputationibus, quæ fiunt in Judicio in Integrum Reſtitutionis.

SIcut Minor, per Reſtitutionem in integrum, rem ſuam cum fructibus recipit, ita ei, adverſus quem in integrum reſtitutus eſt, quicquid ex re illius percepit bona fide, & unde locupletior factus eſt, reſtituere debet. Proinde quicquid ad eum pervenit, vel ex emtione, vel ex alio contractu, unde locupletior factus eſt, id *reputare*, hoc eſt, reddere una cum fructibus, vel compenſare debet.

Titulus 48.

Etiam per Procuratorem, cauſam in Integrum Reſtitutionis agi poſſe.

IN judicio in integrum Reſtitutionis, *Procurator* admittitur, tam ex parte Actoris, quam Rei, dummodo ſpeciale mandatum habeat, aut, ſi de eo dubitetur, caveat, rem ratam dominum habiturum.

Titulus 49.

In Integrum Reſtitutione poſtulata, ne quid novi fiat.

POſtulata Reſtitutione in integrum, *nihil innovandum*, ſed omnia in ſuo ſtatu manere debent, donec controverſia finiatur. Nam Reſtitutionis eadem vis eſt, quæ Appellationis, ut negotii vires ſuſpendat.

Titulus 50.

De Reſtitutionibus Militum, & eorum qui Reipublicæ cauſa abſunt.

DE Minoribus hactenus actum fuit: Sequitur de *Majoribus*, quibus reſtitutionem indulget Abſentia Reipubl. cauſa, quia nemini officium, quod Reip. cauſa præſtat, debet eſſe damnoſum. Oportet igitur hæc duo concurrant, aliquem fuiſſe abſentem, deinde affectum fuiſſe ob eam abſentiam damno; alias non reſtituitur.

Abſens Reip. cauſa cenſetur, qui non ſui commodi ergo, ſed coacte abeſt: uti Milites, Legati, Procurator Cæſaris in provinciis.

Titulus 51.

De Vxoribus Militum, & eorum, qui Reipublicæ cauſa abſunt.

QVemadmodum Militibus, & cæteris Reip. cauſa abſentibus, per reſtitutionem in integrum ſuccurritur, ita etiam eorum *Vxoribus*, quæ cum ipſis peregrinatæ ſunt, idem beneficium tribuitur; cum & earum juſta ſit abſentiæ cauſa.

Titulus 52.

De Temporibus in Integrum Reſtitutionis, tam Minorum, & aliarum perſonarum, quæ reſtitui poſſunt, quam etiam heredum eorum.

ILlud commune eſt omnibus Reſtitutionibus hactenus expoſitis, *ut intra certum tempus peti debeant*, poſt quod peti non poſſunt. *Prætor* annum utilem præ-

præſcripſit; poſtea *Conſtantinus* Actioni de dolo biennium tribuit. In cæteris *Juſtinianus*, pro anno utili, ſubſtituit *quadriennium continuum*, ita ut hoc tempus neque Minori currat, quamdiu Minor eſt, (niſi veniam ætatis a Principe impetraverit; quo caſu tempus currit a die inſinuationis apud competentem judicem factæ, ſic tamen, ut nullo modo reſtitutio denegetur, quamdiu eſt Minor, licet quadriennium a dicta inſinuatione effluxerit) nec abſenti Reip. cauſa, quamdiu Reip. cauſa abeſt.

De Heredibus reſtituendis notanda diſtinctio: 1. Si Minor Minori ſucceſſit, poſt ſuam legitimam ætatem habet ſtatutum ad reſtitutionem petendam tempus. 2. Si Minor Majori ſucceſſit, habet poſt legitimam ætatem tantum temporis, quantum defunctus habebat, ſeu quantum ei ſupererat mortis tempore. 3. Si Major Minori ſucceſſit, ſtatim atque hereditatem adivit, aut bonorum poſſeſſionem petiit, ſtatutum tempus, id eſt, quadriennium habet ex perſona defuncti. 4. Si Major Majori ſucceſſit, ſtatim ac adivit hereditatem, aut petiit bonorum poſſeſſionem, tantum temporis habet, quantum defunctus habuit mortis tempore.

Titulus 53.

Quibus ex cauſis Majores reſtituantur.

PRæter Abſentiam Reipubl. cauſa, de qua dictum, ſunt & aliæ reſtitutionum cauſæ; quarum aliæ continentur Edicto Prætoris, aliæ *ad ejus generalem Clauſulam* ſunt referendæ, qua Prætor pollicetur, ſe reſtituturum, quotiescunque juſta cauſa videbitur, ſeu quoties æquitas reſtitutionem ſuggeret. Eſt autem juſta cauſa, ſi quis apud Arbitrum, ſeu Judicem

datum,

datum, præſentiam ſui facere non potuit, quod ſub cuſtodia militari juſſu Præſidis detineretur.

Titulus 54.
De Alienatione, judicii mutandi cauſa facta.

VIdendus libri 4. Digeſtorum titulus 7. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 55.
De Receptis Arbitris.

VIdendus libri 4. Digeſtorum titulus 8. *De Receptis, qui Arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.*

Titulus 56.
De Satisdando.

Q*Vi ſuo nomine agit*, 1. tam Reo, quam Executori promittit, ſe intra duos menſes litem conteſtaturum, &, niſi id fecerit, ſe omne damnum adverſario reſtituturum in duplum. 2. Datis, ſi poteſt, fidejuſſoribus, ſin minus jurato cavet, ſe permanſurum in judicio, usque ad terminum litis, id eſt, usq; ad ſententiam definitivam, &, ſi victus fuerit, ſe decimam partem litis adverſario ſoluturum. 3. Si ex Reſcripto Principis reum ad judicem non competentem, id eſt, ex provincia in urbem, vel in aliam provinciam vocet, datis fidejuſſoribus cavet, niſi litem exequatur ad ſententiam, ſe daturum pœnam, quam Judex definiet. *Procurator Actoris* cavet 1. Rem ratam dominum habiturum, ſi de mandato dubitetur. 2. De Actore defendendo, ſi a Reo conveniatur. *Reus cavet,*

cavet, ſe in judicio permanſurum usque ad finem litis, i. e. usque ad ſententiam definitivam. *Rei Procurator vel Defenſor* cavet, judicatum ſolvi.

Titulus 57.

De Formulis & Impetrationibus Actionum ſublatis.

JVdicii præparatorium olim erat, *Impetratio Actionis a Prætore*, qui formulam præſcribebat, pro natura cujusq; negotii, & Judicem dabat, qui de cauſa cognoſceret, nec licebat a præſcripta formula diſcedere; ſecus cauſa quis & actione cadebat. Sed poſtea neceſſitatem impetrandarum actionum, & ſolemnium formularum uſum, Imperatores ſuſtulerunt.

Titulus 58.

De Jurejurando propter Calumniam.

J*Vsjurandum de Calumnia* eſt, quo jurans affirmat, ſe non alterius vexandi cauſa, ſed bona fide, aliquid petere, aut petenti contradicere.

Olim, in ſingulis articulis litis, & cauſis, jurabatur de calumnia; ſed hodie ſemel tantum & generaliter juratur, in principio litis.

Hoc jusjurandum eſt de credulitate, non de veritate, non enim jurant litigantes ſe bonam cauſam habere: ſed ſe ita credere.

Actor jurat de calumnia, ſive ſuo nomine agat, ſive alieno, ut tutorio, aut curatorio.

Cum autem per *Procuratorem* litigatur, nihilominus jure civili dominus litis jurare debet, non procurator, & cum *Vniverſitas* per Syndicum litigat, ipſa

ipsa Universitas, aut saltem major sive præcipua pars, jurare debet, non Syndicus. Sed jure Pontificio, etiam Procuratores, & similes personæ, ut Syndici, jubentur jurare de calumnia. Item hæ personæ jurare possunt pro domino litis, in animam ejus, ex speciali mandato.

Juratur de calumnia in omnibus judiciis, non solum civilibus, sed & criminalibus, ac spiritualibus, & præstatur, in primordio litis, id est statim post litem contestatam. Quod si tunc quovis casu prætermissum fuerit, postea quandocunq; in eodem judicio jurari potest. Nempe, de jure civili, si hoc jusjurandum prætermittatur, judicium fit inane & nullum; de jure autem Canonico, potest tacite remitti, non expresse.

Actor, de calumnia jurare nolens, causa cadit; *Reus* jurare recusans, habetur pro confesso.

CODICIS
LIBER III.
Titulus 1.
De Judiciis.

VIdendus libri 5. Digestorum titulus 1. *De Judiciis, &, ubi quisq; agere, vel conveniri debeat.*

Titulus 2.
De Sportulis, & sumptibus in diversis Judiciis faciendis, & de Executoribus litium.

S*Portulæ* a sportis, i. e. calathis e vimine contextis, nomen habent, in his vero tam stipes, quæ primo mane

mane ſalutandi gratia convenientibus diſtribuebantur, quam cœnæ & convivia, ejus officii nomine præſtari ſolita, reponebantur. Translata appellatio inde ad ipſas ſtipes & obſonia, & tandem ad Salaria, quæ officii nomine præſtabantur, & ad ſtipendia Sacerdotum, aliasq; erogationes.

Principales judicii perſonæ ſunt, Judex & Litigatores, atque his aliæ perſonæ tanquam adjutrices aſſiſtunt, uti Judici Apparitores, Viatores, & Executores. *Executores* ſunt, qui judicata exigunt. *Viatores & Nuncii* Senatus miniſtri ſunt, per quos ex agris vel oppidis homines in Curiam vocantur. Poſtea juſſi ſunt non vocare, ſed apprehendere, & in carcerem trahere. *Apparitores* ſunt, qui Magiſtratus imperio præſto ſunt, & perpetuo in jure dicundo apparent, ex collegio Executorum ſumti, ad exequenda Judicum mandata.

Ne officium ſuum alicui ſit damnoſum, Sportulæ Judicibus, Viatoribus, & Executoribus, aliisque miniſtris debentur a litigantibus, vel ex Conventione, vel ex Extraordinario judicis officio, excepto Fiſco, qui gratis litigat. *Modum Sportularum* Executoribus præſtandarum, Juſtinianus definivit, atq; id quidem ſecundum modum petitæ quantitatis, id eſt, ut in centenos aureos dimidiatus, & conſequenter in ducentos aureos, unus, & in millenos, aurei ſex ſolverentur.

Judicibus Ordinariis nihil Salarii nomine dabatur, ob prærogativam dignitatis. *Judicibus vero Pedaneis & delegatis*, præter duas libras auri, quas annuatim e publico percipiunt, a Partibus dantur, lite conteſtata, aurei duo, &, ea finita, alii duo, ſportularum nomine: dummodo cauſa centum aureos excedat; alioqui nihil iis præſtatur.

Hodie

Hodie, moribus & ſtatutis Civitatum, Judices omnes, præter ſalarium, quod de publico accipiunt, ſportulas, pro negotii qualitate, a litigantibus exigunt, imo pro arbitrio definiunt, niſi agatur de modico, vel cauſa miſerorum.

Titulus 3.
De Pedaneis Judicibus.

JVdices Pedanei, Græcis Χαμαιδικασταὶ, quia tribunal non habent, ut Magiſtratus, ſed tantum de plano judicant, ſic dicti, unice judicandi facultatem habebant, ſententiam vero exequi non poterant; ſed eam exequebatur, a quo judices dati erant.

Judex Pedaneus cognoſcebat tantum de levioribus, id eſt, usque ad quingentos aureos, ſive apud ſe motæ ſint lites, ſive motæ apud Magiſtratum, & ſibi ab eo delegatæ.

Judex Pedaneus non judicabat pro tribunali, ſed in ſuppedaneis & minoribus ſubſelliis, ac, teſtimonio Novellæ 82. ſedebat, a matutino ad occaſum ſolis, in porticu regia, cognoſcens de cauſis humilioribus.

Titulus 4.
Qui pro ſua Jurisdictione Judices dare darive poſſunt.

I*N Vrbe ii dare Judices poſſunt*, qui Jurisdictionem habent; in *Provinciis* autem ii, quibus hoc ſpecialiter Lege, aut SC. aut Conſtitutione Principis conceſſum eſt; quia Judicis datio eſt pars jurisdictionis urbanæ, non provincialis.

Dari Judices poſſunt, qui non prohibentur; e quorum numero ſunt dati ab eo, qui jurisdictionem non habet, & dati in propria cauſa.

Titulus 5.

Ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat.

NEmo *poteſt eſſe judex in ſua cauſa*; quia facilius eſt judicare de alienis, quam de ſuis, ſecundum Lactantium: &, ut Ariſtoteles *l.* 3. *Pol. c.* 6. ait, plerique ſunt pravi judices de rebus ſuis. Nempe, aliena melius videmus; propria, aut gaudio, aut ægritudine præpediti, non ita acutùm cernimus.

Quod ſi nemo debet judicare in ſua cauſa, multò minus concedendum eſt, ut quis jus ſibi dicat. *Plus enim eſt jus dicere, quam judicare*; quippe jurisdictioni ineſt coërcitio, qua Judex pedaneus, & Arbiter datus receptusq; carent.

Titulus 6.

Qui legitimam perſonam ſtandi in judicio habeant, vel non.

NEmo *admittitur ad litigandum, niſi legitimam perſonam habeat ſtandi in judicio.* Quidam enim excluduntur *ratione Ætatis*, uti Infans, & Pupillus ſine Tutore, Adoleſcens ſine Curatore. Alii ratione *Status*, ut Servus. Ob *pœnam delicti*, Excommunicatis, Hæreticis, & Deportatis, agendi facultas denegatur.

Titulus 7.

Vt nemo invitus agere vel accuſare cogatur.

NEmo *invitus agere vel accuſare cogitur.* In Reum autem invitum judicium redditur; quanquam

quam regulariter non cogitur comparere, sed potest per procuratorem judicium subire.

Titulus 8.
De Ordine Judiciorum.

C*Um plures quæstiones simul concurrunt*, quarum una altera major, aut alteri præjudicium affert, *tenenda est Regula*, quod causa major ad se trahat minorem, & prius illa, quam hæc, terminetur: &, quod præjudicialis, illi, cui præjudicium facit, sit præmittenda. Sic, si causa Criminalis cum Civili concurrat, prius de illa cognoscendum, quia major graviorque. Dejecto per vim de possessione competit Actio de vi publica, & rei vindicatio. Quæ utraque si in judicio proponatur, prius judex cognoscet de vi, quia majus periculum in ejus dilatione propter fugam Rei, quam in suspensione proprietatis.

Generaliter hic Ordo in Judiciis servatur, ut, post præparatoria, lis contestetur; hoc enim est judicii seu litis principium: mox juretur de calumnia: deinde, ut actor suam intentionem, & tum reus suam exceptionem probet. Post hæc in causa concluditur, ac tandem sententia fertur. Sententiam vero provocatio vel executio sequi solet.

Titulus 9.
De Litis Contestatione.

O*Rdinantur judicia potissimum per litis contestationem*, quæ præcipua judicii pars est, ac velut fundamentum. Nam, ante contestationem, neq; litem esse, neque actorem petere, sed petere tantum velle dicimus. Inde vero dicta Contestatio, ut Festus innuit,

nuit, quod duo pluresve Adverſarii coram Prætore Teſtes advocarent, & ordinato ſolemniter judicio dicerent: *Teſtes eſtote.* Qui ritus teſtes advocandi, quanquam etiam ante Juſtinianum in uſu eſſe deſiit, manſit tamen nomen, & vis litis conteſtationis. *Ea nunc fit*, per petitionem Actoris in jure propoſitam, & rei contradictionem, vel reſponſionem.

Non quælibet Rei conventi reſponſio litis conteſtationem efficit, ſed, quæ certa eſt, non ambigua, neque conditionalis, quæve continet contradictionem ejus, quod petitur. Hinc fit, ut per *Rei confeſſionem* lis non conteſtetur, cum non habeat contradictionem; reus enim qui non negat ſe debere, ſed paratus eſt ſolvere, non ſubit judicium.

Non refert, num Partes per ſe, an per Advocatos, Procuratoresve ſuos, litem conteſtentur, dummodo eorum petitio reſponſiove a Cliente non revocetur.

In *Cauſis Appellationum*, de jure non requiritur litis conteſtatio; ſufficit enim, litem conteſtatam eſſe in prima inſtantia, adeo, ut, etiam altera parte abſente, neque contradicente, judicium in ſecunda inſtantia peragatur.

Titulus 10.

De Plus Petitionibus.

CVm litis conteſtatio, in petitione Actoris, contradictione Rei, & audientia Judicis conſiſtat, notandum *de Petitione Actoris*, aliquando contingere, ut is plus petat, quam ſibi debetur, idq; fieri poſſe quatuor modis: Re, Tempore, Loco, & Cauſa.

Qui plus tempore petiit, contra eum induciæ duplicantur: veluti, ſi uno menſe citius petiit, quam petere debuit, expectare cogitur duos menſes, & impenſas

penſas litis reo reſtituere. *Qui alio modo plus petiit*, omne damnum, quod reus ob id paſſus eſt, reſarcire in triplum tenetur. Hæ vero pœnæ iis irrogantur, qui ſcientes plus petunt: juſta vero ignorantia plus petentem excuſat. Item usque ad litem conteſtatam pœnitentiæ locus eſt. Quod ſi e contrario *Actor minus petierit*, & plus probaverit, in tantum Judex reum condemnabit, quantum probatum, non quantum petitum fuit; & hoc caſu eſt ſpeciale, ut ſententia non ſit omnino conformis libello & petitioni.

Titulus 11.
De Dilationibus.

VIdendus libri 2. Digeſtorum titulus 12. *De Feriis, & Dilationibus, & diverſis temporibus.*

Titulus 12.
De Feriis.

VIdendus titulus Digeſtorum jam modo allegatus.

Titulus 13.
De Jurisdictione omnium Judicum, & Foro competenti.

VIdendus libri 2. Digeſtorum titulus 1. *De Jurisdictione*: itemque libri 5. titulus 1. *De Judiciis, & ubi quisq; agere, vel conveniri debeat.*

Titulus 14.
Quando Imperator inter Pupillos, vel Viduas, vel alias miſerabiles perſonas cognoſcat, & ne exhibeantur.

JVdex competens etiam habetur, qui ex reſcripto Principis inter aliquos judicare debet. Hæc res ex-

exceptionem patitur in miserabilibus personis, quales sunt valetudinariæ, Pupilli, Viduæ, Debiles; & omnes, quæ ob fortunæ injuriam commiseratione dignæ sunt: atque his *duplex Privilegium* indultum est. 1. Ne quidem ex rescripto Principis coguntur extra provinciam comparere: quo pertinent illa inscriptionis verba: *Ne exhibeantur*. Ratio est, ne sumtibus & itineris periculis vexentur. 2. Non modo suum ordinarium Judicem possunt declinare, sed etiam ipsius Adversarii, evocando causam per supplicationem a Judice competente ad Principis tribunal; præsertim si ipsis res sit cum potentiore adversario, quem metuunt, & adversus quem facile jus suum coram inferioribus Judicibus obtinere nequeunt.

Titulus 15.

Vbi de Criminibus agi oporteat.

De *Crimine Publico aut Extraordinario agitur*, vel ubi admissum est, vel ubi crimen est inchoatum, (veluti ubi quis venenum emit, quod alibi propinavit) vel ubi delinquens habet domicilium, vel ubi is reperitur.

Titulus 16.

Vbi de Possessione agi oporteat.

De *Possessione agitur*, vel ubi res sita est, vel ubi quis vim passus est, & impeditus, quo minus ad prædium iret: imo & apud Judicem illius domicilii, qui vim fecit, agere licet.

Titulus 17.

Vbi Fideicommissum peti oporteat.

Legatum *aut Fideicommissum petitur*, ubi heres domicilium habet; vel ubi res est; vel ubi relicta est

est hereditas; vel ubi major pars hereditatis sita est; vel ubi Testator solvi jussit; vel ubi Heres solvere cœpit.

Titulus 18.

Vbi conveniatur, qui certo loco dare promisit.

QVI *promisit, se certo loco daturum*, ratione contractus non sortitur forum ubi contraxit, sed eo loco, in quem solutionem contulit. v. c. Si quis Romæ promittat, se soluturum Lutetiæ, non potest conveniri Romæ, nisi ibi domicilium habeat, sed Lutetiæ. Aut igitur Lutetiæ convenitur, id est, ubi solvere debet, aut alio idoneo loco, veluti ubi domicilium habet. Priori casu est actio stricti juris, quia simpliciter petitur, quod promissum fuit. Posteriori est arbitraria, in qua debet Actor, loci, quo solvi debuit, mentionem facere, ne plus loco petere videatur. Judex autem arbitratur, quanti alterius litigantis interest, solvi potius eo loco, de quo convenit, quam ibi, ubi petitum fuit; atque ita condemnationem auget, si actoris intersit; vel minuit, si intersit rei.

Titulus 19.

Vbi in Rem Actio exerceri debeat.

QVod dicitur, Reum in foro domicilii sui, aut in foro Contractus, vel Criminis conveniri debere, id de actione personali intelligendum. Nam *Actio realis*, licet in ipsum possessorem dirigatur, ob idq; in ejus domicilio intentari possit, quia tamen præcipue rem ipsam respicit, *in loco etiam, ubi ipsa res sita est, proponi potest*: tum quia res ibi exhibenda est; tum

tum quia faciliores ibi haberi possunt probationes. *Nec refert, immobilis, an mobilis res sit*, de qua contenditur, dum tamen eo loci, quo sita est, permansura sit, nec custodiæ tantum causa ibidem sit constituta.

Titulus 20.

Vbi de Hereditate agatur, vel ubi Heredes scripti in possessionem mitti postulare debent.

H*Ereditas petitur*, ubi Reus domicilium habet, vel ubi Res sitæ sunt, si ibi reus degat.

Heres ibi petit, ut in possessionem rerum hereditariarum mittatur, ubi res sitæ sunt. Hoc in omnibus heredibus locum habet, & generaliter in contextu traditur, licet specialiter *heredis scripti* in rubrica mentio fiat, quoniam agitur de herede in possessionem a Prætore mittendo: jure autem prætorio testamenta fiunt per scripturam a testibus obsignatam.

Titulus 21.

Vbi de Ratiociniis, tam publicis, quam privatis, agi oporteat.

I*Bi quispiam conveniendus est, ut rationes suæ administrationis reddat, ubi administravit.* Quamobrem, si Tutor, Curator, aut quivis alius administrator, extra locum domicilii administravit, non apud judicem domicilii, sed administrationis, conveniri debet. Nempe in loco administrationis instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima documenta possunt præstari, ad judicem instruendum.

Titu-

Titulus 22.

Vbi Causa Status agi debeat.

L*iberales Causæ*, quibus quis ex servitute in libertatem, vel ex libertate in servitutem, vel ex ingenuitate in libertatem, vel contra petitur, majores requirunt Judices, uti Consules, vel Proconsules, & Præsides: & Actor sequitur forum Rei, omni fori præscriptione cessante.

Titulus 23.

Vbi quis de Curiali, vel Cohortali, aliave conditione conveniatur.

C*Obortales* erant Apparitores Præsidis, qui in provinciis fuere perpetui, & huic uni obnoxii ministerio: sic dicti, quia iis Præsides & Magistratus majores, ut manu militari, cohorteq; prætoria, in exequendo uti solebant. *Curiales* vero, Decurionum ordini adscripti, munera obibant municipalia.

Curiales, Cohortales, vel alius conditionis homines, veluti, qui sunt ex corpore Pistorum, vel Naviculariorum, *si conditionis declinandæ causa fugerint*, ibi possunt conveniri, ubi repeiuntur, nec habent fori præscriptionem, nisi speciali privilegio muniti sint.

Pertinet huc Regula Baldi: Omnes homines, qui debent obedientiam perpetuam, si ab obedientia fugiunt, possunt propria autoritate capi, & convicti debent ad obedientiam reduci: unde, si Monachus fugit e monasterio, vel Vxor a viro, propria autoritate potest capi.

Titulus 24.

Vbi Senatores, vel Clarissimi, Civiliter, vel Criminaliter conveniantur.

SEnatores, & Viri Clarissimi, in Vrbe conveniendi sunt, apud Præfectum Prætorio, vel Præfectum Vrbi, vel, ex jussu Principis, apud Magistrum Officiorum. *In Provincia* vero, ubi domicilium habent, vel ubi majorem partem bonorum possident, & assidue versantur.

Illustres, qui non honorariam, sed cum administratione dignitatem habent, accusari non possunt, nisi apud Principem, vel Sacrum Cognitorem a Principe datum, ita tamen, ut Cognitor tantum cognoscat, & ad Principem referat, cui reservata ultio, & pœnæ remissio.

Titulus 25.

In quibus causis Militantes Fori præscriptione uti non possunt.

HAbent hoc privilegium a Principe concessum *Milites armatæ militiæ*, ut non cogantur, judicio civili aut criminali conventi, respondere coram alio judice, quam Magistro militum. Vnde capti a Præside ad proprium Judicem remitti debent, nisi renunciaverint suo privilegio, aut per desertionem se indignos eo præbuerint; aut, nisi tributorum, aut criminum enormium causa vertatur; quibus casibus data fuit Præsidibus judicandi adversus milites potestas.

Titu-

Titulus 26.

Vbi Causæ Fiscales, vel Divinæ Domus, Hominumq; ejus agantur.

C*Ausæ Fiscales Pecuniariæ* agitantur apud Procuratorem Cæsaris. De Causis autem *Divinæ domus, Hominumq; ejus*, id est pertinentibus ad privatum patrimonium Principis, cognoscit Comes rerum privatarum, vel Rationalis rei privatæ, qui erat sub dispositione Comitis rerum privatarum.

De *Criminibus harum Personarum* Judex ordinarius cognoscit, præsente Rationali, vel Procuratore rei privatæ.

Titulus 27.

Quando liceat unicuiq; sine Judice se vindicare, vel publicam devotionem.

NEmo potest regulariter sibi jus dicere, sed debet adire judicem competentem. *Quibusdam tamen licet se vindicare*, ut occidendo latronem, qui vias obsidet, aut noctu agros populatur. Licet & militiæ desertorem, seu transfugam occidere, maxime si armis resistat, quia *publicam devotionem*, seu fidem Reip. sacramento datam lædit, desertaq; militia violat.

Titulus 28.

De Inofficioso Testamento.

VIdendus libri 5. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 29.

De Inofficiosis Donationibus.

QVia metuentes inofficiosi Testamenti querelam, in ejus fraudem, bona sua inter vivos donabant, illius

illius querelæ exemplo introducta est *Querela inofficiosæ donationis.* Hæc in plerisque similis est querelæ inofficiosi testamenti: Nam ex eadem, aut saltem simili causa oritur; & datur tam Parenti, quam Liberis, dummodo non habeant aliud remedium, nec agnoverint judicium & voluntatem donantis, nec ex justa causa exheredationem sint promeriti, & intra quinquennium agatur. Quæ omnia etiam in querela inofficiosi sic obtinent.

Differentiæ duæ sunt: 1. Querela inofficiosi totum testamentum rescindit, jure Digestorum & Codicis, Jure autem novissimo tantum institutiones heredum rescindit, salvis legatis & fideicommissis. At inofficiosæ Donationis querela, tantum imminuit donationem, revocans quod immodice donatum est, i. e. detrahens de donatione, quod conquerenti debetur jure legitimæ, ita ut hoc ad patrimonium donatoris redeat. 2. Querela Inofficiosi non potest habere locum, nisi testamentum factum sit; querela autem inofficiosæ donationis etiam ab intestato locum habet.

Titulus 30.
De Inofficiosis Dotibus.

INter Donationes connumeratur etiam *Dos;* quanquam non est mera & simplex donatio, sed ob caussam, nimirum propter onera matrimonii, & hac ratione titulus dotis fit onerosus. Quapropter, ut Inofficiosæ Donationis, ita & inofficiosæ Dotis querela, ad exemplum querelæ inofficiosi testamenti, introducta est, quæ similiter, uti querela Inofficiosæ Donationis, non totam Dotem rescindit, sed partem detrahit, quæ, ratione legitimæ, Liberis jure naturæ debetur.

Titu-

Titulus 31.

De Petitione Hereditatis.

VIdendus libri 5. Digestorum titulus 3. *De Hereditatis Petitione.*

Titulus 32.

De Rei Vindicatione.

VIdendus libri 6. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 33.

De Vsufructu, & Habitatione, & ministerio Servorum.

VIdendus libri 7. Digestorum titulus 1. *De Vsufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur:* item titulus 8. *De Vsu & Habitatione:* ac titulus 7. *De Operis Servorum.*

Titulus 34.

De Servitutibus, & Aqua.

VIdendus libri 8. Digestorum titulus 1. *De Servitutibus:* cum sequentibus, ad finem usq; libri.

Multæ sunt servitutes de Aqua: partim Vrbanæ, ut stillicidium, flumen; partim Rusticæ, ut aquæductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, aquæ derivatio in fundum vicini.

Titulus 35.

De Lege Aquilia.

VIdendus libri 9. Digestorum titulus 2. *Ad Legem Aquiliam.*

Titulus 36.

Familiæ erciſcundæ.

VIdendus libri 10. Digeſtorum titulus 2. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 37.

Communi Dividundo.

VIdendus libri 10. Digeſtorum titulus 3. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 38.

Communia utriusq; Judicii, tam Familiæ erciſcundæ, quam communi dividundo.

VTrique judicio, tam familiæ erciſcundæ, quam Communi dividundo, *multa ſunt Communia:* Quia utrumque eſt ex quaſi contractu, utrumque mixtum, utrumque bonæ fidei, utrumque duplex, quia litigantium uterque eſt Actor, uterque Reus: is tamen potiſſimum videtur eſſe Actor, qui prior ad judicium provocavit, aut, ſi ambo ſimul provocent, ſorte diſcernitur Actor a Reo; utrumque Directum, & datur tantum vere dominis, quamdiu corpora manent communia. Plenius tamen eſt judicium familiæ erciſcundæ, in quo veniunt etiam ea, quæ nunquam fuerunt communia, quæve erant ex bonis, mortis tempore, veluti Res commodatæ, aut depoſitæ defuncto.

Titulus 39.

Finium Regundorum.

VIdendus libri 10. Digeſtorum titulus 1. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 40.

De Conſortibus ejusdem litis.

IN Judiciis Duplicibus ſæpe accidit, *ut ſint plures conſortes ejusdem litis*, quibus & inter ſe, & adverſus alios, litis communio eſt: veluti, ſi Cajus & Mævius, heredes Titii, judicio familiæ herciſcundæ congrediantur cum Sempronio coherede Titii, dicuntur conſortes ejusdem litis, & eundem adverſarium habere Sempronium.

De his conſortibus duo ſtatuuntur: 1. Vnus, ſine aliis, pro ſua parte agere & conveniri poteſt. 2. Poſt litem legitime ordinatam, i. e. præparatam, poteſt unus in ſolidum agere, dummodo caveat, alios rem ratam habituros; vel in ſolidum defendere, ſi caveat, judicatum ſolvi.

Titulus 41.

De Noxalibus Actionibus.

VIdendus libri 9. Digeſtorum titulus 4. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 42.

Ad Exhibendum.

VIdendus libri 10. Digeſtorum titulus 4. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 43.

De Aleatoribus, & Alearum luſu.

EX *Aleæ luſu* denegatur Actio victori, & denegatur actio de injuria, damno, furto; ei, apud quem luſum eſt. Datur autem Actio in eum, qui ludere coegit,

coëgit, & repetitio ejus, quod ex hac parte ſolutum eſt. Videndus inſuper libri 11. Digeſtorum titulus 5. *De Aleatoribus*.

Titulus 44.

De Religioſis, & Sumtibus Funerum.

VIdendus libri 11. Digeſtorum titulus 7. *De Religioſis, & Sumtibus Funerum, & ut Funus ducere liceat.*

CODICIS LIBER IV.

Titulus 1.

De Rebus Creditis, & Jurejurando.

EXpeditis Actionibus generatim, ac ſpeciatim Actionibus Realibus, & aliis, quæ iſtis aggregantur, Mixtis, conſequens eſt, ut de Actionibus Perſonalibus, quæ ex contractu vel quaſi contractu proficiſcuntur, quæque *Condictiones* appellantur, tractatio inſtituatur.

Hæc pars recte *De Rebus creditis* inſcribitur, quia nullus eſt in toto hoc libro locus, in quo non agatur de Actione, quæ quacunq; ex cauſa competit adverſus eum, cui in creditum quid dedimus, & cujus fidem ſecuti fuimus. Inde res creditæ dictæ, quæ ex hujusmodi fiduciaria conventione debentur; & dicitur Creditor, cui ex quacunque cauſa aliquid debetur.

De Actione ex Jurejurando adeundus libri 12. Digeſtorum titulus 2. *De jurejurando, ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali.*

Titu-

Titulus 2.

Si Certum petatur.

C*Erti Condictio ex mutuo*, etiam vocatur Actio si certum petatur, propterea quod ſemper certa res eſt, quæ mutuo datur, & ex cauſa mutui repetitur. Videndus inſuper libri 12. Digeſtorum titulus 1. *De rebus creditis, ſi certum petetur, & de condictione.*

Titulus 3.

De Suffragio.

OLim tam in Vrbe, quam in provinciis, quippiam dare vel accipere, Magiſtratuum conſequendorum cauſa, prohibitum erat Lege Julia de ambitu, & Lege Julia repetundarum; ſed dare Aulicis, favoris alicujus obtinendi cauſa, non erat prohibitum. Quia tamen dubitabatur, num ex ea datione vel promiſſione actio competeret, edita eſt conſtitutio a Theodoſio Imp. qua cautum, ut ſi quis a Principe aliquid impetraverit, interceſſione alicujus Aulici, & eo nomine aliquid promiſerit, ſi poſtea eum eludat, ad ſolutionem debiti coarctari poſſit, Condictione certi ex ſuffragio.

Suffragium, hoc loco, accipitur pro favore Principis, vel interceſſione apud Principem, honoris vel alius rei obtinendæ cauſa.

Titulus 4.

De prohibita Sequeſtratione pecuniæ.

S*Equeſtratio*, eſt rei controverſæ depoſitio apud Sequeſtrum, quæ a pluribus fit in ſolidum, ea lege, ut lite pendente cuſtodiatur, & finita, reſtituatur victori.

Pertinet hic titulus ad officium Judicis in condictione certi. Quidam petit pecuniam condictione certi ex

ex mutuo; inficiatur reus se eam pecuniam debere, & exigit probationes ab Actore, qui interim petit sequestrari eam pecuniam. Quæritur, num id permittere Judex debeat? Ac permittebatur quidem olim eo casu pecuniæ creditæ sequestratio, quo quæstio inter debitorem & creditorem oriebatur de falso chirographo. Sed id Impp. Honorius & Theodosius emendarunt, & generaliter pecuniæ creditæ sequestrationem, nec non Reo auferri possessionem rei quæ petitur, prohibuerunt, antequam probaverit Actor, quod intendit, & convictus sit Reus, propter Regulam juris: Actore non probante, reus absolvitur.

Titulus 5.

De Condictione Indebiti.

Videndus libri 12. Digestorum titulus 6. ejusdem inscriptionis.

Titulus 6.

De Condictione ob causam datorum.

Videndus libri 12. Digestorum titulus 4. *De Condictione causa data, causa non secuta.*

Titulus 7.

De Condictione ob turpem causam.

Videndus libri 12. Digestorum titulus 5. *De Condictione ob turpem vel injustam causam.*

Titulus 8.

De Condictione Furtiva.

Videndus libri 13. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titu-

Titulus 9.

De Condictione ex Lege, & sine causa, vel injusta causa.

VIdendus libri 13. Digestorum titulus 1. *De Condictione ex Lege:* item libri 12. titulus 7. *De Condictione sine causa:* ac libri 12. titulus 5. *De Condictione ob turpem vel injustam causam.*

Titulus 10.

De Obligationibus & Actionibus.

VIdendus libri 44. Digestorum titulus 7. ejusdem inscriptionis.

Titulus 11.

Vt Actiones ab Heredibus, & contra Heredes incipiant.

Q*Væritur, an Actio possit incipere ab herede, vel contra heredem?* id est, An heres possit petere, quod defunctus petere non potuit? &, An ab herede possit peti, quod a defuncto non potuit? Olim id non licebat; sed hodie ex Justiniani constitutione id licet. Jus vetus ratione nititur, quia heres in universum jus defuncti succedit, & eadem persona esse censetur. Justinianus ad æquitatem respexit, ut sic valeant stipulationes: Post mortem meam dabis? Post mortem tuam dare spondes?

Titulus 12.

Ne Vxor pro Marito, vel Maritus pro Vxore, vel Mater pro Filio conveniatur.

CErti quidem juris est, ex aliena obligatione neminem conveniri posse, quia obligatio sequitur

personam, nec ab ea recedit. Sed, de quibusdam personis, propter arctissimam conjunctionem, dubitari nihilo secius poterat, uti de Vxore & Marito, de Servo & Domino, de Patre & Filio, de Liberto & Patrono; & ideo de his sequitur disquisitio. Primum quidem traditur, *nec Vxorem pro Marito, nec Maritum pro Vxore conveniri posse.* Hoc tamen interest, quod si Vxor nominatim se obligarit pro marito, vel cum marito, conveniri non possit, ob SC. Vellejani beneficium. At Maritus, si intercesserit, efficaciter obligari potest: nam Senatus-Consultum non vetat maritum obligari pro uxore, vel alio, pro quo intercessit; cum tamen alias Maritum pro Vxoris obligatione conveniri non posse constet.

Titulus 13.

Ne Filius pro Patre, vel Pater pro Filio emancipato, vel Libertus pro Patrono, vel Servus pro Domino conveniatur.

F*ilius non potest conveniri pro Patre, nec Pater potest conveniri pro filio emancipato.* At, pro filio, quem in potestate habet, convenitur pater Actione de peculio, &, de In rem verso, &, Quod jussu; quarum Actionum post filium emancipatum prima efficitur annalis, reliquae manent perpetuae.

Libertus non potest conveniri pro Patrono, & Servus non potest conveniri pro Domino. Intelligendum autem, non posse conveniri Servum, ne quidem post manumissionem; nam, quamdiu servus est, cum non habeat legitimam personam standi in Judicio, neq; pro se neq; pro alio conveniri potest. Ergo Regula debet

debet accipi de eo, qui Servus erat eo tempore, quo Dominus obligabatur, Libertus autem erat, cum judicio conveniebatur. Quod vero de Liberto dicitur, intelligendum de eo, qui utroq; tempore erat Libertus.

Titulus 14.

An Servus pro ſuo facto, poſt Manumiſſionem, teneatur?

QVemadmodum *Servus* poſt manumiſſionem non poteſt conveniri pro Domino, *ita etiam non conveniri poteſt pro eo, quod in ſervitute fecit*, id eſt contraxit, vel deliquit; eo excepto, quod ex delicto, in extraneum in ſervitute commiſſo, poteſt ab eo poſt libertatem conveniri: quoniam actio, quæ noxalis erat in dominum, efficitur directa in ipſum manumiſſum. Cæterum *ex Contractu* in ſervitute facto, neq; a Manumiſſore, niſi aliquid ei ob libertatem promiſerit, nec ab Extraneo; *ex Delicto*, nec a Manumiſſore conveniri poteſt.

Titulus 15.

Quando Fiſcus, vel Privatus, debitoris ſui debitores exigere poſſit.

NOn *poſſe ex unius obligatione conveniri alium*, adeo verum eſt, ut neq; propter æs alienum Pupilli, res Tutoris, qui nihil ex bonis ejus tenet, capi poſſint, quia nec Tutori, nec ulli, officium ſuum debet eſſe damnoſum. *An igitur debitorem debitoris mei convenire nulla ratione potero? Fiſcus* id hac in re peculiare habet, quod debitorem ſui debitoris recte convenit, modo probet, debitorem ſuum non eſſe ſolvendo: quo probato, non exſpectat condemnationem, diem, vel conditionem, ſed ſtatim agere poteſt:

;tem, modo is, qui convenitur, fateatur, se ejus, qui Fisco debet, esse debitorem.

Privatus Creditor, duobus tantum casibus, debitum suum a debitoris sui debitore exigere potest. 1. Si Debitorem suum convenit, isq; condemnatus, non habeat bona sufficientia ad exequendum sententiam; tunc enim in subsidium venitur ad nomina Debitorum ipsius, sive ad ea, quæ ipsi debentur. 2. Si Nomina in solutum data sint, poterit eo casu Creditor, vel Reali Actione nomine suo experiri, vel tanquam Procurator in rem suam, Actione directa, si ea mandata sit & cessa.

Titulus 16.
De Actionibus Hereditariis.

A*Ctionum Personalium aliæ ad heredes transferuntur, quæ hic vocantur Hereditariæ, aliæ non transferuntur.* Actiones quidem ex Contractu defuncti competunt heredi, & in heredem: ideoq; si quid debuerit ex suo Contractu Defunctus, id Creditores ab Herede exigere possunt, non autem a Legatariis; quia Legatarii sunt tantum successores singulares, & in re aliqua singulari, neq; defunctum repræsentant, sicut Heredes, quia hi soli in jus defuncti succedunt. Frustra proinde Creditores actionem personalem adversus Debitores hereditarios decerni sibi postulant; Hypothecaria tamen ipsis competit, eaq; experiri possunt contra Debitores.

Titulus 17.
Ex Delictis Defunctorum in quantum Heredes conveniantur.

E*X Delicto Defuncti Heres non tenetur*, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, aut ex eo delicto aliquid ad ipsum heredem pervenerit.

Titu-

Titulus 18.

De Constituta Pecunia.

VIdendus libri 13. Digestorum titulus 5. *De Pecunia constituta.*

Titulus 19.

De Probationibus.

VIdendus libri 22. Digestorum titulus 3. *De Probationibus & Præsumtionibus.*

Titulus 20.

De Testibus.

VIdendus libri 22. Digestorum titulus 5. ejusdem inscriptionis.

Titulus 21.

De Fide Instrumentorum, & amissione eorum, & de Apochis & Antapochis faciendis, & de his, quæ sine scriptura fieri possunt.

HOc *loco quatuor de Instrumentis considerantur.* 1. Eorum fides, i. e. probatio, quæ per instrumenta fit. 2. Eorum Amissio; atq; de his dictum *lib. 22. Digestorum tit. 4. de fide instrum.* 3. Considerantur duæ instrumentorum species, Apocha, & Antapocha. *Privata Apocha seu Securitas* est, qua fatetur creditor sibi solutum. *Antapocha* est, qua debitor fatetur se solvisse. Potest tamen etiam esse Apocha seu Securitas publica. 4. Considerantur, quæ sine scriptura fieri possunt. *Regulariter scriptura non est necessaria*, quia non pertinet ad rei essentiam, sed ad probationem. Itaq; sine scriptura fieri,

e. g. possunt & valent, Pactum, Transactio, Venditio, Hypotheca. *Excipe* ab hac Regula 1. nisi lex scripturam requirat, uti in Testamento solemni. 2. Nisi inter contrahentes convenerit, ut contractus in scriptis celebretur.

Titulus 22.

Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur.

QVod dicitur *Instrumentum publicum plenam fidem facere*, ita capiendum est, nisi appareat aliud scriptum esse in Testamento, aliud actum inter contrahentes; quia tunc rei gestæ veritas omni scripto prævalet.

Contingit, aliud scriptum esse quam actum, duobus modis: Vno, cum intercedit error alterius contrahentium; alterius dolus; ut, si cum ego vellem tibi locare domum, tu curasti adscribi in testamento, me eam vendidisse; hoc autem mihi non nocet, licet per errorem instrumento postea mihi oblato subscripserim, eo non relecto. *Secundo*, aliud agitur, aliud scribitur in testamento, cum ex voluntate contrahentium, dolo malo, pro uno contractu alius exprimitur: veluti si mutuum detur filiofamilias in fraudem SCti Macedoniani, & conficiatur instrumentum quasi venditionis. Aut, si emat, qui emere prohibetur, & instrumentum ita conficiatur, quasi alius emerit.

Titulus 23.

De Commodato.

VIdendus libri 13. Digestorum titulus 6. *Commodati, vel contra.*

Titu-

Titulus 24.

De Pigneratitia Actione.

VIdendus libri 13. Digestorum titulus 7. *De Pigneratitia Actione, vel contra.*

Titulus 25.

De Exercitatoria, & Institoria Actione.

VIdendus libri 14. Digestorum titulus 1. *De Exercitatoria Actione*: & titulus 3. *De Institoria Actione.*

Titulus 26.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur, vel de Peculio, sive Quod jussu, aut de in Rem verso.

VIdendus libri 13. Digestorum titulus 5. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium esse dicetur*: item libri 15. titulus 1. *De Peculio*: nec non ejusdem libri titulus 4. *Quod jussu*: ac titulus 3. *De in rem verso.*

Titulus 27.

Per quas Personas nobis acquiratur.

A*Cquirimus* 1. per nosmetipsos: 2. per Filios vel Servos, quos in potestate habemus: 3. per Homines liberos, aut Servos alienos, quos bona fide possidemus: 4. per Servos, in quibus usumfructum vel usum habemus: 5. per Procuratorem: 6. per Negotiorum gestorem: 7. per Tabellionem: 8. per Tutorem vel Curatorem: 9. per Actorem sive Syndicum acquiritur Universitati.

Titulus 28.

Ad Senatusconſultum Macedonianum.

VIdendus libri 14. Digeſtorum titulus 6. *de SCto Macedoniano.*

Titulus 29.

Ad Senatusconſultum Vellejanum.

VIdendus libri 16. Digeſtorum titulus 1. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 30.

De non numerata pecunia.

P*Ecuniæ* verbum late accipiendum, ut non ſolum ea complectatur, quæ numero, pondere, vel menſura conſtant, ſed etiam corpora.

Exceptio pecuniæ non numeratæ, opponitur tam Debitori dicenti ſe ſolviſſe quod debebat, quam Creditori, aſſerenti ſe pecuniam dediſſe, etiamſi intervenerit ſcriptura, vel ſtipulatio.

Ejus Effectus eſt, ut ſcriptura vel ſtipulatio ad probandam numerationem ſeu donationem, non ſufficiat, ſed opus ſit, ut aliis legitimis probationibus confirmetur, dummodo intra biennium, vel ipſa exceptio, vel ſaltem querela non numeratæ pecuniæ proponatur.

Titulus 31.

De Compenſationibus.

VIdendus libri 16. Digeſtorum titulus 2. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 32.

De Vſuris.

VIdendus libri 22. Digeſtorum titulus 1. *De Vſuris, & Fructibus, & Cauſis, & omnibus Acceſſionibus, & Mora.*

Titulus 33.

De Nautico Fœnore.

VIdendus libri 22. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 34.

Depositi, vel contra.

VIdendus libri 16. Digestorum titulus 3. ejusdem inscriptionis.

Titulus 35.

Mandati, vel contra.

VIdendus libri 17. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 36.

Si Servus Extero se emi mandaverit.

M*Andati Actio non datur, cum Servus extero mandavit, ut se emeret:* quia mandatum non valet, cum malo more actum sit, ut servus domino se auferret; venditione tamen secuta, dominus potest Actione ex vendito petere pretium, vel mandati Actione petere, ut servus, nisi sit jam ab emtore manumissus, sibi reddatur, quasi hæc Actio mandati sibi per servum quæsita sit; sed utraq; Actione uti non potest, quia sunt contrariæ. Quod si ita mandatum fuerit, ut servus emeretur & venderetur, secuta venditione, dominus non solum actione ex vendito pretium consequetur, sed etiam, si ejus propter affectionem intersit, puta, quia filium suum naturalem vendidit, mandati contra emtorem aget, ut eum manumittat.

Titulus 37.

Pro Socio.

VIdendus libri 17. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 38.

De Contrahenda Emtione.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 1. *De contrahenda Emtione, & de Pactis inter Emtorem compositis, & quæ res venire non possunt.*

Titulus 39.

De Hereditate, vel Actione vendita.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 4. ejusdem inscriptionis.

Titulus 40.

Quæ res venire non possunt, &, qui vendere vel emere vetantur.

REs, quæ in commercio sunt, præbent materiam Emtioni & Venditioni: *quarundam tamen venditio est prohibita*, uti Purpuræ, privatis; Serici, barbaris; quibus similiter frumentum & salem vendere non licet. Frumentum destinatum Exercitui vendens, vel emens, si honestus sit, proscriptionis & bonorum amissionis pœnam subit; si vilis, capitali supplicio afficitur.

Titulus 41.

Quæ Res exportari non debeant.

AD Barbaros & Hostes, id est extra limites Romani Imperii, *Oleum*, *Vinum*, aliaq; similia exportandi, prohibita est licentia, ne talium dulcedine illecti

lecti barbari, invadant fines Romanos. *Arma* quoq;, & quæ eo spectant, iis vendere non licet, ne armis instructi, validiores reddantur. Pœna, est amissio bonorum, cum ultimo supplicio.

Titulus 42.
De Eunuchis.

Divus *Hadrianus* constituit, *ne Spadones fierent*; eos autem, qui hujus criminis arguerentur, Corneliæ legis pœna teneri, & eorum bona fisco addicere jussit. Constantinus Imp. insuper voluit, ut mancipium, & locus, in quo domino sciente facinus admissum fuit, fisco applicarentur. *Leo Imp.* in ditione quidem Romani Imperii vetuit Eunuchos fieri, & ibi factos vendi, pœna gravissima statuta tam adversus eos, qui hoc perpetrare ausi fuerint, quam adversus tabellionem, qui hujusmodi emtionis instrumentum conscripserit, & adversus publicanum, qui vectigal ex causa eunuchi facti acceperit: barbaræ autem gentis eunuchos, extra loca Imperio subjecta exsectos, ubiq; permisit distrahi, cum factum emendari non possit.

Titulus 43.
De Patribus, qui Filios distraxerunt.

Liberi hominis cum non sit æstimatio, ideo nec potest ejus esse venditio, quod etiam in *propriis Liberis* obtinet: quos quidem vendi permiserat lex 12. tabb. postea tamen denegatum patri eos distrahere, aut pignori dare, excepta tamen causa egestatis, quæ dat patri licentiam vendendi *sanguinolentos*, id est recens natos. Non præjudicat tamen hæc venditio ingenuitati venditi, quam oblato pretio ab ipso

Ven-

vendito, vel ab ejus patre, vel alio quocunque, repetit. Imo Pater cogi posse videtur, si ad pinguiorem fortunam devenerit, redimere venditum, ob cessantem causam.

Titulus 44.

De Rescindenda Venditione.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 5. *De Rescindenda Venditione, & quando licet a Venditione discedere.*

Titulus 45.

Quando liceat ab Emtione discedere.

VIdendus titulus Digestorum jam modo allegatus.

Titulus 46.

Si propter publicas Pensitationes venditio fuerit celebrata.

INter justas Rescindendæ Venditionis causas numeranda, si *bona ejus, qui publicas pensitationes*, id est, publica tributa debebat, *sub hasta fraudulenter sint distracta vili pretio:* nam, oblato eo, quod fisco debetur, venditio rescinditur: aliàs, venditio, ut fisco satisfiat, recte facta, non rescinditur.

Titulus 47.

Sine Censu, vel reliquis, Fundum comparari non posse.

F*Vndus, censui aut alteri pensioni publice obnoxius*, emi non potest sine onere illius pensitationis, adeo quidem, ut quilibet possessor, non solum ad pensiones ejus temporis quo possedit, sed etiam ad reliqua teneatur,

neatur, h. e. ad ea, quæ priores possessores insoluta reliquerunt. Tributa enim semper a possidentibus exiguntur, quia sunt realia, & fundum, tanquam umbra corpus, sequuntur. Nec valet pactum in contrarium, id est, ut hoc onus maneat penes venditorem.

Titulus 48.

De Periculo & Commodo Rei Venditæ.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 6. ejusdem inscriptionis.

Titulus 49.

De Actionibus Emti & Venditi.

VIdendus libri 19. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 50.

Si quis Alteri, vel sibi sub Alterius nomine, vel aliena pecunia emerit.

TRibus casibus quæritur, *An, vel Cui detur Actio Emti?* 1. Si quis alteri emerit. 2. Si sibi emerit sua pecunia, sed alterius nomine. 3. Si sibi emerit, pecunia aliena.

Primo casu Emtor nec sibi actionem acquisivit, quia noluit; nec alteri, quia non potuit; alteri enim emimus inutiliter: unde per procuratorem qui potestati nostræ subjectus non est, actio emti acquiri non potest; sed, si quis nostro nomine emerit, vel vendiderit, ipse Actionem instituere debet, vel Actionem sibi quæsitam nobis mandare, & cedere.

Secundo casu, si emerit quis sibi, sua pecunia, sub nomine alterius, acquirit sibi tam Actionem emti, quam dominium proprietatis, vel possessionis, non ei, cujus nomi-

nomine emit, licet instrumento emtionis, nomen alterius sit adjectum; nam, res gesta potior quam scriptura habetur, nec simulatio præsumitur, nisi probetur.

Tertio casu, si emerit quis sibi aliena pecunia, tam actionem emti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, sibi acquirit, adeo, ut, si unus frater ex communi pecunia sibi fundum emerit, eum communicare cum altero non teneatur, nisi omnium bonorum inter eos contracta sit societas.

Titulus 51.

De Rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca.

S*Ine Consensu nostro aut Ratihabitione*, venditio rerum nostrarum, per alium facta, non impedit, quin rem venditam ac traditam vindicare a quocunq; possessore possimus.

Si quis rem certam alienare sit prohibitus, sive a lege, judice, testamento, conventione, aut pacto, is ex Justiniani constitutione censetur prohibitus, non solum vendere, sed & quolibet onere hypothecæ, vel pignoris, emphyteuseos, ususfructus, aut alterius servitutis impositione eam gravare. *Alienationis* igitur nomine venit omnis actus, quo rei dominium, partisve ejus transfertur, etiam in usumfructum concessio, si ad vitam ejus, cui conceditur, constituatur.

Titulus 52.

De Communium Rerum alienatione.

QVemadmodum res aliena alienari prohibetur; quia nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse

ipse habet, ita etiam *Res Communis in præjudicium socii alienari prohibetur.* Vendita igitur re, quam quis habet cum alio communem, competit Socio ad partis suæ recuperationem vindicatio, nisi, præfinito legibus tempore, usucapta vel præscripta sit. Potest tamen partem suam, quam habet pro indiviso, etiam invito Socio, alteri extraneo vendere.

Fiscus tamen hoc privilegium habet, ut non solum rem suam, sed etiam partis suæ rem totam alienare possit: interim ejus partis pretium duntaxat consequitur, residuo dominis partium cæterarum reservato.

Titulus 53.

Rem alienam gerentibus, non interdici rerum suarum alienatione.

D*Ominus rem suam alienare potest*, licet sit obnoxius reddendis rationibus, ob rem alienam gestam, ut Tutor; quia rem alienat cum sua causa, id est, salvo jure pignoris, quod pupillus vel alius habet in ejus rebus, qui administravit.

Titulus 54.

De Pactis inter Emtorem & Venditorem compositis.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 1. *De contrahenda Emtione, & de Pactis inter Emtorem & Venditorem compositis, & quæ res venire non possunt.*

Titulus 55.

Si Servus exportandus veneat.

VIdendus libri 18. Digestorum titulus 7. *De Servis exportandis, &, si ita Mancipium venierit, ut manumittatur vel contra.*

Titulus 56.

Si Mancipium ita veneat, ne prostituatur.

V*Alet pactum in Emtione & Venditione, ne Ancilla prostituatur*, proinde, si contra pactum Ancilla ab emtore prostituatur, confestim libera fit, vel venditori in eam est manus injectio: quam tamen si forte remittat, ipso jure libera fit, sine patrono.

Titulus 57.

Si Mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur, vel contra.

V*Alet pactum, si Mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur.* Atq; huic pacto usq; adeo favebant Legumlatores, ut voluerint, Mancipium, si tempore convento non manumitteretur, statim ipso jure liberum fieri, ac ingenuos videri, qui ex eo procreati essent ante manumissionem, intra tempus moræ.

Contra, si pactum venditioni sit adjectum, ne mancipium ad libertatem perducatur, valet, impeditq; manumissionem ipso jure. Nec enim conditio, personæ servi cohærens, immmutari potest facto ejus, qui illum comparavit. Et sustinetur hoc pactum fortasse, ne delictum servi maneat impunitum, &, ut servi magis obsequentes sint dominis suis.

Titulus 58.

De Ædilitiis Actionibus.

VIdendus libri 21. Digestorum titulus 1. *De Ædilitio Edicto, & Redhibitione, & quanto minoris.*

Titu-

Titulus 59.

De Monopoliis, & Conventu Negotiatorum illicito, vel artificio Ergolaborum, nec non Balneatorum prohibitis, illicitisq; pactionibus.

NEgotiatio latius patet, quam Mercatura. Nam, *Mercator* tantum emendi & vendendi negotiationem exercet; *Negotiator* autem dicitur, qui negotiationem quamcunq; exercet, ut emendi, vendendi, locandi, conducendi &c.

Duo hic Negotiatoribus interdicuntur: 1. *Monopolium*, id est jus seu privilegium, quo fit, ut unus, certiq; homines, soli possint definitas merces vendere. Quia enim hoc publicæ utilitati adversatur, idcirco ne quidem rescripto Principis concessum valet. 2. Mercatorum inter se conventio, ne merces viliori pretio vendant, quam communi ipsorum consensu statutum sit, non valet.

Est quoq; illicitum pactum, quod Architecti, operarum redemtores, qui opus conducunt faciendum, & pacta ineunt, ne opus, alteri injunctum, alter intercipiat, aut, ab alio inchoatum, alter absolvat, contrahere solent: quippe inducit rerum caritatem, & Reipublicæ detrimentum affert.

Titulus 60.

De Nundinis & Mercationibus.

DVo complectitur hujus tituli constitutio. 1. Jus Nundinarum obtinendum esse a Principe. 2. Vt Mercatores, qui sese ad Nundinas negotiandi causa conferunt, nec conveniant, nec conveniantur, pri-

CODICIS
LIBER V.
Titulus I.
De Sponſalibus, & Arrhis ſponſalitiis, & proxeneticis.

VIdendus libri 23. Digeſtorum titulus 1, *De Sponſalibus.*

Jure Civili alterutri deſponſatorum, vel Patri, qui in poteſtate habet, licet ſponſalibus renunciare. Non tamen hodie ex præſcripto Canonum impune. Quin etiam jure civili, contractis ſponſalibus, ſi quis quæve major 25. annis, ſine juſta cauſa, nolit nuptias exequi, arrhas acceptas reddit in duplum, id eſt, alterum tantum reſtituit, minor vero ſimplum; &, ſi, qui dedit, non contrahat, arrhas amittit, manentq; apud eum, cui dedit. Pater quoq;, qui nuncium mittit, & impedit, quo minus ſubſequantur nuptiæ, duplicatas arrhas præſtat. Quæ ita obtinent, ſi non propter perſonam, vel conditionem, vel aliam juſtam cauſam matrimonium impediatur, quia, quod lege jubente impeditur & dirimitur, pœnam non meretur. Idem dicendum, ſi abſq; culpa alterius ſponſalia diſſolvantur; puta morte, niſi mora alterius præceſſerit, aut, ſi poſt datas arrhas alterutrius ſterilitas, converſatio turpis, religionis vel ſectæ diverſitas, aut impudicitia appareat. Non enim committit perfidiam, qui mutat conſilium, mutato ſtatu perſonæ, quam ſperabat habere integram, non vitiatam.

Proxenetica, ſunt præmia eorum, per quos ſponſalia vel nuptiæ conciliatæ ſunt, quibus modum præſcribit Juſtinianus conſtitutione, quæ in Baſi'icis integra ſuper-

superest. Ea huc evadit, ut, si stipulatio intervenerit, non ultra vicesimam partem dotis, vel donationis propter nuptias, Proxeneta sibi cavere possit, ita tamen, ut, si vicesima excedat decem libras auri, decem tantum libras sibi caveat, minus autem si volet accipere, liberum ei sit. Proinde, si fuerit dos 200. librarum auri, decem; similiter, si 300. æque 10. non 15. præmii loco sibi cavebit. Atq; hanc quantitatem recte Proxeneta sibi dari petet, actione mota. At, si plus acceperit, id cogitur restituere, condictione indebiti, quæ heredi, & contra heredem competit; & insuper luit pœnam 10. librarum auri.

Titulus 2.

Si Rector Provinciæ, vel ad eum pertinentes, Sponsalitia dederint.

QVod dictum superiore tit. de Arrhis amittendis, aut in duplum reddendis, si per recipientem stet, quo minus nuptiæ sequantur, *non obtinet in Provinciali, quam Præses provinciæ sibi desponsavit*; quod potuit, licet in uxorem ducere prohibeatur. Nam liberum est Sponsæ, etiam post administrationem depositam, nuptias recusare, arrhis tantummodo redditis sponso, quas accepit: *l. 38. ff. de ritu nupt.* Contra tamen Gratianus & Theodosius *in l. un. h. t.* declarant, sponsam invitam ne quidem teneri restituere arrhas. Hæc ita conciliat Cujacius *lib. 4. Obs. c. 22.* ut dicat, *legem 38. ff. de ritu nupt.* loqui tantum de *Officiali* aliquo, qui sibi desponsavit provincialem, & qui Præside inferior est, ut non videatur respectu ejus prohibitio tam gravis.

Titulus 3.

De Donationibus ante Nuptias, vel propter Nuptias, & Sponſalitiis.

NOn ſolum Sponſalia; id eſt repromiſſio nuptiarum futurarum, præcedunt nuptias, ſed etiam *Donatio Sponſalitia.* Hæc, dividitur in duo genera: aut enim fit nuptiarum & dotis contemplatione; aut tantum nuptiarum. Illa, vocabatur olim *Donatio ante nuptias*; quia ſolum ante nuptias conſtitui poterat. Sed, ex Juſtini conſtitutione, poteſt ſtantibus nuptiis augeri, *l. penult.* &, ex conſtitutione Juſtiniani, etiam in totum conſtitui, atq; idcirco vocatur potius *propter nuptias*, quam ante nuptias.

Donatio propter nuptias, eſt civilis contractus; quo ex parte mariti in mulierem aliqua conferuntur, contemplatione dotis, tanquam antipherna. Quocirca doti eſt omnino exæquata: &, uti maritus non poteſt alienare prædium dotale, ita nec propter nuptias donatum.

Alterum Donationum nuptiarum genus appellatur *Munus Sponſalitium*, & eſt Munus, quod in ſponſam ex parte ſponſi, (ut ab ipſo ſponſo, vel patre, matreve ejus) vel contra in ſponſum ex parte ſponſæ, ſolius matrimonii contemplatione, confertur.

Titulus 4.

De Nuptiis.

VIdendus libri 23. Digeſtorum titulus 2. *De Ritu Nuptiarum.*

Titulus 5.

De Inceſtis & inutilibus Nuptiis.

I*Llicitæ Nuptiæ* improprie vocantur nuptiæ, & ita, uti homo pictus, vel mortuus, dicitur homo.

Hæ

Hæ dividuntur in Inceſtas ſeu Nefarias, & Inutiles. *Inceſtæ* ſeu *Nefariæ* ſunt, quæ contrahuntur inter Cognatos vel Affines, inter quos ſunt jure prohibitæ. Subdividuntur in *Inceſtas jure gentium*, videlicet inter patrem & liberos; & *Inceſtas jure civili*, nimirum inter alios Cognatos vel Affines. *Inutiles* ſunt, quæ alia quapiam ratione prohibentur, quarum exempla ſequentes tituli exhibent.

Titulus 6.

De interdicto Matrimonio inter Pupillam & Tutorem ſeu Curatorem, Filiosq; eorum.

ILlicitæ ſunt nuptiæ, quas Tutor, Curator, & eorum Liberi contrahunt, cum pupillo, vel adulta, quæ annum 25. non exceſſit, antequam rationes redditæ fuerint, & quadriennium effluxerit, intra quod rationes redditæ retractari per in integrum reſtitutionem poſſunt.

Cauſæ probibitionis ſunt: 1. quia plerunq; Tutores vel Curatores hujusmodi conjunctione fraudem, adminiſtrationi factam, tegere laborant. 2. Ob poteſtatem, quam Tutor habet in Pupillam, per quam facile eſt ejusmodi nuptias conciliare.

Purgatur hæc fraudis & concuſſionis ſuſpicio, ſi Pupilla, vel Adulta, Tutori ejusve Filio, a patre fuit deſponſata, vel deſtinata teſtamento, aut Reſcriptum Principis fuerit impetratum. Tutor vel Curator, qui illicite ſibi, aut filio, Pupillam in matrimonium collocavit; quin & Filius, qui matrimonium contraxit, infamia notantur, & extra ordinem coërcentur.

Cum fraudis præſumtio ceſſat, puta, ſi a tutore rationes ſint redditæ, & Pupilla ad legitimam ætatem

pervenerit, & concessum restitutioni quadriennium effluxerit, Nuptiæ sic contractæ non reprobantur, sicut nec illæ, quæ antequam tutelæ munus imponeretur, contractæ fuerunt. Mater etiam cum tutore Filiæ suæ, vel Filio tutoris, nuptias contrahere non prohibetur: nec prohibetur Tutor vel Curator filiam suam nuptui pupillo locare.

Titulus 7.

Si quacunq; præditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum jurisdictioni suæ adspirare tentaverint Nuptias.

I*Llicitæ quoq; sunt nuptiæ, inter eum, qui officium administrat in Provincia*, ut Præsidem, aut Præfectum, & ipsos Milites, aut etiam eorum Comites, Domesticos, Filios, Nepotes, Propinquos, *& inter fœminam provincialem*; idq; propter metum, quo præsumuntur initæ, adeo, ut etiam puniatur conatus, licet non sit secutus effectus, mulcta 10. librarum auri, & amissione officii. *Sponsalia* tamen inter Præsidem, & provincialem fœminam, non sunt prohibita, quia ab his facilius, quam a matrimonio, recedere licet.

Titulus 8.

Si Nuptiæ ex præscripto petantur.

DE prohibitis nuptiis generaliter quæritur, *An ex rescripto, seu permissu Principis, contrahi licite possint?* Sciendum igitur, incestas hac ratione non sustineri: eas vero, quæ ob civilem tantum prohibitionem sunt inutiles, ut inter Senatorem & Libertinam, ex rescripto peti posse, ut justæ fiant.

Titu-

Titulus 9.

De Secundis Nuptiis.

INter licitas & illicitas nuptias, medium quodammodo locum tenent *Secundæ nuptiæ*, quæ tolerantur ob humanam fragilitatem, non tamen probantur, imo quibusdam pœnis coërcentur.

Secundarum Nuptiarum appellatione intelliguntur etiam tertiæ, quartæ, & ulteriores: atque viduo nullum tempus præscriptum est, ad contrahendas secundas nuptias.

Mulieri licet regulariter post annum luctus secundò nubere, prius non licet, propter confusionem sanguinis, & turbationem seminis. Quod si intra hoc tempus nupserit, variæ pœnæ irrogantur: 1. Tam ipsa mulier notatur infamia, quam pater, qui eam nuptui collocavit, nec non qui sciens eam duxit, nisi jussu parentis, in cujus potestate ipse erat, eam duxerit, quo casu ipse parens notatur. 2. Hæc mulier non potest secundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem dare, aut in testamento relinquere. 3. Donata vel relicta sibi a priore marito amittit. 4. Hereditates ab intestato ultra tertium gradum vindicare non potest. Hæ pœnæ cessant, si mulier permissu Principis nupserit.

Interdum mulier ante quinquennium non potest transire ad secundas nuptias, uti 1. si ejus culpa divortium factum sit; vel, quia juste maritus ei libellum repudii misit: vel, quia sine justa causa divertit; tunc enim intra quinquennium nubens fit infamis, & secundæ nuptiæ non valent. 2. Si incertum sit, an maritus, qui ab hostibus captus est, vivat nec ne.

Sunt quædam pœnæ secundarum nuptiarum, quarum *una est propria mulieris*, ut scilicet prioris viri digni-

dignitate non fruatur: *duæ sunt communes* tam viris quam mulieribus, tempore non permisso secundas nuptias contrahentibus: nam 1. eorum, quæ a priore conjuge accepit, vel a liberis prioris matrimonii pervenerunt, dominium amittit, solo usufructu retento, si liberi extent prioris matrimonii, ad eos enim dominium transit. 2. Non potest posteriori conjugi plus dotis, vel donationis propter nuptias, vel alio quovis titulo dare, aut in voluntate ultima relinquere, quam cuilibet ex liberis prioris matrimonii.

Titulus 10.

Si Secundo nupserit Mulier, cui Maritus Usumfructum reliquit.

TRansiens ad secundas nuptias amittit, jure Codicis, *Usumfructum sibi a priore conjuge relictum*; ita ut liberis prioris matrimonii eum restituere debeat. Sed hoc jus corrigitur per Nov. 22. ubi Justinianus constituit, conjugem transeuntem ad secunda vota retinere usumfructum, nisi hac conditione in eum collatus fuerit, ut secundis nuptiis extingueretur.

Titulus 11.

De Dotis promissione, & nuda pollicitatione.

DOs, est species vel quantitas, quæ marito ad sustinenda onera matrimonii, aut alio ejus nomine, datur; nisi enim matrimonii oneribus serviat, dos nulla est.

Promittitur dos stipulatione, vel nuda pollicitatione. Dos promissa prædictam in se conditionem habet, nec prius, nisi secutis nuptiis, ex hac

hac stipulatione agi potest. Nuda pollicitatione dos promissa perinde debetur atq; exigitur, ac si stipulationis præsidio suffulta esset.

Suo nomine tenetur pater filiæ dotem dare, pro modo facultatum suarum, & dignitate generi, adeo, ut ad id compelli possit per Magistratum.

Titulus 12.

De Jure Dotium.

DOs, aut Profectitia est, aut Adventitia. *Profectitia* est, quæ a patre mulieris, de bonis ejus, proficiscitur. *Adventitia*, quæ aliunde, quam a patre, contingit.

Etsi dominium civile rei dotalis transfertur in maritum, tamen mulier naturale dominium retinet: soluto autem matrimonio, si dos sit profectitia, communis est patri & filiæ. Res, quas dotali pecunia maritus comparavit, dotales esse videntur: sed prædium dotale maritus alienare non potest, licet ejus dominus sit.

Titulus 13.

De Rei Vxoriæ Actione, in ex Stipulatu Actionem transfusa, & de natura Dotibus præstita.

OLim per Actionem ex stipulatu Maritus dotem sibi promissam tradi petebat, Vxor vero eandem repetebat a marito, per Rei uxoriæ Actionem. Sed *sublata Rei uxoriæ Actione*, voluit Justinianus solam Actionem ex stipulatu de dote competere, tam marito ad petendam dotem, quam mulieri ad repetendam; eamq; actionem *quatuor* potissimum *privilegiis* insignivit.

Nimi-

Nimirum 1. voluit, Actionem ex stipulatu esse bonæ fidei in casu dotis; cùm cæteræ actiones ex stipulatu sint stricti juris. 2. Voluit, ut tametsi nulla de restituenda dote appareat interposita stipulatio, nihilominus intervenisse fingatur. 3. Conjunxit huic Actioni jus tacitæ hypothecæ, ut nimirum omnia bona mulieris, pro ipsa dote præstanda, sint marito obligata, & contra bona mariti pro restituenda dote. 4. Cum liceret olim marito, facto divortio, dotem, aut partem dotis, quasi jure pignoris retinere, propter malos mores uxoris; vel propter res ab ea amotas, vel propter impensas factas in res dotales; Justinianus jussit cessare retentionem, tanquam duram Vxori, quæ à dotis repetitione repellebatur, donec solvisset, cum semper & ubiq; dotis causa præcipua sit; nec ita utilis sit marito Retentio; cui alia Actio petitiove salva est.

Titulus 14.

De Pactis conventis, tam super Dote, quam super Donatione ante Nuptias, & Paraphernis.

R*Estitutio Dotis facienda, soluto matrimonio,* nisi tamen aliter conventum fuerit, vel ante, vel post nuptias: possunt enim pacisci conjuges super dote, aut donatione propter nuptias, ut apud superstitem dos, vel donatio propter nuptias, maneat tota, vel ejus pars.

In Pactis super dote, aut super donatione propter nuptias, æqualitas requiritur, ne mulier, marito superstes, ex donatione plus vel minus lucretur, quam vir, mulieri superstes, lucraretur ex dote.

Para-

Parapherna, sunt res mulieris, quas præter dotem maritus penes se habet; de his nihil disponere potest sine consensu mulieris: & quamvis valeant pacta de lucranda dote, si uxor præmoriatur, vel donatione propter nuptias, si prior maritus decesserit, tamen pactum vice testamenti factum, ut bona paraphernalia post mortem mulieris ad maritum pertineant, jure reprobatur.

Titulus 15.

De Dote cauta non numerata.

QVi pecunia indigent, præsumuntur pecuniam non accepisse, quam spe numerationis confitentur acceptam. Pari ratione, vir, ut muliere potiatur, nonnunquam permittit instrumentum fieri, quo cavetur, sibi dotem numeratam esse, quæ tantum dicta vel promissa, necdum vero data est. Ob hanc facilitatis præsumtionem, *datur Marito, ejusq; heredibus, exceptio cautæ & non numeratæ dotis*, adversus cautionem temere emissam, si mulier, vel heredes ejus, ea nitantur, & diremto matrimonio dotem repetant, quæ reipsa non est numerata. Atq; hæc dotis numeratio aliunde probanda est, quam dotalis instrumenti scriptura, nudave cautione, quæ dotem non facit.

Titulus 16.

De Donationibus inter Virum & Vxorem, & a Parentibus in Liberos factis, & de Ratihabitione.

ANte contractas nuptias, permissa est donatio inter sponsum & sponsam, etiam simplex, & irrevocabi-

cabilis; post contractas, permittitur inter ipsos conjuges donatio propter nuptias, quæ non est pura donatio, sed ob causam, & causa finita revocatur. *Omnis verò simplex donatio inter conjuges prohibita est*, ne mutuo amore se invicem spolient, profusa erga se liberalitate, neve concordia maritalis pretio emi videatur, præbeaturq; occasio divortiis, si non donet is, qui possidet.

Donatio causa mortis valet inter Conjuges, quia in id tempus excurrit, quo Vir & Vxor esse desinunt, id est, post mortem donatoris, nisi tamen fieret irrevocabiliter, quia incideret in prohibitionem, cum transeat in donationem inter vivos.

Valet Remuneratoria inter Conjuges donatio, quia est debiti quædam compensatio; qualis censetur donatio, quam Senex in Vxorem adolescentulam, & Plebejus in Nobilem Vxorem confert.

Exemplo Conjugum, *Donatio parentum, facta in liberos potestati eorum suppositos*, ipso jure non valet: confirmatur tamen morte donantis, perinde atque si suprema voluntate confirmata esset, adeo, ut confirmatio retrocedat ad tempus, quo donatio conscripta est, & consequenter fructus percepti ad filium pertineant, tanquam ab initio dominum: nam ratihabitio regulariter retroducitur ad tempus negotii gesti. Nec suprema tantum, & speciali voluntate, hæc Donatio confirmatur, sed & tacite, solo silentio patris morientis; videtur enim, quod de facto tradidit, tacite approbare, & quasi testamento relinquere.

Titu-

Titulus 17.

De Repudiis, & Judicio de Moribus sublato.

REpudium, generale vocabulum est, & notat tam dissolutionem Sponsaliorum quam Matrimonii; quæ posterior dissolutio proprie Divortium dicitur.

Divortium olim licitum erat mutuo consensu, imo & altero invito, primum, sine justa causa, misso libello repudii; postea, non nisi ex causa, quæ variæ erant. Earum una fuit Captivitas, nempe quâ alterutér conjugum in potestatem hostium venit, adeo, ut postliminii jure matrimonium non redintegraretur, nisi novo utriusq; consensu; quanquam reliqua omnia captivus jure postliminii reciperet. Attamen, quam diu certum erat, captum ab hostibus vivere, vel, si incertum, spatio quinquennii, conjux, quæ in civitate remanserat, nuptias contrahere non poterat. Cæterum, quomodocunq; servitus superveniret, solvebatur matrimonium, propter conditionis inæqualitatem, & cum servis non matrimonium, sed Contubernium esse dicebatur.

Justinianus introduxit, ut non nisi mutuo consensu, castitatis intuitu, Conjuges a se possent discedere, altero autem invito non nisi ex certis causis, quæ recensentur in *lege 8. h. t.* Eæ sunt, ingressus monasterii, desiderio vitæ sanctioris: Debilitas, si maritus, propter imbecillitatem virium, per biennium se uxori miscere non potuerit: adulterium: si mulier, ex industria & odio mariti, abortum fecerit; & aliæ.

Judicio de moribus Conjugum si pronunciatum fuisset, uxorem moribus suis causam repudii dedisse, sextam dotis partem lucrabatur maritus, dummodo

ob graviores mores, puta adulterium, mulier culparetur: nam ob leviores mores, id eſt, ob aliam quamcunq; cauſam, octavam tantum partem retinere maritus poterat.

Sed Juſtinianus hoc judicium omnino ſuſtulit; quin & vetuit, dotem retineri ob malos mores mulieris.

Titulus 18.

Soluto Matrimonio, quemadmodum Dos petatur.

QVia ſoluto matrimonio dos ſine cauſa apud maritum eſt, quippe ceſſante onere matrimonii, cujus nomine Dos datur, ideo repetitur.

Repetit hanc regulariter ipſa mulier, cum maritus fato functus eſt, nihilq; ex ea ſibi defuncti heredes audent vindicare. Non poteſt tamen, invito mariti herede, poſſeſſionem rerum dotalium occupare, quamvis ipſo jure illarum dominium ad ipſam redierit, ſed neceſſe eſt, ut contra eum actionem inſtituat.

Repetit & heres mulieris dotem, ſi ejus morte, vel divortio, nuptiæ ſint ſolutæ. Nonnunquam repetit is, qui pro muliere dotem dedit, ſive Pater, ſive Extraneus; hoc tamen diſcrimine, quod Pater dotem, quam pro filia in poteſtate conſtituta dedit, ſemper repetit, filia tamen conſentiente, etiamſi eam reddi ſtipulatus non ſit: Extraneus vero non aliter repetit, quam ſi ſtipulatione ſibi caverit.

Quod ſi filia deceſſerit, liberis ſuperſtitibus, jure conſtitutum eſt, dotem ad patrem reverti, ſolatii loco, ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiat.

Dirigitur dotis petitio in ipſum maritum, qui dotem accepit, aut ejus heredes: ratio juris quoque poſtulat, ut mulier dotem petat a fiſco, qui mariti, forte

pro-

propter delictum damnati, bona occupavit, in quibus dos erat.

Si dos perierit, dolum & culpam levem præstabit maritus. Res immobiles statim sunt reddendæ, mobiles intra annum, quia, cum hæ alienari vel commodari potuerint, illarum restitutio est difficilis, ideoq; anni tempus indulgetur ad res hujusmodi componendas.

Restituendæ sunt *res inæstimatæ* in specie, si extent, quia in effectu semper mulieris manserunt: *æstimatæ* vero, quia transierunt in dominium mariti, ejusq; periculo sunt, non in specie reddentur, sed sufficit, earum æstimationem reddi.

Exactio dotis cessat 1. si pactum initum sit, de Dote lucranda post mortem. 2. Si maritus non sit solvendo, cum teneatur in quantum facere potest, i. e. habita ratione, ne egeat, juxta qualitatem status personæ. Esset enim contra conjugalem reverentiam, Virum à muliere sic arctari, ut ne quidem alimenta salva habeat. 3. Si res perierit sine dolo & culpa mariti. 4. Quoties mulier sine causa divertit, vel ejus culpa distractum est matrimonium.

Titulus 19.

Si Dos constante Matrimonio soluta fuerit.

SI Dos hac lege data sit, ut, mortua in matrimonio muliere, lucro mariti cederet, ac maritus, stante matrimonio, dotem mulieri sine causa restituerit, deinde mulier in matrimonio mortua sit, potest maritus dotem, cum fructibus, ab heredibus mulieris repetere; quia illa intempestiva dotis restitutio, donationem in se continet, quæ inter conjuges est prohibita.

Titulus 20.

Ne Fidejussores vel Mandatores Dotium dentur.

MVlieri, dotem repetenti, actio non datur contra fidejussorem, quem à marito vel socero accepit, nec contra mandatorem, cujus mandato dotem dedit: cui enim persona mulieris creditur, ei multo magis dos credi debet, unde, fidejussorem vel mandatorem dotis restituendæ nomine accipi, Constitutiones prohibent.

Titulus 21.

Rerum Amotarum.

VIdendus libri 25. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 22.

Ne pro Dote Mulieris Bona quondam Mariti addicantur, id est, in solutum dentur.

S*I maritus nullo relicto herede decesserit*, Mulier, dotis sibi debitæ causa, postulare non potest, ut bona mariti sibi addicantur, sed, ut secundum juris ordinem, quatenus successionis modus patitur, suæ indemnitati consulatur, videlicet petendo, ut in possessionem bonorum mariti immittatur, dotis servandæ causa, atq;, ut bona ista publica licitatione vendantur, ea lege venditioni dicta, ut ab emtore ipsi de dote integra, aut parte satisfiat.

Titulus 23.

De Fundo Dotali.

SPecialiter *de Fundo dotali* cautum est, ut mulier soluto matrimonio eum repetere possit, licet a marito

rito alienatus fuerit; quoniam alienatio non valet, sive inæstimatus in dotem datus fuerit, sive æstimatus, adjecto pacto, ut electio sit mulieris, utrum æstimationem, an prædium petere velit.

Titulus 24.

Divortio facto, apud quem Liberi morari vel educari debeant.

D*Ivortio facto judicis arbitrio committitur, utrum liberi apud Matrem, an apud Patrem, morari, vel educari debeant.* Novissime Justinianus constituit, ut, si patris culpa divortium factum sit, & mater ad secundas nuptias non transierit, liberi apud eam alantur impensis patris; si vero culpa matris solutum sit matrimonium, & pater non sit inops, apud patrem nutriantur, impensis matris locupletis; *Nov.117, c.7.*

Titulus 25.

De alendis Liberis ac Parentibus.

L*iberi alendi sunt a Patre*, pro modo facultatum; nec tantum Filii, sed etiam Nepotes ex filiis. Si pater non superstes, vel inops sit, hoc onus matri incumbit. Vice versa, *si Parentes egeant*, a liberis locupletibus ali debent. Similiter Liberti Patronos, & eorum liberos alere, vel, si egent, ab eis ali debent.

Titulus 26.

De Concubinis.

VIdendus libri 25. Digestorum titulus 7. ejusdem inscriptionis.

Titulus 27.

De Naturalibus Liberis, & Matribus eorum, & ex quibus causis justi efficiantur.

N*Aturales Liberi* ex concubina domi habita proveniunt, quos natura, non lex agnoscit; qui vero, ex impudica publice, *Spurii* vocantur, ii patrem verum non habent, vel eum demonstrant, quem habere non licet; quales etiam dicuntur nati ex damnato complexu.

Spurii in totum a successione arcentur; Naturales vero liberi, matresq; eorum ex semisse heredes scribi possunt, hoc jure: sed *jure Novellarum* ex asse, non existentibus sc. liberis legitimis, nec legitima uxore, portione parentibus testatoris servata.

Existentibus liberis legitimis, eorumq; matre superstite, unica uncia liberis naturalibus relinquitur, cum matre Concubina dividenda, vel, si hæc sola supersit, semuncia datur. Quicquid ultra hunc præscriptum modum relictum est, legitimis filiis cæterisq; successoribus datur.

Legitimatio, est legis actio, qua filii naturales tantum patri suo legitimi, ejusq; potestati subjecti efficiuntur. *Ejus modi tres* sunt: 1. Oblatio Curiæ, si pater filium naturalem Curiæ Civitatis offerat, ut inter Decuriones numeretur: quod sic introduxit Theodosius Imp. ut plures invitarentur ad Curias, quarum onera pleriq; subterfugiebant. Filiæ sic offerri non poterant, quia muneribus publicis non funguntur: idem tamen privilegium illis fuit tributum, si Curiali nuberent, quia per ipsas consulebatur Curiæ, susceptis liberis, qui patris conditionem sequuntur.

Non

Non ſolum autem pater filium ſuum Curiæ offerre poterat, ſed etiam ipſe filius ſeſe, verum nonniſi eo caſu, quo nulli extant liberi legitimi; pater vero etiam illis extantibus id facere poteſt: atq; ita filius, patris deſtinatione Curiæ nexibus obligatus, conſequebatur jura legitima in ſucceſſione paterna, non item agnatorum. 2. *Subſequens Matrimonium:* ſi enim pater in uxorem ducat fœminam, ex qua extra matrimonium liberos ſuſcepit, per hoc eos in ſuam poteſtatem redigit, idq; ſive poſtea alii quoq; liberi ex tali matrimonio nati ſint, ſive nulli, iiq; vivant, aut ſint mortui. 3. *Reſcriptum Principis:* per hoc legitimantur naturales ex muliere libera procreati, ad ſupplicationem patris, cui alii legitimi liberi non ſunt, vel etiam ad ſupplicationem filii, ut tanquam legitimus poſſit patri ſuccedere, modo oſtendatur patris teſtamentum, quo eum heredem inſtituit, & deſideravit, ut Princeps hoc beneficium filio impertiretur. Quanquam de plenitudine poteſtatis dubium non ſit, quin poſſit Princeps hunc filium naturalem legitimum pronunciare, quamvis id pater non ſupplicaverit, & reliquerit liberos legitimos.

Titulus 28.

De Teſtamentatia Tutelâ.

VIdendus libri 26. Digeſtorum titulus 2. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 29.

De Confirmando Tutore.

VIdendus libri 26. Digeſtorum titulus 3. *De Confirmando Tutore vel Curatore.*

Titulus 30.

De Legitima Tutela.

VIdendus libri 26. Digestorum titulus 4. *De Legitimis Tutoribus*.

Titulus 31.

Qui petant Tutores vel Curatores.

VIdendus libri 26. Digestorum titulus 6. *Qui petant Tutores vel Curatores, & ubi petantur.*

Titulus 32.

Vbi petantur Tutores vel Curatores.

VIdendus titulus Digestorum jam modo allegatus.

Titulus 33.

De Tutoribus vel Curatoribus Illustrium vel Clarissimarum Personarum.

TRes sunt Senatoriæ dignitates: Illustratus, Spectabilitas, & Clarissimatus: sed interdum Clarissimatus vocabulum late sumitur, ut etiam Spectabilitatem & Illustratum complectatur. Atque sic in h. t. agitur de Tutoribus vel Curatoribus personarum Senatoria dignitate præditarum, sive sint Clarissimæ, sive Spectabiles, sive Illustres.

In Vrbe Illustribus vel Clarissimis Tutores vel Curatores dabantur a Præfecto Vrbi, adhibitis decem Senatoribus & Prætore. *In Provinciis* nominabantur a Præside, ex decreto Decurionum: non tamen poterant Curiales dari tutores hujusmodi Clarissimis personis.

Titu-

Titulus 34.

Qui dare Tutores vel Curatores possunt, & qui dari non possunt.

HIc titulus agit *de personis infra dignitatem Senatoriam constitutis*, quibus Tutor aut Curator datur. Proinde videndus libri 26. Digestorum titulus 5. *De Tutoribus & Curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent: & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt.*

Titulus 35.

Quando Mulier Tutelæ officio fungi potest.

MUlier *regulariter tutelæ officio fungi non potest. Excipiuntur* Mater & Avia, quæ præferuntur aliis tutoribus legitimis, non tamen testamentariis. Sed ita demum admittuntur, si ad secundas nuptias non transierint; imo apud Acta tam secundis nuptiis, quam beneficio SCti Vellejani renunciare tenentur: &, si post susceptam tutelam secundo nupserint, a tutela removentur.

Titulus 36.

In quibus causis Tutorem vel Curatorem habenti Tutor vel Curator dari potest.

REgulariter Tutorem habenti Tutor dari non potest, quanquam Curatorem habenti Curator dari potest. *Quibusdam tamen casibus, Tutor vel Curator adjungitur*, vel, quia is, qui tutor manet, gerere non potest, puta propter furorem, aut absentiam Reip. causa: vel, quia ex parte gerere potest, sed toti admi-

administrationi non sufficit, ut, quia patrimonium pupilli est late diffusum, & in diversis provinciis: vel, quia desinit aliquis esse Tutor, aliis Tutoribus manentibus.

Quamvis autem eodem casu vel Tutor, vel Curator dari potest, tamen *plerunq; facilius adjungitur Curator, quam Tutor*, nisi dandus sit ad actum, qui Tutorem requirit, non sufficiente ad eum expediendum Curatore; ut aditio hereditatis.

Titulus 37.

De Administratione Tutorum vel Curatorum, & de pecunia pupillari fœneranda vel deponenda.

DE Administratione Tutorum vel Curatorum adeundus libri 26. Digestorum titulus 7. *De administratione & periculo Tutorum & Curatorum, qui gesserint, vel non: & de Agentibus, vel conveniendis uno, vel pluribus.* Administrationis pars est, *ut pecunia pupillaris deponatur*, prædiorum comparandorum causa, deinde prædia comparentur, aut, si prædia comparari nequeant, fœnori detur, alioquin Tutores, vel Curatores, in usuras ejus pecuniæ tenentur, aut, si solvendo non sint, extra ordinem castigantur. Sed Novella 72. hanc fœnerandi, vel prædia emendi necessitatem remittit, adeo, ut Tutor vel Curator officio suo satisfaciat, si pecuniam diligenter custodiat, nisi fœneratione opus sit, ut pupillus ex usuris alatur.

Titulus 38.

De Periculo Tutorum & Curatorum.

VIdendus libri 26. Digestorum titulus 7. jam modo allegatus.

Titu-

Titulus 39.

Quando ex facto Tutoris vel Curatoris Minores agere vel conveniri possint.

VIdendus libri 26. Digestorum titulus 9. ejusdem inscriptionis.

Titulus 40.

Si, ex pluribus Tutoribus vel Curatoribus, omnes vel unus agere pro Minore, vel conveniri possunt.

CErtum est, quod omnes Tutores vel Curatores dati tenentur ex officio pupillum defendere, ejusq; utilitatem promovere; *si quid tamen aliis negligentibus ab uno gestum fuerit, ratum est.* Sic rata est defensio causæ, quam, aliis cessantibus, unus Tutorum suscipit & exsequitur, cujus factum etiam alios tenet. *Excipe*, nisi divisa sit tutelæ administratio per provincias, a testatore, vel judice, vel a tutoribus ipsis. Facit enim divisio, ut quisq; in sua provincia causam pupillarem agere & defendere debeat, non in aliena.

Titulus 41.

Ne Tutor vel Curator Vectigalia conducat.

T*Utor vel Curator*, durante officio, vel eo finito, antequam rationes reddat, *prædia Cæsaris aut vectigalia conducere, vel alio modo cum Fisco contrahere prohibetur*, sub pœna falsi, cujus veniam a Principe impetrare poterit, si utriq; satisfecerit, id est, tam Minori quam Fisco, quia prohibitionis causa est, ne forte Fiscus damno afficiatur, pupillari obligatione omnia Tutoris vel Curatoris bona absorbente.

Titu-

Titulus 42.

De Tutore vel Curatore, qui ſatis non dedit.

VIdendus libri 46. Digeſtorum titulus 6. *Rem Pupilli vel Adoleſcentis ſalvam fore.*

Titulus 43.

De Suſpectis Tutoribus vel Curatoribus.

VIdendus libri 26. Digeſtorum titulus 10. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 44.

De in Litem dando Tutore vel Curatore.

NOn poteſt Pupillus, niſi tutore autore, ſtare in judicio, ſi litem cum alio habeat. At, *ſi cum ipſo tutore litem habeat*, olim tutor ei dabatur; quia in iis, quæ ſolemnitatem juris deſiderant, uti ſunt judicia, non poterat intervenire Curator. Sed hoc jus per Codicem ſublatum eſt, eoq; cœpit Curator dari pupillo ad litem *l. 2. & ult. h. t.* niſi & alii ſint tutores, quibus autoribus pupillus experiatur.

Cæterum hic Curator in litem datus, pro aliis adminiſtrationis partibus, periculo tutelæ vel curæ non ſubjicitur, & ſumtus, quos in eam litem bona fide erogavit, a Contutoribus ex bonis pupilli recuperat.

Titulus 45.

De Eo, qui pro Tutore negotia geſſit.

NOn tantum Tutor legitime datus tenetur ex adminiſtratione, ſed *etiam is, qui cum Tutor non eſſet, aut eſſe non poſſet, quia mulier, miles, ſi aliquid geſſit,*

gessit, *obligatur ex Tutelæ gestione*, quam contra juris ordinem suscepit, ad reddendam rationem administrationis. Addendus libri 27. Digestorum titulus 5. *De eo, qui pro Tutore vel Curatore negotia gessit.*

Titulus 46.

Si Mater indemnitatem promisit.

VSque adeo Tutor ex administratione gesta tenetur, ut, *etiamsi Mater ei pro pupillo indemnitatem promiserit*, nihil tamen id Tutorem juvet; cum hæc sit quædam intercessionis species, quæ infirmatur S. C. Vellejano, nisi specialiter, Tutorem matris periculo datum esse, decreto fuerit comprehensum.

Titulus 47.

Si contra voluntatem Matris Tutor datus sit.

QVemadmodum Prætor Tutorem a matre datum confirmare solet, ita, *quem Mater moriens Tutorem dari vetuit*, a Tutela removetur, sed sine infamia remoti, nisi is fraudem in tutela admisisse convictus fuerit.

Titulus 48.

Vt causæ post pubertatem adsit Tutor.

ETsi Pupillus ad pubertatem pervenit, tamen *Tutor negotiis pupillaribus assistere debet*, donec, rationibus redditis, in Curatorem administrationem omnem transtulit. Non videtur autem omnem transtulisse, qui adhuc retinet instrumenta litis a se inceptæ, & ideo, quam diu hæc & alia acta ad causam concernentia, quæ penes se habet, non tradiderit, litem prosequi suo periculo tenetur.

Titu-

Titulus 49.

Vbi Pupilli educari debeant.

VIdendus libri 27. Digestorum titulus 2. *Vbi Pupillus educari debeat : & de Alimentis ei præstandis.*

Titulus 50.

De Alimentis Pupillo præstandis.

FAcit huc titulus jam modo allegatus.

Titulus 51.

Arbitrium Tutelæ.

ACtio de Tutela *Arbitrium* vocatur; quia Prætor in hoc judicio, uti in plerisq; aliis bonæ fidei, arbitrum dabat, qui de causa cognosceret. Est autem Actio tutelæ duplex : Directa, & Contraria. *Directa*, est personalis bonæ fidei, quæ finita tutela datur pupillo, quem principaliter & directe tutelæ gestio concernit, adversus Tutorem, ut administrationis suæ rationes reddat, &, quicquid apud ipsum ex bonis suis residet, exhibeat.

Titulus 52.

De Dividenda Tutela, & pro qua parte quisq; Tutorum conveniatur.

T*Vtela, id est Tutelæ administratio, aut est divisa a Testatore, aut a Judice, aut ex Conventione Tutorum; aut est Indivisa. Primo & secundo casu*, singuli pro partibus sibi assignatis tenentur, nec alter pro altero tenetur, nisi propter dolum vel culpam admissam, in eo non removendo, aut serius removendo. *Tertio & Quarto* casu datur minori optio, utrum

unum

unum in solidum, an omnes simul convenire velit. Si omnes conveniantur & condemnentur, periculum Tutelæ divisum erit, nec unus pro altero convenietur. Si unus conveniatur in solidum, videtur quidem condemnandus; sed pluribus beneficiis ei succurritur. Habet enim 1. *Beneficium cedendarum Actionum*; quoniam actor, actiones, quæ sibi contra alios Tutores competunt, ei cedere tenetur, ut ab illis partem ejus, quod præstiterit, recuperare possit. 2. *Beneficium Actionum Vtilium*, quas ex constitutionibus contra contutores habet, si actiones directæ sibi cessæ non sint. 3. *Beneficium Divisionis*, quo fit, ut dividenda sit actio in eos, qui tempore litis contestatæ sunt solvendo, atque ita pro partibus teneantur. 4. *Beneficium Ordinis*; quia excutiendus est is, qui administravit, vel ejus heredes, & fidejussores ab eo dati, &; qui satisdationem exegit, vel exigere debuit, priusquam alter Tutor, qui non gessit, conveniatur.

Titulus 53.
De in Litem jurando.

HIc titulus extat etiam in Digestorum libro 12. numero 3. sed ibi est contractus *generalis*, ad omnia judicia pertinens; hic est *specialis*, & ad arbitrium tutelæ coangustatus.

Quod si igitur Tutor vel Curator, judicio tutelæ conventus, Inventarium cæteraq; instrumenta pupillaria non restituat, quia non potest non hoc dolo malo facere, & quia vix aliter probari potest damnum rebus puipilli datum, ideo hujus juramento permittitur æstimatio, in quam Tutor Curatorve condemnatur, nisi judex ex justa causa æstimationem mode-

moderandam existimet : quam ubi secutus jurisjurandi religionem definierit, non poterit eam deinde remittere, aut minuere.

Titulus 54.

De Heredibus Tutorum, vel Curatorum.

TVtelæ judicio non Tutores tantum, sed & *Heredes* eorum tenentur, cum agatur ex quasi contractu. Quin etiam ex dolo, & lata culpa defunctorum eos conveniri posse, rescriptum est *l. 1. h. t.*

Igitur Heres ejus, qui Tutelam vel Curam administravit, si quid ad eum ex re Pupilli vel Adulti pervenerit, id restituere cogitur. Tenetur quoq; rationem reddere, non solum eorum, quæ defunctus gessit, sed etiam quæ neglexit.

Titulus 55.

Si Tutor vel Curator non gesserit.

NOn solum qui gesserunt, sed etiam *qui gerere debuerunt*, Tutelæ judicio tenentur. Habent tamen hi, qui administratione abstinuerunt, si conveniantur, Beneficium Ordinis.

Si omnes administrationem neglexerunt, omnes æqualiter tenentur, ac si communiter Tutelam indivisam gessissent.

Titulus 56.

De Vsuris Pupillaribus.

IN *Actionem Tutelæ veniunt etiam Vsuræ*, quæ regulariter præstantur secundum morem provinciæ, sic tamen, ne sint majores semissibus. Sed *quinq; casibus* debentur usuræ legitimæ, id est centesimæ. 1. Si Tutor vel Curator pecuniam Minoris in suos usus

usus converterit. 2. Si falso negavit, penes se esse pecuniam. 3. Si, ob neglectos proventus usurarios pecuniæ pupillaris, Prætor ei legitimas usuras irrogavit. 4. Si, quantitatem aliquam penes se esse falso negans, necessitatem minori imposuit mutuam pecuniam legitimis usuris accipiendi. 5. Si a debitoribus pupillaribus legitimas usuras exegit.

Vsurarum cursus inhibetur, 1. Denunciationibus frequenter interpositis, quibus minor ad judicium provocatur, una cum protestatione apud Acta. 2. Oblatione, consignatione, ac depositione pecuniæ debitæ.

Titulus 57.

De Fidejussoribus Tutorum vel Curatorum.

VIdendus l. 27. Digestorum titulus 7. *De Fidejussoribus, & Nominatoribus, & Heredibus Tutorum & Curatorum.*

Titulus 58.

De contrario Judicio Tutelæ.

VIdendus libri 27. Digestorum titulus 4. *De contraria Tutelæ & Vtili Actione.*

Titulus 59.

De Autoritate præstanda.

VIdendus libri 26. Digestorum titulus 8. *De Autoritate & Consensu Tutorum & Curatorum.*

Titulus 60.

Quando Tutores vel Curatores esse desinant.

TVtela vel Curatio finitur, cum Tutores vel Curatores esse desinunt: ut, quia Pupillus pervenit ad

 puber-

pubertatem, aut Adolescens ad legitimam & perfectam ætatem. Videndi tituli Institutionum, *Quibus modis tutela finitur*: &, *De Curatoribus*.

Titulus 61.

De Actore, a Tutore seu Curatore dando.

TVtela non finitur, si Tutor vel Curator adversa valetudine, vel alia necessitate, impediatur tutelam gerere; sed, eo auctore, Minor, si præsens sit, & fari possit, *Procuratorem* constituet. Quod si Pupillus vel absit, vel Infans sit, *Actor* sive *Adjutor* a Curatore vel Tutore, id est, Tutoris vel Curatoris voluntate & periculo, datur a Prætore.

Actor dicitur, qui datur ad lites: *Adjutor*, qui datur ad negotia extrajudicialia.

Titulus 62.

De Excusationibus Tutorum & Curatorum, & de Temporibus earum.

AD Excusationem Tutoris vel Curatoris spectat hic titulus, & aliquot sequentes. Proponenda est excusatio ab eo, qui jure datus, *intra 50. dies*, a tempore, quo scivit, se ad tutelam vel curam vocatum, coram judice loci, ubi datus.

Titulus 63.

Si Tutor vel Curator falsis allegationibus excusatus fuerit.

E*Ffectus Excusationis* est, quod acceptata, a periculo tutelæ & curæ liberat. Si tamen causa sit falsa allegata, non liberabit Tutorem, ne cui prosit suus dolus.

Titulus 64.

Si Tutor vel Curator Reipublicæ causa aberit.

ABsentia Reipubl. causa, non affectata, neque sui commodi causa, sed necessaria, immunitatem præstat, ob favorem Reipublicæ. Igitur, si fuerint Tutores vel Curatores dati, & deinde Reipubl. causa abesse cœperint, a Tutela vel Cura suscepta tam diu excusantur, quamdiu absunt, ac interea eorum loco Curator datur. Nam reversi, statim recipere debent onus tutelæ, & medii temporis periculo ita demum liberantur, si excusationem suam proposuerint. Si vero ante delatam tutelam abesse cœperint, iis, ex legatione reversis, annus vacationis conceditur, antequam novam tutelam suscipiant, isq; est continuus, ex quo quis rediit, aut redire debuit.

Titulus 65.

De Excusationibus Veteranorum.

VEterani, qui, confectis legitimis 20. annorum stipendiis, a militia dimissi sunt, in perpetuum a Tutela & Cura excusantur; præterquam a tutela vel cura filiorum conveterani, a qua anni excusationem habent. Cæteri, qui non confectis stipendiis, honestam, vel causariam, non ignominiosam, missionem meruerunt, si ante quinquennium dimissi sunt, nullam habent immunitatem. Si post quinquennium, anni immunitate fruuntur. Si post 8. annos, ad biennium excusantur. Si post 12. annos, triennium eis conceditur. Si post 16. quadriennium.

Titulus 66.

Qui Numero Liberorum ſe excuſant.

N*Vmerus Liberorum* a tutela excuſat in perpetuum. Sed hîc 4. requiruntur: Vt 1. ſaltem ſint Romæ tres liberi, vel in Italia quatuor, vel in provincia quinque. Vbi notandum, Nepotes ex Filia non prodeſſe: Nepotes ex Filio ita prodeſſe, ut Filio mortuo ſpectentur, &, quotquot ſunt ex uno filio, pro una perſona computentur. 2. Vt ſint procreati ex juſtis nuptiis. 3. Vt nati ſint ante tutelam vel curam delatam. 4. Vt eo tempore, quo tutela vel curatio defertur, ſint ſuperſtites, aut in acie pro patria obierint.

Titulus 67.

Qui Morbo.

M*Orbus* affert juſtam excuſationem, tam a ſuſcepta tutela, quam ſuſcipienda, ſi talis ſit, ut rerum adminiſtrationem impediat: uti Cæcitas, Surditas, Furor, perpetua valetudo adverſa.

Prout valetudo eſt, ita aliquis excuſatur, vel ad tempus, vel in perpetuum.

Titulus 68.

Qui Ætate.

M*Ajor 70. annis*, excuſatur in perpetuum a tutela. *Minor* autem *annis 25.* ne quidem volens, ad tutelam vel curam ſuſcipiendam admittitur.

Titulus 69.

Qui Numero Tutelarum.

V*T onus Tutelæ vel Curæ a nova Tutela vel Cura excuſet*, tria requiruntur: 1. Ne ſit onus affectatum.

tum. 2. Vt ſint tria onera. 3. Vt tutelæ vel curæ, propter quas excuſari quis vult, adhuc maneant & adminiſtrentur, nec ſint finitæ.

Titulus 70.

De Curatore Furioſi vel Prodigi.

SIcut adveniente pubertate tutela finitur, & ſuccedit Curatio Adoleſcentis, ita, adveniente perfecta ætate, ceſſat Curatio Adoleſcentum, & *ſuccedit Curatio Furioſi*, & alius ſimilis perſonæ. Nam, quamdiu furioſus eſt minor 25. annis, Curatorem habet potius ratione ætatis, quam furoris.

Titulus 71.

De Prædiis & aliis Rebus Minorum, ſine Decreto non alienandis, vel obligandis.

SEquuntur duæ Regulæ, communes omnibus Tutoribus & Curatoribus. *Prima Regula* eſt: Res minorum non debent a Tutore vel Curatore alienari, vel obligari, ſine decreto Prætoris.

Titulus 72.

Quando Decreto opus non ſit.

SVperior Regula patitur *tres Exceptiones*. *Prima* eſt, niſi ſit caſus, quo decretum non requiritur. Sunt enim 4. caſus, quibus decretum non eſt neceſſarium. 1. Si res ſervando ſervari non poſſit, aut ſit veſtis detrita, vel animal ſupervacuum. 2. Si pater, vel alius, cui minor ſucceſſit, alienationem permiſerat. 3. Si Princeps alienationem permiſerit. 4. Si res obligan-

obligandæ ſint pro cautione judicatum ſolvi a minore præſtanda.

Titulus 73.

Si quis, ignorans rem Minoris eſſe, ſine Decreto comparaverit.

SEcunda *Exceptio* eſt: Niſi is, qui bona fide rem Minoris accepit, ſtatuto tempore præſcripſerit; quod tempus currere incipit, ex quo minor ad perfectam ætatem pervenit. Præſcribit autem emtor quinquennio: donatarius, longo tempore, id eſt, decennio inter præſentes; viginti annis inter abſentes.

Titulus 74.

Si Major factus, Alienationem factam ſine Decreto ratam habuerit.

TErtia *Exceptio* eſt: Niſi dominus, cujus in minore ætate conſtituti res ſine decreto alienata fuit, poſtea major factus, eam alienationem ratam habuerit.

Titulus 75.

De Magiſtratibus conveniendis.

SEcunda *Regula* eſt: In Magiſtratibus, qui ſatisdationem a Tutoribus vel Curatoribus exigere neglexerunt, aut non idoneos fidejuſſores acceperunt, actio ſubſidiaria competit. Videndus libri 27. Digeſtorum titulus 8. *De Magiſtratibus conveniendis.*

CODICIS
LIBER VI.

Titulus 1.

De Servis fugitivis, & Libertis, Mancipiisq; Civitatum, Artificibus, & ad diversa opera deputatis, & ad rem privatam, vel Dominicam pertinentibus.

O*Peræ*, sunt diurnum officium. Eæ non debentur ab Ingenuis, sed a Servis aut Libertis.

Interdum servi fugiunt, ne debitas operas & servitia dominis præstent. Ob eam rationem hic agitur de servis fugitivis, de quibus est in libro 11. Digestorum titulo 4. *De Servis fugitivis.*

Operæ debentur etiam a Servis aut a Libertis Reipubl. præsertim Artificibus, qui ad diversa opera deputari solent, prout ratione artificii, aut ingenii, aut corporis virium apti & idonei sunt.

Operæ quoque præstantur a Servis aut Libertis Dominicis, qui ad privatum Principis patrimonium pertinent.

Titulus 2.

De Furtis, & Servo corrupto.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 2. *De Furtis:* & libri 11. titulus 3. *De Servo corrupto.*

Titulus 3.

De Operis Libertorum.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 4.

De Bonis Libertorum, & Jure Patronatus.

VAria sunt commoda juris Patronatus, & hoc unum inter cætera præcipuum, quod *Patronus succedit in bona Liberti*: qua in re sæpe variatum est. Nam, imprimis *Lege 12. tabb.* Patronus liberto, sine liberis defuncto, succedebat ab intestato: in bonis autem testati liberti nihil juris habebat patronus; sive extraneus, sive filius liberti heres institutus fuisset. Sed, *Jure Prætorio*, Patrono concessa fuit bonorum possessio partis dimidiæ, contra tabulas testamenti, quo extraneus heres institutus erat, patrono præterito. Deinde *Lex Papia* quoq; aliqua circa libertorum successionem definivit. Postremo a *Justiniano* statutum est, ut tertia pars Patrono debeatur, contra tabulas, si libertus major centenario, i. e. centum aureos habens, decesserit sine liberis; ab intestato autem consequatur integram hereditatem, nisi jus patronatus liberto remiserit, aut is servus suis numis emtus sit.

Suis numis emi servus improprie dicitur, favore libertatis, cum servus nihil suum habere possit; sed suis numis emi dicitur, quotiescunq; emtor de suo nihil impendit, sed aliunde pretium, venditori præstandum, accepit.

Titulus 5.

Si in fraudem Patroni a Libertis alienatio facta est.

SIcuti ea, quæ debitor in fraudem creditorum suorum alienaverit, revocantur actione Pauliana; ita

Patro-

Patrono, ejusq; heredi, datur *Actio Fabiana*, si libertus, accepti beneficii immemor, testatus decesserit; aut *Calvisiana*, si intestatus: qua revocantur ea, quæ libertus mortis causa alienaverit, aut etiam inter vivos, modo, hoc posteriore casu, in fraudem portionis patrono debitæ, alienatio probetur: nam, altero casu, sufficit imminutam esse patroni portionem, etiam citra liberti fraudem.

Titulus 6.

De Obsequiis Patrono præstandis.

Videndus libri 37. Digestorum titulus 15. *De Obsequiis Parentibus & Patronis præstandis.*

Titulus 7.

De Libertis & eorum Liberis.

Si, contra debita obsequia, Liberti, aut eorum Liberi, sint erga patronos *ingrati*, judicio extraordinario in servitutem retrahuntur.

Titulus 8.

De Jure Aureorum Annulorum, & de Natalibus restituendis.

Libertini ad ingenuitatem beneficio Principis perveniunt duobus modis. *Primus* est, si a Principe jus aureorum annulorum consequantur; de quo est in *libri 40. Digestorum tit. 10. de jure aur. annul.* Alter est, si natalibus restituantur; de quo est in *libri 40. ff. titulo 11. de natal. restit.* Priori modo jus Patronatus non tollitur, sed permanet: tollitur vero modo posteriori.

Titulus 9.

Qui admitti ad Bonorum Possessionem possunt, & intra quod tempus.

Dictum de jure Patronatus, & successione Libertorum: Sequitur de *Successione Ingenuorum*, quæ vel jure Prætorio obvenit, vel Jure Civili. De Prætoria prius agitur, quæ consistit in bonorum possessione.

Bonorum Possessio est jus succedendi, a Prætore impetratum; ac in effectu idem est quod hereditas, neque enim hic possessionis vocabulum accipi debet pro detentione naturali corporis, *uti in tit. de acquir. possess.* sed potius pro jure seu titulo, ad persequendum seu retinendum patrimonium defuncti, sive quamlibet ejus patrimonii rem, quam defunctus habuit mortis tempore.

Filiusfamilias, ignorante patre, bonorum possess. petere potest; quæ ita demum patri proderit, si ratam petitionem habuerit.

Bonorum possessionem, *Pupillo delatam*, vel Tutor Pupilli nomine, vel Pupillus Tutore autore agnoscere potest; Pupillus autem, sine tutore, eam amplecti non potest. Si tamen Judex sciens prudens Pupillo, sine tutoris autoritate postulanti, bonorum possessionem dederit, emolumentum prætoriæ successionis Pupillo acquiretur.

Infantis nomine, non solum tutor, sed etiam pater, & quilibet alius, bonorum possessionem petere potest.

Petendæ bonorum possessionis liberis & parentibus præfinitum est tempus *anni utilis;* cæteris dantur *centum dies utiles*.

Titu-

Titulus 10.
Quando non petentium partes Petentibus accrescant.

VTi jure civili pars deserta accrescit ei, qui hereditatem agnovit, ita & jure Prætorio, *non agnita possessione* a quibusdam, intra definitum tempus, aliis ejusdem gradus, qui eam agnoverunt, accrescit portio deficientium; nec opus iterum adire judicem, sufficit enim una agnitio.

Titulus 11.
De Bonorum Possessione secundum tabulas.

VIdendus libri 37. Digestorum titulus 11. ejusdem inscriptionis,

Titulus 12.
De Bonorum Possessione contra tabulas, quam Prætor Liberis pollicetur.

VIdendus libri 37. Digestorum titulus 4. *De Bonorum Possessione contra tabulas.*

Titulus 13.
De Bonorum Possessione contra tabulas Liberti, quæ Patronis Liberisq; eorum datur.

DAtur bonorum possessio *Patronis, Liberisq; eorum*, adversus testamentum Liberti. *Denegatur* tamen certis casibus: uti si patronus libertum capitali crimine accusavit; si, connivente patrono, libertus cum ancillis vel colonis Principis consortium habuerit: si patronus remiserit jus patronatus, ac liberam testamenti factionem liberto concesserit.

Cessat

Cessat etiam hæc bonorum possessio, si libertus minus centum aureis in bonis habeat. Item, liberi ipsius liberti, patrono præferuntur. Per hanc bonorum possessionem, patronus scripto heredi olim abstulit semissem; sed hodie, ex Justiniani constitutione, capit solum trientem. Sed, si scriptus heres nec adeat, nec bonorum possessionem petat, Patronus assem obtinebit.

Titulus 14.
Vnde Liberi.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 8. *Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, unde Liberi.*

Titulus 15.
Vnde Legitimi, &, Vnde Cognati.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 7. *Vnde Legitimi;* itemq; titulus 8. *Vnde Cognati.*

Titulus 16.
De Successorio Edicto.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 9. ejusdem inscriptionis.

Titulus 17.
De Carboniano Edicto.

VIdendus libri 37. Digestorum titulus 10. ejusdem inscriptionis.

Titulus 18.
Vnde Vir & Vxor.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 11. ejusdem inscriptionis.

Titu-

Titulus 19.

De Repudianda Bonorum Possessione.

IS *repudiat bonorum possessionem*, cui delata est. Unde pupillo delatam, non Tutor, sed Pupillus, tutore autore, potest repudiare, & filio familias delatam, pater repudiare nequit in fraudem filii. Servo tamen delatam, dominus repudiare potest; quia per servum defertur domino, & servus pro nullo habetur.

Qui repudiavit, statim a bonorum possessione repudiata excluditur, licet tempora, ad petendum præstituta, nondum præterierint, ac cæteri admittuntur. Inter hos ipse quoque admittetur, qui repudiavit; v. c. Filius repudiavit bonorum possessionem, Unde liberi; hanc igitur amplius petere non potest. Sed, si alii liberi non sint, agnatis defertur bonorum possessio, Unde legitimi. Ergo idem filius, qui ob repudiationem non potest petere, Unde liberi, recte petet, Unde legitimi: vel, si emancipatus fuerit, & nulli sint agnati, recte petet, Unde Cognati.

Titulus 20.

De Collationibus.

HIc titulus bene inscribitur in plurali numero, de Collationibus, quia complectitur titulum 6. libri 37. Digestorum *de Collatione bonorum*, & tit. 7. ejusdem libri, *de Collatione Dotis*.

Titulus 21.

De Testamento Militis.

VIdendus libri 29. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titu-

Titulus 22.

Qui Testamenta facere possunt, vel non.

VIdendus libri 38. Digestorum titulus 1. *Qui Testamenta facere possunt, & quemadmodum Testamenta fiant.*

Titulus 23.

De Testamentis, & quemadmodum Testamenta ordinentur.

FAcit huc titulus Digestorum jam modo allegatus.

Titulus 24.

De Heredibus instituendis, &, quæ personæ heredes institui non possunt.

VIdendus libri 28. Digestorum titulus 5. *De Heredibus instituendis.*

Titulus 25.

De Institutionibus, & Substitutionibus, seu Restitutionibus, sub conditione factis.

OMnes ultimæ voluntates conditionales in hoc titulo conjunguntur. In Digestis vero, de Conditionibus institutionum & directarum substitutionum, agitur l. 28. t. 7. De Conditionibus autem legatorum & fideicommissorum l. 35. t. 1.

Titulus 26.

De Impuberum & aliis Substitutionibus.

VIdendus libri 28. Digestorum titulus 6. *De Vulgari & Pupillari Substitutione.*

Titulus 27.

De neceſſariis Servis heredibus inſtituendis, vel ſubſtituendis.

HEredes aut ſunt Neceſſarii, aut Sui, aut Extranei. *Neceſſarii*, ſunt ſervi proprii, qui, velint nolint, heredes eſſe coguntur. Olim autem non recte ſervus heres inſtituebatur, niſi cum libertate; quia non eſt teſtamenti factio, niſi cum civibus Romanis. Hodie, non adſcripta libertate, ſervus heres inſtitutus, nihilominus libertatem conſequitur, quia, qui vult conſequens, neceſſario vult & antecedens, uti ſe habet libertas reſpectu hereditatis; niſi tamen conditionem libertati appoſitam implere neglexerit ſervus inſtitutus, nam ſic privabitur & libertate, & hereditate. Caſualis conditio non impleta, relinquit quidem ſervo libertatem ſalvam, ne ei obſit caſus, non tamen hereditatem, quæ ad ſubſtitutum, aut alios devolvitur; niſi hereditas ſolvendo non ſit, tunc enim ſervus eam agnoſcere cogitur.

Titulus 28.

De Liberis præteritis vel exheredatis.

INter cætera, quæ in teſtamento deſiderantur, præcipuum jus eſt, in *Liberis heredibus inſtituendis, aut exheredandis:* atque ſunt quidem liberi Jure Civili Neceſſarii heredes, ſed Jure *Prætorio* beneficium abſtinendi habent.

Inſtitui voluit Lex Liberos heredes, ut hoc modo in iis confirmaretur dominium per voluntatem patris: *Exheredari* vero *eos voluit*, ut ab illo per aliquem actum exteriorem removerentur, ne alias procederet diſpoſitio legis, dominium in liberis continuans.

In Exheredationis Forma variatum. Nam olim *Masculi* nominatim erant exheredandi; *Fœminas* sufficiebat inter cæteros exheredare. *Posthumorum* præteritio rumpebat testamentum nativitate, unde & horum exheredatio admissa; Fœminarum vero inter cæteros, dummodo iis aliquid relinqueretur, ne præteritæ per oblivionem viderentur. *Emancipatorum*, quia extra potestatem erant, non habebat rationem Lex Civilis; at Prætor eos agnovit & suis exæquavit; ideoq; si non instituantur heredes, jussit eos exheredari; masculos quidem nominatim, sive filii, sive nepotes fuerint, fœminas saltem inter cæteros; alioquin eis pollicebatur bonorum possessionem contra tabulas.

Jure Novo mutatio contigit, &, sublata sexus ac potestatis differentia, omnes Liberi, tam fœminæ quam masculi, tam emancipati quam sui, tam nati quam posthumi, sive natura sint liberi, sive lege tantum, sunt heredes instituendi, aut nominatim exheredandi.

Titulus 29.

De Posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis.

VIdendus libri 28. Digestorum titulus 2. *De Liberis & Posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis.*

Titulus 30.

De Jure deliberandi, & de adeunda vel acquirenda hereditate.

EXtranei heredes dicuntur *adire* hereditatem; Sui, vel Necessarii, se *immiscere*, vel acquirere. Videndus *l. 29. ff. tit. 2. de acquir. vel omit. hered.* itemq; *l. 28. tit. ult. de jure deliberandi.*

Titu-

Titulus 31.

De Repudianda vel Abſtinenda Hereditate.

RVrſus, Extranei dicuntur *repudiare* hereditatem, Sui, vel Neceſſarii, *abſtinere*, vel *omittere*. Videndus iterum *libri 29. D. tit. 2.*

Titulus 32.

Quemadmodum Teſtamenta aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur.

VIdendus libri 29. Digeſtorum titulus 3. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 33.

De Edicto Divi Adriani tollendo, & quemadmodum ſcriptus heres in poſſeſſionem mittatur.

AVguſtus Cæſar, extrema fere ætate, duas tulit leges, augendi ærarii cauſa: *Juliam*, de Viceſima hereditatis; & *Papiam*, de Caducis. *Legis Juliæ viceſimalis* duo fuere capita: *Primum*, ut hereditatis teſtamento relictæ pars viceſima ad fiſcum pertineret: quod onus, quia grave, poſteriores Impp. varie ſunt moderati. *Secundum* caput erat, ut teſtamentum ſtatim aperiatur, ne mora fiat creditoribus, aut legatariis, aut fiſco, vectigal illud, id eſt viceſimam ex teſtamento, expectanti. Hæc duo capita confirmata fuere edicto D. Adriani, eo præterea addito, ut heres teſtamento ſcriptus, deſiderans in poſſeſſionem rerum hereditariarum mitti, nonniſi intra annum mittatur, & quidem in earum rerum poſſeſſionem, quas teſtator tempore mortis habuit, non autem earum,

quæ legitimo modo ab alio detinentur. A *Justiniano* ſublatum fuit vectigal illud de viceſima parte præſtanda; quin &, ſublata temporis præſcriptione, introductum, ut heres conſtitutus poſſit a judice competenti quandocunq; mitti in poſſeſſionem earum rerum, quæ teſtatoris fuerunt mortis tempore, poſtquam judici obtulit teſtamentum, non cancellatum, aut imperfectum, ſed ſolemne, quodq; in exteriore figura, ſpecie, & inſcriptione, videatur jure factum. Non obſtat autem, ſi dicatur laborare alio vitio, puta, ſi inofficioſum, vel ob filium præteritum nullius momenti dicatur.

In poſſeſſionem mittitur heres ſcriptus, ſive ex aſſe, ſive ex parte.

Heres ibi in poſſeſſionem mittitur, ubi ſunt res hereditariæ: nec poteſt impediri miſſio in poſſeſſionem per appellationem; hæc enim non recipitur.

Per hanc miſſionem *non fit præjudicium iis, qui controverſiam faciunt heredi ſcripto;* quia nihilo ſecius ea controverſia legitime terminabitur.

Titulus 34.

Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit.

VIdendus libri 29. Digeſtorum titulus 6. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 35.

De his, quibus ut indignis hereditas aufertur, & ad SCtum Silanianum.

H*Eredi aufertur hereditas*, ſi inultam necem defuncti reliquerit; item, ſi, ex parte ſcriptus, teſtamentum falſum dixit per calumniam; nec minus, ſi te-

ſi teſtator in Codicillis, vel per epiſtolam, eum declaraverit indignum, quem in teſtamento heredem ſcripſerat. Idem fit, ſi heres contra SCtum Silanianum prius hereditatem adierit, vel bonorum poſſeſſionem petierit, vel ſe bonis miſcuerit, quam de Servis quæſtio habita ſit, ob teſtatoris necem; qua de re videndus libri 29. Digeſtorum titulus 5. *De SC. Silan. & Claud. & quorum teſtam. non aper.*

Titulus 36.
De Codicillis.

VIdendus libri 29. Digeſtorum titulus 7. *De Jure Codicillorum.*

Titulus 37.
De Legatis.

VIdendi Digeſtorum libri 30. 31. 32.

Titulus 38.
De Verborum Significatione.

QVia non raro accidit, ut vel ex verbis teſtatoris, vel ex ſignificatione expreſſioneq; rerum ab eo legatarum, quid, aut de qua re ſenſerit, dubitetur, ideo in hoc titulo dubiorum quorundam verborum intellectus aperitur; atque notandæ ſunt Regulæ, quæ traduntur *D. de Legatis 3.*

Titulus 39.
Si omiſſa ſit cauſa Teſtamenti.

VIdendus libri 29. Digeſtorum titulus 4. *Si quis, omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hereditatem.*

Titulus 40.

De indicta Viduitate, & Lege Julia Miſcella tollenda.

SÆpe contingit, ut Conjux Conjugi leget ſub conditione, ſi in viduitate permanſerit, ſeu, ſi ad ſecundas nuptias non tranſierit. Hoc caſu Lex *Julia Miſcella* (ſic dicta, ſecundum quosdam, ab auctore Julio Miſcello; ſecundum alios, probabilius ex eo, quod multa, varia & miſcellanea ſimul complectatur) conditionem remittebat, ita ut liceret intra annum Legatum capere, & ad ſecundas nuptias transire, juramento præſtito, quod liberorum procreandorum cauſa id faceret: poſt annum vero legatum concedebat præſtanti *Cautionem Mucianam*, de nuptiis non contrahendis: uti enim in aliis caſibus, ita & in hoc, conditio in non faciendo conſiſtens, impleta videtur, ſi præſtita ſit cautio Muciana. Juſtinianus autem l. 2. & 3. hanc legem ſuſtulit, & omnino conditionem viduitatis remittit. Sed, noviſſime Nov. 22. conſtituit, ut legatum, ſub conditione viduitatis relictum conjugi, intra annum capi non poſſit; poſt annum ita demum capiatur, ſi cautio Muciana præſtita fuerit.

Titulus 41.

De his, quæ Pœnæ nomine, in Teſtamento vel Codicillis, relinquuntur.

VIdendus libri 34. Digeſtorum titulus 6. *De his, quæ pœnæ cauſa relinquuntur.*

Titulus 42.

De Fideicommiſſis.

VIdendus libri 2. Inſtitutionum titulus 23. *De Fideicommiſſariis Hereditatibus*: & ſequens titulus

lus 24. *De singulis rebus per Fideicommissum relictis.*

Titulus 43.

Communia de Legatis & Fideicommissis, & de in Rem missione tollenda.

L*Egata & Fideicommissa habent quædam communia.* 1. Tam ex Fideicommisso, quam ex Legato, dantur tres Actiones, Rei vindicatio, Actio in personam ex testamento, & Actio hypothecaria; sublatumq; est discrimen, quod olim erat inter varia legandi genera, i. e. per Vindicationem, per Damnationem, Sinendi modo, & per Præceptionem. Sublata quoque est solemnis in rem missio, quæ fideicommissi nomine fiebat, cum heres non esset solvendo. 2. Legata & Fideicommissa in omnibus & per omnia sunt inter se exæquata. 3. Si hi, quibus testator optionem reliquit, in eligendo dissentiant, sorti res committitur. 4. Si testator electionem extraneo commiserit, isq; noluerit, vel non potuerit eligere, electio Legatario vel Fideicommissario competit. 5. Rem legatam, vel per fideicommissum relictam, Heres, in damnum Legatarii vel Fideicommissarii, alienare nequit; excepta causa dotis, vel donationis propter nuptias, si forte liberorum legitima, doti vel donationi constituendæ non sufficiat. Nov. 39.

Titulus 44.

De Falsa Causa, adjecta Legato vel Fideicommisso.

LEgatis & Fideicommissis, vel Causa, vel Demonstratio, vel Modus, vel Conditio adjicitur.

Causa, est significatio rationis, quare res quæq; legetur: v. c. Quia me absente Titius negotia gessit, ideo Stichum ei do lego. aut: Rogo, ut post mortem tuam restituas hereditatem meam Titio, quia negotia mea curavit. Quod si hæc causa falsa sit, quia negotia testatoris non gessit, nec ea curavit, nihilominus legatum & fideicommissum debetur; neq; enim in causa adjecta subsistit testatoris mens, sed in mera puraq; liberalitate.

Demonstratio, (de qua Imp. similiter in hoc titulo agit, etsi in Rubrica nulla ejus sit mentio) est rei legatæ designatio: v. c. Equum meum, quem a Sejo emi, do lego. Non vitiat autem legatum falsa demonstratio, quia signandæ rei demonstratio adhibetur. Quod si ergo alio quovis modo intelligi possit, qua de re vel homine senserit testator, nihil interest.

Titulus 45.

De his, quæ sub modo Legata, vel Fideicommissa relinquuntur.

VIdendus libri 35. Digestorum titulus 1. *De Conditionibus, & Demonstrationibus, & Causis, & Modis eorum, quæ in testamento scribuntur.*

Titulus 46.

De Conditionibus insertis tam Legatis, quam Fideicommissis, & Libertatibus.

FAcit huc titulus jam modo allegatus.

Titu-

Titulus 47.

De Vſuris, & Fructibus Legatorum, ſeu Fideicommiſſorum.

DE *Fructibus & Vſuris Legatorum* ita ſtatuitur, ut fructus atq; uſura rerum legatarum, ante aditam hereditatem, cedant heredi; niſi *Vniverſitas*, quæ ex diſtantibus corporibus conſtat, relicta ſit: quia tunc fructus, non ut fructus, ſed ut augmentum, & pars legati corporis, legatarium ex die mortis ſequuntur: veluti equitio legato, incrementa gregis, fœtus accedunt.

Similiter eo caſu fructus ad legatarium ante aditionem pertinent, cum heres aditioni *moram* fecit, quam videtur feciſſe, ſi interpellatus fuerit opportuno loco & tempore. Neque enim tardior hereditatis aditio heredi lucroſa, aut legatario damnoſa eſſe debet; alioqui in legatarii fraudem ſemper tardius hereditatem adiret. At vero, in mora non eſt Heres, ſi juſtam habeat litigandi cauſam, veluti, quod Falcidiam deducere intendit.

Legatis & Fideicommiſſis, propter moram debitoris, accedunt uſuræ & fructus: quamvis enim bonæ fidei non ſint, tamen, quoad uſuras & fructus præſtandos, comparantur cauſis bonæ fidei.

Titulus 48.

De Incertis Perſonis.

OLim legatum aut fideicommiſſum, *Incertis Perſonis* relictum, peti non poterat, niſi ſub certa demonſtratione relictum eſſet: veluti, Qui ex meis agnatis, qui nunc ſunt, primus in Capitolium aſcendet, ei centum do lego. Solutum tamen, non repeteba-

tebatur per condictionem indebiti, tanquam naturaliter deberetur. Hodie, ex Justiniani constitutione, indistincte peti potest, quod incertæ personæ legatum; tutor tamen incertus inutiliter datur.

Titulus 49.

Ad SCtum Trebellianum.

VIdendus libri 36. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 50.

Ad Legem Falcidiam.

VIdendus libri 35. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 51.

De Caducis tollendis.

VT lege Falcidia & SCto Trebelliano legata & hereditates diminuuntur, ita & Lege Papia non solum minuebantur, sed & integra legata & hereditates totæ fisco cedebant, ut impendiis bellorum subveniretur. Lata *Lex Papia*, quæ & Poppæa dicitur, temporibus Augusti, M. Papio Mutilo, & Q. Poppæo Coss. Ejus legis plura fuerunt capita. Imprimis cavebatur, ut decima pars eorum applicaretur Fisco, quæ conjux moriens sine liberis, conjugi reliquisset. Item cavebatur, ut extraneus heres vicesimam hereditatis partem fisco deferret. Cavebatur itidem, ut, si scriptus heres, vivo adhuc testatore moreretur, vel eo mortuo ante apertas tabulas deficeret, nihil ejus heredibus competeret, sed bona omnia tanquam caduca fisco addicerentur, vindicarenturq; legata caduca, & quasi caduca; unde hæc lex *Caducaria* dicta.

Ve-

Verum Justinianus eam legem penitus abrogavit, ut, quod belli calamitas introduxisset, pacis lenitas sopiret.

Titulus 52.

De his, qui ante apertas tabulas Hereditatem transmittunt.

LEx Papia onera quædam induxerat in testamentis, & inter cætera vicesimæ vectigal: h. e. si quis heres institutus fuisset, is, priusquam hereditatem adiret, vicesimam ejus partem fisco dare cogebatur.

Huic legi ne qua fraus fieret, ante apertas a Judice tabulas, nulla hereditas adiri poterat, eaq; *non adita minime transmittebatur ad successores instituti heredis*, sed cadebat in fiscum: quoniam ea præsumitur instituentis voluntas esse, ut illi, quem instituit, solum consultum velit. Quo pertinet juris regula, quod, cum nihil juris penes heredem fuerit ante aditionem, nihil possit transmittere, *l. 54. D. de R. J.* Sed excipiuntur relicta liberis testatoris; hæc enim illi indistincte ad liberos suos transmittunt.

Titulus 53.

Quando dies Legati vel Fideicommissi cedit.

VIdendus libri 36. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 54.

Vt in Possessionem Legatorum vel Fideicommissorum causa mittatur, & quando satisdari debeat.

VIdendus libri 36. Digestorum titulus 4. *Vt in possessionem Legatorum vel Fideicommissorum*

ſervandorum cauſa eſſe liceat. Itemq; ejusdem libri titulus 3. *Vt Legatorum ſeu Fideicommiſſorum ſervandorum cauſa caveatur.*

Titulus 55.
De Suis & Legitimis liberis, & ex Filia Nepotibus, ab inteſtato venientibus.

POſt ſucceſſionem teſtamentariam, recto ordine agitur de *Succeſſione Legitima*; cujus duo ſunt ordines: In *primo ordine* vocantur Sui & Legitimi heredes, nec non, qui pro ſuis habentur, ut Nepotes ex filia, & cæteri deſcendentes ex fœminis.

Sui & Legitimi, *conjunctim* accipiendi in hac rubrica, non disjunctim, ut alibi.

Deſcendentibus ex fœminis, ſi concurrant cum ſuis heredibus, tertia pars jure Codicis adimitur, eaque ſuis heredibus attribuitur. Sed, noviſſimo jure Nov. 18. conſtitutum, ut, ſublata tertiæ partis detractione, æque deſcendentes ex fœminis ſuccedant, ac deſcendentes ex maſculis.

Titulus 56.
Ad Senatusconſultum Tertullianum.

VIdendus libri 38. Digeſtorum titulus 17. *Ad SC. Tertullianum, & Orphitianum.*

Titulus 57.
Ad SCtum Orphitianum.

FAcit huc titulus Digeſtorum jam modo allegatus.

Titulus 58.
De Legitimis Heredibus.

VIdendus libri 3. Inſtitutionum titulus 2. *De Legitima Agnatorum Succeſſione.*

Titu-

Titulus 59.

Communia de Successionibus.

F*Requenter Specialibus tractatibus subjiciuntur quædam Communia*; ceu ostendunt tituli: Communia prædiorum: Communia utriusq; judicii: Communia de legatis: Commumunia de manumissionibus: Communia de Usucapionibus.

Communia Successionum sunt hæc: 1. Non potest eidem succedi ex testamento & ab intestato, nisi sit Miles. 2. Quamdiu spes est successionis testamentariæ, tamdiu cessat successio ab intestato. 3. In successione ab intestato, major habetur ratio ordinis heredum, quam gradus. Nempe nepos, qui est in tertio gradu, præfertur Fratri, qui est in secundo gradu; quia nepos vocatur in primo ordine, frater in secundo. 4. Ab intestato successio non defertur Affini, Educatori, Hospiti. 5. Servus successores habere non potest.

Titulus 60.

De Bonis Maternis, & materni generis.

HActenus dicta de Successionibus, spectant potius ad Patres familias, quam ad Filios familias; hi enim non tam hereditatem, quam bona aut *Peculia* relinquunt, quæ sunt vel Militaria, ut Castrensia, & quasi; vel Pagana, ut Profectitia, & Adventitia. Illorum plenum dominium est apud filios, quia eorum respectu sunt patres familias, ut recte super iis testentur; ab intestato autem Pater superstes ea occupat jure peculii.

In

In Peculio Profectitio heredem nullo modo habere potest filiusfamilias, quia est Patris pleno jure. Eadem quondam erat ratio *Peculii Adventitii*, quin & etiamnum occupatur a patre jure potestatis & peculii. Sed, in eo est differentia, quod Profectitium pleno jure est patris, in Adventitio pater habet nudum usumfructum, proprietas filio reservatur. Id primo fuit constitutum de *Bonis Maternis*, id est, quæ mater filiis reliquit; secundo, *in bonis materni generis*, id est, quæ ab avo, vel ab avia, vel ab aliis ascendentibus, per lineam maternam, profecta sunt.

Titulus 61.

De Bonis, quæ Liberis in potestate Patris constitutis, ex Matrimonio, vel alias acquiruntur; & eorum administratione.

E*A, quæ Filiusfamilias acquirit ratione Matrimonii*, eodem jure censentur cum bonis maternis, & materni generis, ut scilicet in illis patri tantum ususfructus concedatur, exceptis iis, quæ Filius vel Filia a patre donationis propter nuptias, vel dotis causa accepit: hæc enim soluto matrimonio ad ipsum Patrem, qui dedit, jure proprietatis redeunt, sunt enim profectitia.

Bonis Nuptialibus comparantur ea, quæ a *Sponso Sponsæ donata sunt*, ut etiam non aliter, quam quoad usumfructum, patri acquirantur. Id Justinianus produxit ad *Adventitia omnia*, quæ liberi vel sua industria, vel aliorum liberalitate consequuntur, ut similiter eorum ususfructus apud patrem permaneat, dominium autem filiisfamilias inhæret.

Titu-

Titulus 62.

De Hereditatibus Decurionum, Navicula-riorum, Cohortalium militum, & Fabricensium.

D*Eficientibus omnibus Heredum Ordinibus*, id est, si neque ex testamento sit successor aliquis, neque ab intestato, quia neque Suus heres sit, neque Legitimus, neque Cognatus, neque Conjux, bona tanquam vacantia Fisco deferuntur. Sed, *excipiuntur hoc titulo quædam personæ*, quæ, quia in aliquo corpore sive universitate sunt, placuit Fisco, illud corpus præferri. Cessantibus enim testamentariis & legitimis successoribus, *Decurioni* succedit Curia; *Naviculario*, corpus Naviculariorum; *Cohortali*, id est præsidis apparitori, cohortales; *Militi*, legio, aut vexillatio, seu cuneus, in quo militabat; *Fabricensi*, Fabricenses: hi sunt, qui publice armorum faciendorum munere funguntur.

CODICIS
LIBER VII.

Titulus 1.

De Vindicta libertate, & apud Concilium manumissione.

F*Vit olim duplex Libertas*, quam servi manumissi acquirebant; una *Perfecta*, nempe eorum, qui fiebant Cives Romani; altera *Imperfecta*, quam habebant Liberti Latini, & Dedititii.

Perfecta Libertas acquirebatur tribus modis, Censu, Vindicta, Testamento. *Censu*, quando servi, jussu dominorum, inter Cives Romanos censum profite-ban-

bantur: qui modus jam tempore Neronis in usu esse desiit, & in ejus locum a Constantino substitutus modus manumittendi in Ecclesia. *Vindicta* manumissus dicebatur, qui solenniter, apud Prætorem, virgula, quam vindictam vocabant, percussus, liber fiebat: hac enim virga Prætoria tangebatur rasum caput servi, qui rotatus, & in gyrum circumductus, pileum acciepiebat, libertatis signum.

Fiebat hujusmodi manumissio, regulariter sine caussæ cognitione, quandoq; tamen *apud Concilium*, id est convocatis a Consule, Prætore, vel Præside provinciæ Consiliariis, & causa justa coram iis probata: uti cum minor 20. annis servum suum vindicta manumittere volebat. Etenim, cum libertas sit res inæstimabilis, & semel data non possit revocari, ideo non temere, nec a quovis tribuebatur; sed prius causa manumittendi a Judicibus examinabatur, a quibus, si probaretur, non revocabatur libertas, etiamsi decretum judicum ex falsa causa interpositum diceretur.

Titulus 2.

De Testamentaria Manumissione.

VIdendus libri 40. Digestorum titulus 4. *De Manumissis Testamento.*

Titulus 3.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

LEx Fusia Caninia, Augusti temporibus lata, modum imposuit libertatibus testamento relictis, ita nimirum, ut in testamento, a duobus servis usque ad decem, liceret dimidiam eorum partem manumittere; a decem usque ad triginta, tertiam; a triginta usque ad centum, quartam; a centum usque ad quingentos, quin-

quintam; & deinceps ultra centum, non esset licentia servos manumittendi. Nimirum coërcenda videbatur morientium libertas, ne heredibus parum relinquerent.

Justinianus legem Fusiam Caniniam sustulit, quia impediebat libertatem, cujus magnus favor est, cum Reip. intersit abundare liberis hominibus.

Titulus 4.

De Fideicommissariis libertatibus.

L*Ibertates non solum jure directo, sed & per Fideicommissum relinqui possunt*, & quidem largius, quam directo: nam, non tantum proprio, sed & alieno servo per fideicommissum libertas dari potest; atque cogitur heres servum alienum justo pretio redimere, & ad libertatem perducere. Quod si dominus oblato justo pretio nolit illum vendere, expectandum erit, donec emendi occasio detur. Placuit etiam ei, qui in utero est, jure tam directo, quam per fideicommissum, libertatem relinqui posse.

Minor tamen 20. annis, nec jure directo, nec per fideicommissum, libertatem supremis tabulis relinquere potest, nisi ex justa causa id faciat, quam in concilio probare potuisset, si inter vivos manumisisset. Sed hodie ea ætate, qua quis testamentum facere potest, potest & libertatem relinquere.

Titulus 5.

De Dedititia libertate tollenda.

EX jure veteri *Libertinorum status erat tripertitus*, cum Ingenuorum unus esset. Nam, qui manumittebantur, modo majorem & perfectam consequebantur libertatem, & fiebant *Cives Romani*; modo mediocrem, & fiebant *Latini Juniani*, qui quidem liberi

liberi erant, ſed non cives Romani; modo inferiorem, & fiebant *Dedititii*, ex L. Ælia Sentia, ita dicti ab hoſtium ſimilitudine, qui ſe ſuaq; victi dediderant. Namq; hi, ante manumiſſionem, quoquo modo factam, vinculis in ergaſtulo vincti fuerant a domino, pœnæ cauſa, propter delictum, vel torti, vel traditi, ut cum beſtiis depugnarent. Neque hi, ut Latini, adſpirare ad civitatem Romanam poterant, ſed toto vitæ tempore ſervitutis jugo premebantur, ac demum poſt mortem, cenſebantur liberi, & peculium eorum cedebat heredibus, non autem patronis.

Juſtiniano placuit unum eſſe libertatis genus; itaq; omnes libertos in civitatem Romanam retulit, & hoc titulo libertatem dedititiam ſuſtulit e medio.

Titulus 6.

De Latina libertate tollenda, & per certos modos in Civitatem Romanam transfuſa.

Latinam Libertatem hoc titulo tollens Juſtinianus, conſtituit, ut quibus modis olim fiebant manumiſſi Latini, id eſt, ſi inter amicos, vel per epiſtolam manumitterentur, his modis hodie fiant cives Romani. Noviſſime autem conſtituit, ut omnes manumiſſi non ſolum ſint cives Romani, ſed etiam ingenui, ſalvo jure Patronatus. Nov. 78.

Titulus 7.

De Communi Servo manumiſſo.

Si unus, ex duobus dominis, ſervum communem manumittat, jure veteri partem ſuam amittebat, eaque ſocio accreſcebat, videlicet, ſi vindicta, vel cenſu, vel teſtamento manumittat; nam, aliter manumittendo, nihil actum.

Ex Justiniani constitutione, servus, quocunq; modo ab uno ex dominis manumissus, liber fit; sociis autem manumissor, pro illorum partibus, quas vendere coguntur, justum pretium præstare tenetur.

Titulus 8.
De Servo pignori dato manumisso.

D*Ominus, qui Servum suum specialiter pigneravit,* non potest eum invito creditore manumittere, sive sit solvendo, sive non solvendo. Qui vero generali rerum suarum hypotheca servum quoque est complexus, eum nihilominus manumittere potest.

Titulus 9.
De Servis Reipublicæ manumittendis.

P*Ossunt quoq; Servi Reip. & cujusvis Universitatis, decreto totius ordinis, manumitti.* Ea manumissione perveniebant ad civitatem Romanam, & poterant justas nuptias contrahere, atq; Liberi ex iis procreati, ingenui nascebantur.

Titulus 10.
De his, qui a non-domino manumissi sunt.

Q*Vi non est Servi dominus*, non potest eum directo manumittere, nisi domino consentiente, vel ratum habente; per fideicommissum autem potest.

Titulus 11.
Qui manumittere non possunt, &, ne in fraudem Creditorum manumittatur.

I*Nterdum dominus non potest servum suum ad libertatem producere*, veluti si in fraudem Creditorum, contra legem Æliam Sentiam, manumittere velit.

Titulus 12.

Qui non possunt ad Libertatem pervenire.

Q*Vidam frustra manumittuntur*, quia non possunt ad libertatem pervenire, sed post manumissionem servi manent: uti damnati ad perpetua vincula, & quos dominus in testamento prohibuit manumitti.

Titulus 13.

Pro quibus causis Servi pro præmio libertatem accipiunt.

QVod superiori titulo dicitur, quosdam servos non posse manumitti, id Exceptionem patitur, *nisi, ob aliquod factum, servi pro præmio libertatem accipere debeant*, uti si raptorem virginis, vel desertorem militiæ detexerint.

Titulus 14.

De Ingenuis manumissis.

I*Ngenuus manumissus* non fit libertinus, sed manet ingenuus, quia manumissio natalibus non officit.

Titulus 15.

Communia de Manumissionibus.

N*Ova quædam omnibus Manumissionibus communia, hoc titulo constituuntur.* 1. Si tam Proprietarius, quam Fructuarius, servo libertatem dederint, liber fit pleno jure. Proprietario solo manumittente, fit quidem liber, & manumittentis libertus, sed, quam diu usufructus durat, apud Fructuarium manet, quasi servus. Fructuario solo libertatem tribuente, manet servus Proprietarii; sed, nisi Fructuarius ei ces-

cesserit usumfructum, servus ei servire, quam diu Fructuarius vivet, non cogetur. 2. Parentes per quoscunq; liberos manumittere servos suos possunt. 3. Minor 30. annis, quocunq; modo manumissus, fit civis Romanus. 4. Si quis, sine uxore constitutus, ancillam in concubinatu habuit, nisi de ea tanquam serva disposuerit, moriens censetur ei tacite libertatem relinquere, nec non liberis, si quos ex ea procreavit.

Titulus 16.

De Liberali causa.

VIdendus libri 40. Digestorum titulus 12. ejusdem inscriptionis.

Titulus 17.

De Assertione tollenda.

CVm quis servus dicitur, quia servus nec per se, nec per procuratorem in judicio stare potest, opus fuit *Assertore*, qui suo periculo causam ageret, & satisdaret judicio sisti, &, res salvas fore, quas is tenet, qui servus esse dicitur. Sed *Justinianus hoc titulo Assertionem tollit*, ei, qui ex libertate in servitutem vindicatur, permittens, per se, vel per procuratorem, litigare; ei vero, qui ex servitute in libertatem asseritur, per se causam agere.

Titulus 18.

Quibus ad Libertatem proclamare non licet, & de Rebus eorum, qui ad Libertatem proclamare non prohibentur.

PEculium, seu bona ejus, qui de suo litigat, apud *Sequestrum* deponuntur, si ex servitute proclamet in libertatem.

Titulus 19.

De Ordine Cognitionum.

JVdicium Liberale vocatur *Præjudicium*, quia, ſi cum alio quocunq; , ſive civili, ſive criminali, concurrat, ante illud agitatur, eiq; præjudicium facit.

Titulus 20.

De Colluſione detegenda.

VIdendus libri 40. Digeſtorum titulus 16. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 21.

Ne de Statu Defunctorum poſt quinquennium quæratur.

VIdendus libri 40. Digeſtorum titulus 15. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 22.

De longi temporis Præſcriptione, quæ pro Libertate, & non adverſus Libertatem opponitur.

Q*Vi longo tempore*, i. e. annis decem inter præſentes, 20. inter abſentes, ſine interpellatione, *in poſſeſſione fuit libertatis*, bona fide, & juſto titulo, ut manumiſſione, ille eſt tutus ab omni expugnatione, & ſervitutis exprobratione. Secus ſe res habet, ſi mala fide fuit in poſſeſſione libertatis: unde ſervo fugitivo, qui ſe occulte pro libero geſſit, non prodeſt longi temporis præſcriptio.

Contra libertatem, ut, qui ingenuus eſt, conſtituatur ſervus, nihil ſola temporis longinquitas, etiamſi 60. annos exceſſerit, quicquam poteſt.

Titu-

Titulus 23.

De Peculio ejus, qui Libertatem meruit.

INter vivos manumisso, *peculium, nisi adimatur*, tacite concessum videtur: in ultima voluntate manumisso, nisi expressé fuerit relictum, tacite censetur ademtum. Nempe, manumittens inter vivos, cum peculium nec sibi retineat, nec alii det, videtur id servo donare: in ultima voluntate, peculium, cum universo jure, ad heredem quis transmittere censetur.

Titulus 24.

De SCto Claudiano tollendo.

SVblatum est a Justiniano *SC. Claudianum*, quo cavebatur, ut mulier se alieno servo jungens, post trinam domini denunciationem, ejus dominio, una cum suis bonis, subjiceretur.

Titulus 25.

De nudo jure Quiritium tollendo.

T*Riplex Veteribus fuit Dominium:* Naturale, Legitimum, & Plenum. *Naturale*, dicebatur esse in bonis, unde dominus dicebatur Bonitarius. *Legitimum*, jure Quiritium seu Romanorum acquirebatur. *Plenum*, ejus erat, qui & legitimum & naturale dominium simul habebat. Verbi causa, cui servus venditus & emancipatus erat, is erat pleno jure dominus, &, si eum alteri venderet, & sine emancipatione traderet, nudum dominium retinebat jure Quiritium, emtor autem servum in bonis habebat.

Justiniano displicuit illa differentia dominii, ita, ut hodie unusquisq; sit plenissimus & legitimus dominus servo-

ſervorum ſuorum, & aliarum rerum, quæ ad ſe pertinent.

Titulus 26.

De Vſucapione pro Emptore, vel pro Transactione.

VSucapere, idem eſt, quod uſu, h. e. poſſeſſione diuturna capere.

Ad Vſucapionem complendam requiritur 1. ut res ſit in commercio, & omnino talis, ut acquiri poſſit. 2. Vt Poſſeſſio non ſit interrupta. 3. Vt Poſſeſſio ſit juſta; juſta autem erit, ſi eam comitetur bona fides, & juſtus titulus.

Titulus, eſt juſta cauſa poſſeſſionis, ſeu jus, quo aliquid poſſidetur. Ejusmodi titulus eſt *pro Emptore*, quando res a non domino bona fide eſt emta & tradita.

Titulus pro Transactione eſt, ſi a non domino bona fide res ſit tradita, ex cauſa transactionis, aut ex eadem cauſa, non domino conſentiente, retenta ſit; cum cenſeatur a lite decedens, id jus, quod habet, in alium transferre.

Titulus 27.

De Vſucapione pro Donato.

VIdendus libri 41. Digeſtorum titulus 6. *Pro Donato.*

Titulus 28.

De Vſucapione pro Dote.

VIdendus libri 41. Digeſtorum titulus 9. *Pro Dote.*

Titu-

Titulus 29.

De Vſucapione pro Herede.

VIdendus libri 41. Digeſtorum titulus 5. *Pro Herede vel Poſſeſſore.*

Titulus 30.

Communia de Vſucapionibus.

Q*Vatuor in omnibus uſucapionibus requiruntur:* 1. Vt res poſſit uſucapi. 2. Continuata poſſeſſio, per tempus lege definitum. 3. Bona fides. 4. Juſtus titulus.

Titulus 31.

De Vſucapione transformanda, & ſublata differentia rerum mancipi, & nec mancipi.

EX quatuor illis, quæ ad uſucapionem requiruntur, duo poſteriora nunc obtinent, proût olim obtinuerunt: *duo priora ſunt a Juſtiniano transformata*, jure antiquo correcto & emendato, per conſtitutionem hujus tituli.

Nempe, quod *ad Rerum Vſucapionem* attinet, *prædia provincialia* olim non poterant uſucapi, ſed ex Juſtiniani conſtitutione poſſunt. Deinde, quod ad *tempus* poſſidendi attinet, olim res mobiles uſucapiebantur anno, immobiles triennio. Hodie res mobiles triennio, immobiles inter præſentes decennio, inter abſentes annis 20. uſucapiuntur.

Res mancipi dicebantur, quæ mancipari poterant; *nec mancipi*, quæ mancipari non poterant. *Mancipatio*, erat alienatio, quæ certis verbis fiebat, libripende & quinq; teſtibus præſentibus. *Res mancipi*, erant

prædia in solo Italico, tam rustica, quam urbana; servitutes prædiorum rusticorum; servi; quadrupedes, quæ dorso collove domantur, ut boves, muli, equi, asini; cæteræ res nec mancipi erant. Elephanti quoq; & Cameli, quamvis collo dorsove domentur, tamen mancipi non sunt, quia inter feras bestias referuntur.

Quoniam igitur prædia Italica, quæ mancipi erant, usucapi poterant, provincialia vero, quæ nec mancipi erant, usucapi non poterant; apparet, in rerum immobilium usucapione differentiam fuisse inter res mancipi & nec mancipi, tametsi in rebus mobilibus nullum esset discrimen. Cum autem Justinianus constituerit, prædia provincialia posse usucapi, jam, quod ad usucapiones attinet, nulla est omnino inter res mancipi & res nec mancipi differentia: imo Imperator hanc rerum distinctionem in totum sustulit.

Titulus 32.

De Acquirenda & Retinenda Possessione.

VIdendus libri 41. Digestorum titulus 2. *De acquirenda vel amittenda Possessione.*

Titulus 33.

De Præscriptione longi temporis decem vel viginti annorum.

QVamvis *Prædia extra Italiam* jure civili usucapi non potuerint, Prætor tamen, æquitate id exigente, eos, qui talia prædia cum titulo & bona fide possedissent, si ab aliis in jus vocati essent, tuebatur, data eis exceptione, quæ præscriptio longi temporis vocabatur. Quin, etsi possessione excidissent, dabat eis Vtilem actionem in rem, qua non tam rei dominium, quam rei utilitatem, vindicabant. Itaque *Vsucapio*

ll. 12. tabb. introducta est, *Præscriptio* Jure Prætorio. Illa, directum dominium adjicit; hæc, non dominium, quod a Prætore dari non potest, sed exceptionem ex æquitate suppeditat.

Præscriptio igitur hoc loco, est exceptio, ex certi temporis possessione competens: quæ quidem, tanquam genus, plures species complectitur.

Prima species est, præscriptio longi temporis.

Longum tempus, dicitur decennium inter præsentes; vicennium inter absentes.

Præsens dicitur, qui in eadem provincia cum parte adversa domicilium habet, ut conveniri, & interrumpi possit possessio, sive res ibi sit, sive alibi.

Absens dicitur, qui in aliena provincia habet domicilium.

Titulus 34.

In quibus causis cessat longi temporis Præscriptio.

EXceptio, quæ longi temporis præscriptio dicitur, habet tantum locum in immobilibus, *non item in personalibus*; uti familiæ ercifcundæ, & communi dividundo, judicio non præscribitur. Etsi enim in rem tendunt, habent tamen multum personalitatis.

Cessat item præscriptio in iis, qui non tam possident, quam detinent: uti Colonus, Depositarius, Commodatarius non præscribunt, cum careant bona fide, & alieno nomine possideant, nec facerent, si suo nomine vellent possidere, cum non possint sibi mutare causam possessionis. Cessat præterea hæc præscriptio *in eo, qui non possedit animo domini:* veluti, si quis sumtibus suis vulneratum servum curaverit, existimans liberum esse, non poterit dominum vindicantem rejicere, non enim servum pro derelicto habuit.

Titulus 35.

Quibus non objicitur longi temporis Præscriptio.

RAtione Personarum, longi temporis præscriptio cessat in *minore* 25. *annis*, quia in integrum restitui potest; cessat in *Militibus*, in expeditione occupatis; in *Absentibus* Reip. causa; itemq; *Captivis*.

Notandum, de præscriptione subduci tantummodo tempus minoris ætatis, vel expeditionis, vel captivitatis, vel absentiæ; residuum vero ad præscribendum computari.

Titulus 36.

Si adversus Creditorem Præscriptio opponetur.

IN *creditore, agente actione hypothecaria, specialis adhibetur distinctio.* Aut enim agit contra extraneum bonæ fidei Possessorem, aut contra extraneum malæ fidei Possessorem, aut contra Debitorem, sive heredem debitoris, aut contra posteriorem Creditorem. Primo casu, longi temporis præscriptione summovetur; in reliquis casibus, est locus præscriptioni longissimi temporis, i. e. 30. vel 40. annorum.

Titulus 37.

De Quadriennii Præscriptione.

PRæscriptio Quadriennii datur primo contra Fiscum, bona quasi vacantia petentem. Currit autem quadriennium a die, quo bona vacare cœperunt. 2. *Datur* Fisco: is enim qui a Fisco aliquid alienum accepit, titulo emtionis, vel alio justo, statim ipso jure securus

rus est, adversus dominum & creditorem hypothecarium: sed in Fiscum, intra quadriennium, Domino rei, vel Creditori, qui in ea jus Hypothecæ habuit, actio competit, quasi dolo desierit possidere.

Titulus 38.

Ne Rei dominicæ, vel Templorum vindicatio, temporis Præscriptione submoveatur.

B*Ona Principis*, quædam sunt Fiscalia, quædam vero Patrimonialia. Fiscalia, non sunt proprie Principis, sed ipsius Principatus. At, Res Dominicæ, proprie sunt in privato Principis patrimonio.

Contra Domum autem Principis, neque annalis, neque alia præscriptio temporalis datur, ad summovendam vindicationem rei dominicæ, id est, rei ad privatum Principis patrimonium pertinentis.

Quod *de Templis* additum in rubrica, in nulla hujus tituli lege tractatur. A veteribus Interpretibus ita accipitur, vindicari res dominicas & res templorum quocunq; tempore. Sed Cujacius intelligit vindicationem templorum, quæ ad paganos pertinuerant, & juris publici, vel rei privatæ esse cœperunt.

Titulus 39.

De Præscriptione triginta vel quadraginta annorum.

P*Ræscriptio longissimi temporis*, i. e. 30. vel 40. annorum, novis legibus inducta est, cujus non meminerunt jura Pandectarum, & priora Codicis Justinianei. Et proinde, quæ propter malam fidem, vel de-

defectum tituli, impræſcriptibilia dicebantur, nunc longiſſimi temporis lapſu præſcribuntur: veluti res furtivæ, item vi poſſeſſæ. *Conductori* tamen hæc poſſeſſio minime procedit, cum talis non ſuo, ſed alieno nomine poſſideat.

Proinde jure Codicis, non habita ratione bonæ vel malæ fidei, aut tituli, omnes actiones perſonales, velut Mutui, Commodati, Emti, Depoſiti, & ſimiles, 30. annorum ſpatio præſcribuntur. Nimirum, in his nulla ſubeſt res corporalis, cujus uſu obligatio perimatur, ſed tantum eſt negligentia creditoris, ſibi debitum non petentis, cui proinde tardius præjudicatur.

Actiones, quæ 30. annis non tolluntur, per annos 40. finem capiunt. Talis eſt vindicatio in ſervitutem. Si quis enim 40. annis mala fide in poſſeſſione libertatis fuit, ſi in ſervitutem vindicatur, recte ſe præſcriptione 40. annorum defendet. Deinde, hujus generis eſt vindicatio fiſcalis, qua fiſcus ea, quæ habuit & amiſit, vindicat, hac enim præſcriptione 40. annorum repellitur. Iſta tamen præſcriptio, uti nec ulla alia, aliis publicis cauſis non nocet; uti ſi tributa Principis petantur, vel Adſcriptitii, vel Metallarii.

Titulus 40.

De annali Præſcriptione Italici contractus tollenda, & de diverſis temporibus, & Exceptionibus, & Præſcriptionibus, & Interruptionibus.

A*Nnalis Præſcriptio*, olim in contractibus Italicis locum habebat: nam, quibus actionibus in provinciis præſcribebatur 30. annis continuis, in Italia præſcribebatur anno utili. Hanc præſcriptionem ſuſtu-

ſuſtulit Juſtinianus, conſtituens, ut etiam ex contractibus, in Italia factis, perſonales actiones durent 30. annos.

Expoſitis ſpecialiter variis Præſcriptionibus, ſubjiciuntur, methodo Imperatori Juſtiniano familiari, *quædam omnibus præſcriptionibus communia.*

Notandum ergo 1. Præſcriptiones ſumi ex diverſis temporibus; de quibus eſt in libri 2. Digeſtorum titulo 12. *de feriis dilat. & diverſ. temp.* 2. Notandum, præſcriptionem ſub ſe complecti multas ſpecies, ſupra expoſitas, & eſſe ſpeciem exceptionis. 3. Notandum, præſcriptioni contrariam eſſe interruptionem. Omnis enim præſcriptio continuatam, non interruptam, poſſeſſionem requirit.

Titulus 41.

De Alluvionibus, & Paludibus, & Paſcuis, ad alium ſtatum translatis.

AD eum, qui fundum præſcripſit, pertinet etiam, *quod per Alluvionem fundo quomodocunq; acceſſit,* fundum enim ſequitur, & neque ad fiſcum, neque ad alium pertinet ullo modo, neq; ſeparatum cenſetur.

Quia alluvionis incrementum valde eſt inconſtans, ideo, aucto prædio per alluvionem, *ei novum tributum indici non poteſt:* nimis enim incerta eſt ea poſſesſio; certæ autem, non incertæ poſſeſſioni indicitur tributum.

Hanc immunitatem meretur is, qui ſuis ſumtibus, cura vel ſolicitudine, *locum paluſtrem*, ac ſylveſtrem, ad culturam redegit.

Si *per Inundationem* priſcis dominis imminutum eſt prædium, eatenus diminuitur tributum ante impoſi-

positum, & quatenus novis dominis est auctum, augetur etiam tributum.

Titulus 42.

De Sententiis Præfectorum Prætorio.

TAnta est *Præfecti Prætorio autoritas*, ut instar Principis sententiam ferat, a qua appellatio non conceditur, sed tantum supplicatio. Etenim, qui appellat, quodammodo conqueritur de sententiæ iniquitate, non vero is, qui supplicat, cum ad clementiam Principis confugiat.

Erit *Supplicatio Principi per libellum proponenda*, eo fine, ut causa tota ex integro cognoscatur, & comperto errore retractetur sententia Præfecti, non, quamdiu in magistratu est, sed postquam eo functus est, & successorem accipit, intra biennium.

Titulus 43.

Quomodo, & Quando Judex sententiam proferre debeat, præsentibus Partibus, vel una Parte absente.

QVo *Sententia valeat*, *regulariter requiritur*, *ut coram utraq; Parte dicatur* : quia tantum inter præsentes valet; nisi quis post litem contestatam absit, tunc enim eo absente sententia ferri poterit.

Hoc autem casu *sex* imprimis observare oportet. 1. Ne judicetur die feriata. 2. Ne alio loco sententia pronuncietur, quam eo, quem judex præscripsit. 3. Ne absens, sit Pupillus indefensus, vel Adultus sine curatore. 4. Ne ob necessariam & inevitabilem causam absit. 5. Vt primum ternis literis vel Edictis, aut uno pro omnibus vocetur, deinde cognitionis die

die citetur voce præconis. 6. Ne abſens damnetur tanquam contumax, qui, non eſt contumax.

Contumax eſt, qui tribus Edictis propoſitis, vel uno pro tribus, quod Peremtorium appellatur, literisve evocatus, præſentiam ſui facere contemnit.

Cum una parte præſente judicatur, non eſt omnino judicandum ſecundum præſentem, ſed ſecundum eum, qui bonam cauſam habet; proinde etiam abſens interdum vincet.

Titulus 44.

De ſententiis ex Periculo recitandis.

JUdex ſententiam ex libello ſeu ſcripto recitare debet: is *Periculum*, ſeu, ut eſt in aliis libris, *Breviculum* appellatur.

Ergo *Sententia ipſo jure non valet*, nec opus eſt, ut appellatione reſcindatur, ſequentibus caſibus. 1. Si dicta fuerit, non lecta; niſi levis cauſa ſit, præſertim vilium perſonarum. 2. Si libellus ſit editus litigatoribus, non lectus a judice. 3. Si recitata ſit ſententia ab alio, quam a judice; niſi judex ſit Illuſtris, quales per officiales, vel miniſtros ſuos, eam recitare poſſunt. 4. Si non publice, ſed in ſecreto loco, non præſentibus officialibus, a judice recitata.

Sed hæc in ſententiis definitivis obtinent; non autem in interlocutionibus judicum.

Titulus 45.

De Sententiis & Interlocutionibus omnium Judicum.

S*Ententia*, eſt ipſa judicis pronunciatio, ſic dicta, quia, quod ſentit, ſuper re propoſita declarat.

Sen-

Sententia, alia est *Definitiva*, quæ finem imponit controversiæ motæ, vel toti, vel parti ejus. Alia est *Interlocutoria*, quæ & interlocutio hic vocatur, & improprie sententiæ nomine dicitur, cum sit pronunciatio judicis, super incidenti quodam articulo, in exordio, mediove litis occurrente, interposita, principale negotium plerunq; non definiens, neq; determinans; ideo retractari & corrigi potest.

Titulus 46.

De Sententia, quæ sine certa quantitate prolata est.

JVdex curare debet, ut, quatenus potest, *sententiam certam ferat*, licet petitio incerta sit, si quidem per acta sequentia ad certitudinem redacta est. v. c. Qui petit id, quod sua interest, rem incertam petit, sed quia pendente judicio probatur, quanti intersit, idcirco in summam probatam, quæ certa est, condemnare judex debet. Cum igitur judex sententiam certam ferre potest, incerta sententia non valet: veluti si dicat: Debitam quantitatem solve.

Hæc vero sententia valet, qua *Reus jubetur usuras solvere, donec sortem solvat*; quamvis incertum sit quamdiu usuræ current. Item valet sententia incerta, cum quis hereditatis vel rei partem petit.

Titulus 47.

De Sententiis, quæ pro eo quod interest proferuntur.

C*Vm id quod interest petitur*, probatione Actoris, & sententia Judicis, certum & liquidum fieri debet.

Ejus

Ejus quod interest appellatione significatur utilitas, quæ nobis adversarii culpa abest, eo quod damnum passi sumus, aut lucrum non fecimus. Itaq; interesse spectatur, vel in damno emergente, vel in lucro cessante.

Interesse spectatur, vel ex negotio certo, uti venditione fundi, quia certum est pretium, & certa res vendita: *vel ex negotio incerto*, uti ex stipulatione facti, ex qua, nisi id fiat quod promissum est, debetur id quod interest.

Priori casu, vetat Justinianus interesse æstimari ultra duplum: v. c. Si quis fundum vendidit centum aureis, interesse ob pretium tardius solutum æstimari poterit intra, non ultra summam ducentorum aureorum, in quo duplo simplum inest. Posteriori casu, suo arbitrio judex æstimabit, quanti revera intersit, &, in dubio, inclinabit in minoris summæ condemnationem.

Titulus 48.

Si a non competente Judice judicatum esse dicatur.

SEntentia, *ab Incompetente Judice lata*, ipso jure non valet. Est autem *Judex Incompetens*, ad quem causæ cognitio & definitio non spectat.

Notandum, litigantium consensu, non posse ex non judice fieri Judicem, tantum posse fieri Arbitrum: item, posse judicem ex non competente fieri competentem; quod vocant *jurisdictionem judicis prorogari.*

In Arbitro constituendo, requiritur *consensus* non solum eligentium, sed etiam ipsius Arbitri: in jurisdictio-

diction autem proroganda, sufficit consensus prorogantium.

Titulus 49.

De Pœna Judicis, qui male judicavit, vel ejus, qui Judicem vel Adversarium corrumpere curavit.

Judicis male judicantis sententia sustinetur, quia publice interest, non convelli rerum judicatarum autoritatem. Id locum habet, quando judex per errorem vel imprudentiam male judicavit, ut citra appellationem sententia ejus rescindi non possit, sed, perinde ac si lis sua esset, ei, cujus interest, in tantum tenetur, in quantum, pro ratione erroris admissi, æquum religioni judicantis visum fuerit; non tamen infamia notatur, quia eo casu dolo caret.

At vero eo casu, quo judex pretio corruptus, aut gratia inductus, perperam judicavit, infamis efficitur, &, in solidam litis æstimationem, parti, quam læsit, tenetur; estq; sententia ipso jure nulla, quia venalis, & in mercedem a judice prolata.

Amplius, Justinianus novissime constituit, ut Judex corruptus, pecuniæ, quam eo nomine accepit, triplum, & ejus, cujus promissionem suscepit, duplum, fisco præstet, dignitate amissa, &, si criminalis causa sit, confiscatis omnibus bonis, in exilium mittatur.

Similiter *Actor*, vel *Reus*, qui diffidentia suæ causæ, spem in corruptelam pecuniæ reposuit, amissione causæ mulctatur. *Corruptori* tamen, qui seipsum defert, & Judicis corruptionem probaverit, venia datur, ut fraudes judicum detegantur.

Titu-

Titulus 50.

Sententiam reſcindi non poſſe.

P*Oſt ſententiam, ſive bene, ſive male latam, jus Victrici parti quæritur*, & Judex ſuo officio functus eſt, ideoq; nec eam ipſe impoſterum reſcindere, nec deceſſoris ſui ſententiam retractare vel corrigere poteſt. Quin, nec *Reſcriptum Principis locum hic invenit*, quia id ſubreptitium præſumitur; & ignominia notatur, qui contra ſententiam, a qua non appellavit, Reſcriptum impetrare tentat. Intereſt enim Reip. conſervari rerum judicatarum autoritatem.

Titulus 51.

De Fructibus & Litium Expenſis.

S*Ententia* non tantum de Re Principali, ſed *etiam de Fructibus, Litium expenſis, & aliis acceſſoriis ferenda eſt:* ne occaſio detur novæ litis inchoandæ. Nam, finita lite principali, raro admittitur controverſia de litis acceſſionibus.

Igitur *Litigator Victus*, Domino vindicanti condemnandus erit, non ſolum in rem principalem reſtituendam, ſed etiam *in fructus*, a die litis conteſtatæ perceptos, quosve percipere potuit: quia, poſt litem conteſtatam, indiſtincte omnes incipiunt eſſe malæ fidei poſſeſſores. Aliud eſt in petitione hereditatis, in qua fructus, etiam ante conteſtationem percepti, deducuntur.

Debet quoque Judex Victum Victori *in Litis Impenſas* condemnare, vel ab earum præſtatione abſolvere; in illas nimirum expenſas, quæ factæ ſunt ratione temerariæ citationis, vel ratione contumaciæ, vel

ratione dilatæ cognitionis, ſive retardati proceſſus; vel deniq; ratione victoriæ cauſæ.

Quod ſi Judex *ſuper petitis Expenſis nihil pronunciavit*, ipſe in earum æſtimationem victori tenetur, nec enim hic eas novo judicio a victo petere poteſt.

Regula, de condemnando Victo in expenſas, officium ſuum perdit, quando Victus juſtam cauſam litigandi habuit, aut propter cauſæ obſcuritatem, aut propter probabilem ignorantiam facti, aut incertitudinem juris, cui cauſam dederunt diſcrepantes Doctorum ſententiæ.

Titulus 52.
De Re judicata.

VIdendus libri 42. Digeſtorum titulus 1. *De Re judicata, & de effectu Sententiarum, & de Interlocutionibus.*

Titulus 53.
De Executione Rei judicatæ.

PRoprium rei judicatæ eſt, ut *Executioni* mandari debeat. Is autem *ſententiam exequi poteſt*, qui ordinariam habet jurisdictionem, & per conſequens imperium mixtum, quod ei cohæret. Eſt enim imperii cujusdam, ſententiam exequi, uti, jubere pignora capi, diſtrahi, & in poſſeſſionem mittere. Quamobrem Judex ſeu Arbiter, a Prætore datus, ſententiam ſuam exequi non poteſt, quia nullam habet jurisdictionem, ſed tantum notionem, eaq; peracta, officio ſuo functus eſt. Judicis ergo delegati ſententiam, exequitur judex ordinarius, aut Præſes provinciæ, qui eum dedit.

Damnato actione perſonali, indulgentur humanitatis cauſa, ad ſolutionem faciendam, quatuor menſes.

Titu-

Titulus 54.

De Usuris Rei judicatæ.

IS, qui rem judicatam persequitur, etiam *Usurarum*, post dictum quatuor mensium tempus, rationem habere debet. Nisi enim damnatus intra quatuor menses solverit, ex eo tempore debet sortis usuras centesimas.

Titulus 55.

Si plures una Sententia condemnati sint.

S*I plures una sententia condemnati sint*, executio contra unum in solidum fieri nequit: nec enim alter pro altero, ne quidem pro eo, qui solvendo non est, tenetur, nisi in sententia id fuerit expressum.

Titulus 56.

Quibus Res judicata non nocet.

R*Es inter alios judicata, aliis non nocet.* Proinde, Executioni locus non est, adversus eum, qui nec per se, nec per procuratorem litigavit, nec per contumaciam abfuit; contra talem enim nec judicati actio, nec exceptio datur.

Titulus 57.

Comminationes, Epistolas, Programmata, Subscriptiones, autoritatem rei judicatæ non habere.

EFfectum & executionem rei judicatæ non habet *Comminatio nuda Judicis*, quam fecit citra causæ cognitionem. Quare, si Judex comminatus sit, debitorem, nisi intra certum tempus solverit, postea duplum vel usuras præstiturum, non propterea du-

plum aut usuræ debentur: quia non omnis vox judicis sententia est, sed ea tantum, quæ, causa cognita, ab ipso judice, ex libello claris descripto literis recitatur.

Idem habendum, *si Judex, causa necdum cognita, quid fieri jubeat*, sub pœna: veluti si programma seu edictum pœnale contra contumacem publice proponat, aut per epistolam, ad alterius debitorem conscriptam, solvere eum jubeat, aut, oblato ab adversa parte libello, statim ei subscribat, jubeatq;, eandem partem adversam mitti in possessionem fundi: hæc enim voluntas est potius comminantis, quam judicantis sententia.

Titulus 58.

Si ex falsis Instrumentis vel testimoniis judicatum sit.

I*Nterdum etiam sententia Judicis non habet effectum rei judicatæ*, nempe, si falsis Instrumentis vel testimoniis subnixa fuerit. Hoc maxime fit, si Testes pecunia corrupti fuerint: quamvis etiam, citra hanc corruptelam, sola falsitas sufficiat.

Hic vero necesse est, *ut condemnatus probet*, quod adversarius vel testibus corruptis, vel falsis instrumentis usus sit; item, quod in priore judicio nulla intervenerit hujusce rei cognitio; deniq;, quod judex circumventus falsi instrumenti vel testimonii fidem secutus fuerit in pronunciando: nam, si sciens hoc fecisset, maneret illum pœna male judicantis.

Titulus 59.

De Confessis.

VIdendus libri 42. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titu-

Titulus 60.

Inter alios acta, aliis non nocere.

QVemadmodum res inter alios judicatæ aliis non nocent, uti dictum supra tit. 56. ita, *omnia acta gestave inter alios, aliis non possunt præjudicium facere.* Vnde, licet unus, ex heredibus ejus, quem debitorem tuum fuisse significas, agnoverit debitum, proportione sua id solvendo, non propterea cæteri coheredes ad solutionem urgentur, nisi eos debere probatum fuerit.

Titulus 61.

De Relationibus.

VIdendus libri 49. Digestorum titulus 1. *De Appellationibus & Relationibus.*

Titulus 62.

De Appellationibus & Consultationibus.

FAcit huc titulus Digestorum jam modo allegatus.

Notandum, causas a Principe decidi, vel per *Rescriptum*, vel per *Consultationem*; quo vocabulo in præsentia significatur judicium Principis sedentis in Senatu. Alibi Consultatio accipitur pro Relatione.

Titulus 63.

De Temporibus & Reparationibus Appellationum seu Consultationum.

V*Aria tempora in Appellationibus considerantur:* 1. Tempus, *intra quod appellare licet*; de quo est in libri 49. Digestorum titulo 4. *Quando appellandum sit, & intra quæ tempora.* 2. Tempus, intra quod appel-

latio eſt *inchoanda, ſive introducenda.* Nam, appellatio a Judice ordinario, vel a Principis delegato, intra ſex vel tres menſes, pro locorum diverſitate, ex die,quo fuit interpoſita, numerandos, ab aliis vero Judicibus intra duos menſes inchoari debet. 3. Tempus *finiendæ appellationis*, quod eſt annus, vel,ex juſtiſſima & inevitabili cauſa, biennium; quo tempore transacto, niſi lis finita ſit, ex ſolo temporis lapſu, inutilis redditur Appellatio, & confirmatur ſententia, a qua fuit appellatum.

Poſtquam dictum tempus introducendæ appellationis lapſum eſt, peti poteſt *Reparatio*, quæ eſt lapſi temporis redintegratio, ut, perinde ac ſi definitum tempus lapſum non eſſet, appellatió introduci poſſit. Hæc reparatio ter vel quater conceditur. Nam, poſt primum, ſecundum, & tertium lapſum, omnibus appellatoribus conceditur reparatio, & ſingulis reparationibus conceduntur dies 30. Si omnia prædicta tempora effluxerint, nec Appellatio inchoata fuerit, tunc is, qui a judice ordinario, vel a Principis delegato appellaverit, intra tres menſes, a die quarti lapſus computandos, Reparationem petere poterit; quod beneficium ei denegatur, qui ab aliis delegatis appellavit.

In fine cujuscunq; temporis, ſive ab initio conceſſi, ſive reparati, olim erat *unus dies fatalis.* Sed, Juſtinianus *decem dies fatales* fecit, id eſt, quinque ante lapſum, & quinque poſt lapſum.

Fatales dies dicuntur, quibus cauſa agi poteſt: nam, citra vel ultra dies illos, agi nequit, & cauſis, atque earum diſceptationi, fatum quoddam ineſt.

Titu-

Titulus 64.

Quando provocare non eſt neceſſe.

VIdendus libri 49. Digeſtorum titulus 8. *Quæ Sententiæ ſine Appellatione reſcindantur.*

Titulus 65.

Quorum Appellationes non recipiantur.

VIdendus libri 49. Digeſtorum titulus 5. *De Appellationibus recipiendis, vel non.*

Titulus 66.

Si pendente Appellatione mors intervenerit.

VIdendus libri 49. Digeſtorum titulus 13. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 67.

De his, qui propter metum Judicis non appellaverunt.

IS, *qui prætextu Metus non appellat*, quaſi metu judicis provocare ab ejus ſententia non ſit auſus, non excuſatur, nec poteſt cauſas appellationis perſequi, niſi vim paſſus ſit, & intra ſtatutum appellationis tempus, conteſtationem, vel libellum appellationis propoſuerit.

Titulus 68.

Si Vnus ex pluribus appellaverit.

QVemadmodum generaliter Reſcriptum Principis, in una eademq; pluribus communi cauſa, quamvis ad unum eorum duntaxat directum, omnibus ex æquo prodeſt; ita *unius condemnatorum appellatio, aliis quoq;, quamvis non appellantibus, prodeſſe ſolet,* non

non solum ad impediendam interea judicati executionem, &, ut interpositam ab uno appellationem, eam ipsi etiam prosequi possint: verum etiam ad hoc, ut unius appellantis victoria aliis quoque, qui non provocarunt, proficiat, ut, si appellatio justa pronunciata sit, uno appellante, sententia prior, quoad omnes condemnatos, rescindatur.

Titulus 69.

Si de Momentanea Possessione fuerit appellatum.

VT lites celerius expediantur, *a sententia, de momentanea*, seu, ut alibi vocatur, momentaria possessione, appellare non licet.

Momentanea possessio dicitur, quæ ex aliquo interdicto tantisper adjudicatur, dum controversia de proprietate interim agitur.

Hoc præjudicium de possessione, sæpe momento tantum, id est brevi tempore effectum habet, &, quando de proprietate judicatum erit, proprietas ad se possessionem trahit, & effectus sententiæ de possessione finitur.

Titulus 70.

Ne liceat in una eademq; causa tertio provocare, vel post duas sententias Judicum, quas definitio Præfectorum Prætorio roboraverit, eas retractare.

QVi semel & iterum victus est, semel & iterum potest appellare; sed, *si tertio victus fuerit*, non potest amplius appellare. Proinde, si tertia illa sententia lata sit a Præfecto Prætorio, quæ non per ap-

pel-

pellationem, sed per supplicationem, retractari potest, hoc casu *supplicare non licebit*; quia ista supplicatio est loco appellationis.

Titulus 71.

Qui Bonis cedere possunt.

VIdendus l. 42. Digestorum titulus 3. *De Cessione Bonorum.*

Titulus 72.

De Bonis autoritate Judicis possidendis, seu venundandis, & de Separationibus Bonorum.

QVamvis missi in possessionem *per primum decretum* non possident, sed tantum sunt in possessione; tamen *secundo decreto* possessores constituuntur, non, ut ea bona retineant jure dominii, sed, ut bona fide & legitime distrahant, & ex eo, quod ex bonorum venditione colligetur, creditoribus satisfiat.

Per Separationem Bonorum efficitur, ut separatim ex bonis defuncti, satisfiat creditoribus hereditariis; & ex bonis heredis, satisfiat creditoribus heredis. Videndus libri 42. Digestorum tit. 6. *De Separationibus.*

Titulus 73.

De Privilegio Fisci.

N*On satisfit omnibus creditoribus hereditariis æqualiter*, sed prius Hypothecariorum, postea Privilegiatorum, tandem ceterorum Chirographariorum ratio habetur.

Inter Privilegiatos præcipui habentur Fiscus & Mulier. *Fiscus* enim privilegium seu prærogativam habet

habet in actione personali, ita ut non solum præferatur aliis chirographariis, sed etiam privilegiatis.

Excipitur Mulier dotem repetens, cui Fiscus non præfertur, sed pari passu ambulant, ita ut prior tempore, sit potior jure.

Item *excipiuntur pœnæ*, in quibus exigendis Fiscus cedit omnibus damnati creditoribus.

Titulus 74.
De Privilegio Dotis.

M*Ulier in dote, soluto matrimonio, repetenda, privilegium habet;* quia publice interest, dotes mulieribus conservari, quo facilius nubere, & civitatem liberis replere possint.

Hoc privilegium mulier transmittit ad filios, non ad heredes extraneos, unde secunda uxor, dotem soluto matrimonio repetens, postponitur liberis prioris matrimonii, dotem maternam, quæ tempore prior est, repetentibus.

Ratione hypothecæ, mulier etiam creditoribus privilegiatis præfertur: quia prior habetur ratio creditorum hypothecariorum, quam personalium privilegiatorum.

Titulus 75.
De Revocandis iis, qvæ in fraudem Creditorum alienata sunt.

VIdendus libri 42. Digestorum titulus 8. *Quæ in fraudem Creditorum facta sunt, ut rescindantur.*

CO-

CODICIS
LIBER VIII.

Titulus 1.
De Interdictis.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 1. *De Interdictis, seu extraordinariis Actionibus, quæ pro his competunt.*

Titulus 2.
Quorum Bonorum.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 3.
Quorum Legatorum.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 3. *Quod Legatorum.*

Titulus 4.
Vnde Vi.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 16. *De Vi, & Vi armata.*

Titulus 5.
Si per Vim, vel alio modo, absentis perturbata sit Possessio.

S*I absens possessionem per vim amiserit, expulsis his, per quos possidebat*, ut servis, aut libertis, aut colonis, non exspectatur absentis reditus, aut ejus mandatum, sed statim redditur interdictum, his desiderantibus, qui fuerunt expulsi, etiamsi servi sint. Sed & absenti reverso datur, si forte dictæ personæ agere neglexerunt.

Quia

Quia vero de his agitur, qui, dum abessent, possessionem amiserunt, obiter additur, eis quoq; succurri, qui non per vim, *sed alio modo*, uti per rescriptum Principis, aut interlocutionem Judicis, amiserunt possessionem.

Titulus 6.
Vti possidetis.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 17. ejusdem inscriptionis.

Titulus 7.
De Tabulis exhibendis.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 5. ejusdem inscriptionis.

Titulus 8.
De Liberis exhibendis seu deducendis, & de Homine libero exhibendo.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 30. *De Liberis exhibendis, item ducendis:* ac titulus 29. *De Homine Libero exhibendo.*

Titulus 9.
De Precario, & Salviano Interdicto.

VIdendus libri 43. Digestorum titulus 26. *De Precario:* itemq; titulus 33. *De Salviano Interdicto.*

Titulus 10.
De Ædificiis privatis.

INterdictum hoc pertinet *ad privata ædificia*, ne, contra quam oportet, in alterius detrimentum exstruantur; ut in hortos non convertantur, citra consensum

ſum Magiſtratus, & negotiandi cauſa non deſtruantur; ne deformetur aſpectus civitatis: transferre tamen marmora de domo una in aliam licet.

Modus in ædificando, hic ſervandus eſt, ut juxta publicas ædes, intermittatur ſpatium 15. pedum; inter vicinorum ædes 12. ut tali intervallo, & publicæ ædes vindicentur a periculo incendii, & privatus ædificator, deſtructionis quandoq; futuræ, non timeat periculum.

Titulus 11.
De Novi Operis nunciatione.

MAle hic titulus vulgo adducitur, quem nec Placentinus, nec Azo agnoſcit, quorum autoritatem in titulis ſeu rubricis conſtituendis videtur quoq; Cujacius ſecutus eſſe. Cæterum de novi operis nunciatione eſt in libri 39. Digeſtorum titulo 1.

Titulus 12.
De Operibus Publicis.

VIdendus libri 50. Digeſtorum titulus 10. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 13.
De Ratiociniis operum publicorum, & de Patribus Civitatum.

P*Vblicorum Operum* ratio reddenda eſt Curatoribus Reipublicæ, qui hic *Patres Civitatis* appellantur, quorum officium eſt, cum a Redemtoribus ipſis rationes redduntur, eas bene examinare, & diſcutere, atq; inſpicere, num conſtructio vel refectio reſpondeat impenſæ.

Titu-

Titulus 14.
De Pignoribus & Hypothecis.

VIdendus libri 20. Digestorum titulus 1. *De Pignoribus & Hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.*

Titulus 15.
In quibus causis Pignus vel Hypotheca tacite contrahitur.

FAcit huc titulus Digestorum jam modo allegatus.

Titulus 16.
Si Aliena Res pignori data sit.

P*Ignori suas res* dominus dat, non alienas, in quas alteri nihil juris; quod etiam ita procedit, ut neq; filiusfamilias patris res, eo invito, pignori obliget, neq; servus Domino, neq; Procurator, Actor, Colonus, sine consensu ejus, cujus res est.

Valet quidem emtio rei alienæ, *l. rem alienam. D. de contrab. emt.* sed non eadem pignoris ratio est: quia per emtionem, non tam in rem, quam in personam jus contrahitur, pignus autem jus in rem constituit; at res aliena sine consensu domini affici nequit.

Quod si quis rem alienam pignori dederit, tenebitur creditori Contraria Pignoratitia, & præterea extra ordinem tenebitur Crimine Stellionatus, si sciens dederit.

Titulus 17.
Quæ Res Pignori obligari possunt vel non, & qualiter Pignus contrahatur.

VIdendus libri 20. Digestorum titulus 3. *Quæ res Pignori vel Hypothecæ datæ obligari non possunt.*

item

item titulus 1. *De Pignoribus & Hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.*

Titulus 18.

Qui potiores in pignore habeantur.

VIdendus libri 20. Digestorum titulus 4. *Qui potiores in Pignore vel Hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum Creditorum locum succedunt.*

Titulus 19.

De his, qui in priorum Creditorum locum succedunt.

FAcit huc titulus Digestorum jam modo allegatus.

Titulus 20.

Si antiquior Creditor Pignus vendiderit.

REgulariter *potest posterior creditor, solvendo quod priori debetur, in ejus locum succedere.*

Sed hoc tum demum obtinet, *cum res est integra*, id est, cum pignus non est venditum, aut saltem non est venditum ab antiquiori creditore, sed a debitore.

Nam, post venditionem pignoris a priori creditore factam, id neq; debitor, neq; posterior creditor, emtori auferre potest, licet pecuniam, quæ priori debebatur, offerat, nisi antiquior creditor pignus aut secundo creditori vendiderit, aut extraneo vendiderit hoc pacto, ut, si debitor emtori pretium restitueret, pignus reciperet.

Titulus 21.

Si Communis Res Pignori data sit.

VTi rem alienam, quia in eam nihil juris est, pignori dare non licet, ita *Communis quoq;*, non nisi pro

certa parte, quæ pignerantem concernit, dari pignori potest: neq; enim res communis mea est, nisi pro parte. Fiscus tamen, rem communem habens cum privato, eam integram vendere potest ex privilegio, parte tamen pretii dominis restituta.

Titulus 22.

De Prætorio Pignore, &, ut in Actionibus Debitorum missio Prætorii Pignoris procedat.

SEcundum Justinianum *duplex est genus pignoris: unum*, quod ex conventionibus & pactis hominum nascitur: *alterum*, quod a Judice datur, & Prætorium nuncupatur. De priore hactenus dictum est.

Prætorium Pignus est, quod a Judice datur, ante rem judicatam, coactionis, vel rei servandæ causa; veluti, ut cogatur dominus ædium ruinosarum cavere de damno infecto; alioquin adversarius vicinus, qui petit, mittitur in possessionem ex primo decreto, pignoris causa. Similiter creditor, mulier, legatarius, fideicommissarius, ex edicto Prætoris, mittuntur in possessionem rerum omnium, vel unius rei, debitoris, crediti, dotis, legati aut fideicommissi servandi causa, utq; eam rem teneant, custodiæ causa, si debitor, vel heres non solvat, non respondeat, non caveat: sic etiam alius reus contumax est, vel latitat, & a nullo in judicio defenditur.

Hoc Prætoris decreto, non tam possessio rerum, quam custodia datur creditori, mulieri, legatario, vicino, qui simul cum debitore possidere jubentur, ut, tædio perpetuæ custodiæ, debitor satisfaciat. Atq; hæc justa est possidendi causa, custodiæ gratia, ut

pignus

pignus habeatur, diciturq; creditor in possessione esse, sed non possessor.

Plus enim est possidere, quam esse in possessione tantum, &, qui ex edicto Prætoris mittitur in possessionem debitoris, non nanciscitur proprietatem, sed jus pignoris.

Titulus 23.

Si in causa Judicati Pignus captum sit.

P*Ignus Judiciale* est, quod post rem judicatam jussu judicis capitur, exequendæ sententiæ causa, cum damnatus in solvendo contumax existit.

Capiuntur istius pignoris nomine, primo res mobiles, dehinc se moventes, tertio immobiles, quæ soli sunt; &, his solutioni non sufficientibus, ad nomina pervenitur.

Moribus tamen hodiernis, non semper hic ordo observatur, sed ex quibus rebus sibi citius putat pecuniam confici debitor, eas autoritate judicis per apparitorem capit, ut distrahantur.

Titulus 24.

Si Pignus Pignori datum sit.

INter alios pignoris effectus est, *quod pignori dari possit a creditore*, non obstante, quod dictum est, rem alienam pignori non dari: est enim jus reale creditori, quod transferre potest, ut alienando, ita & pignerando, durabitq; pignus, donec primo creditori satisfactum fuerit, solutione vero facta, uti primi creditoris, ita & secundi jus extingitur. Extincto enim jure dantis, extinguitur & jus accipientis, cui amplius nihil juris esse potest, quam primo erat. Habet autem *secundus creditor etiam jus distrahendi*,

ſicut primus, ita ut non liceat debitori diſtractionem jure factam reſcindere, oblata poſtea pecunia.

Titulus 25.

De Partu Pignoris & omni cauſa.

P*Artus Ancillæ oppigneratæ* in pari cauſa eſt, qua mater eſt: partus enim ventrem ſequitur. In eadem cauſa ſunt pecorum fœtus, & fructus fundi oppignerati: nam, re principaliter obligata, intelliguntur una obligatæ ſingulæ ejus partes. Hinc fit, ut jure Creditor fructus iſtos, quos percepit, vel percipere potuit, primo imputet in uſuras, deinde in ſortem, & reſiduum quod debetur exigat.

Cauſæ nomen latius patet quam fructus; quia partus ancillæ non eſt fructus, eſt tamen cauſa.

Titulus 26.

De Remiſſione Pignoris.

QVemadmodum pignoris obligatio conſenſu contrahitur, ita & diſſolvitur, idq; fit vel expreſſe, vel tacite.

Expreſſa pignoris Remiſſio, fit pacto expreſſo; *tacita* fit, veluti ſi debitor, ex conſenſu creditoris, ſervum, quem oppigneraverat, manumittat, vel, ſi creditor chirographum, quo obligatio pignoris continebatur, reddat debitori.

Titulus 27.

Etiam, ob Chirographariam pecuniam, Pignus teneri poſſe.

E*Xtinguitur Pignus*, ſi principalis obligatio, cui pignus acceſſit, ſolutione, vel novatione, vel alio modo ſoluta ſit.

Si

Si tamen Creditor pignus possideat, & ejusdem debitoris creditor sit ex alia quoque causa, in quam pignus non accepit, illud pignus retinere poterit, donec ex hac quoq; causa sibi sit satisfactum. Quamvis enim ex hac causa non habeat pignoris persecutionem, tamen, si pignus possideat, ex bono & æquo ei permissa est *pignoris Retentio*.

Titulus 28.
De Distractione Pignorum.

EXtinguitur quoq; pignus *Distractione*, cum Creditor jure pignoris vendit pignus, Debitore cessante in solutione. Quod si autem inter Creditorem & Debitorem pactum intervenerit, de distrahendo pignore, illud imprimis erit observandum.

Si nihil convenerit de distractione, intelligitur tamen hoc tacite actum, quod creditor statim possit pignus vendere, si debitor in solutione cessaverit. Sed oportet ipsi ante *denunciari* a Creditore, pignus distrahendum fore, ni solvat, & quidem testibus adhibitis; atque tum oblatio & consignatio totius pecuniæ, debitæ ante venditionem, impedit pignoris distractionem.

Titulus 29.
Debitorem Venditionem Pignoris impedire non posse.

DEbitor, nisi debitum solvat, *non potest impedire, quo minus creditor pignus distrahat.* Similiter posterior creditor non potest impedire priorem creditorem, quo minus distrahat, nisi ei debitum offert.

Titulus 30.

Si vendito Pignore agatur.

VEndito pignore, ſæpe contingit, *ut Debitor actionem movere velit*, tam adverſus venditorem, quam emtorem. Multum autem intereſt, utrum creditor, qui pignus vendidit, jure vendere non potuerit, an potuerit, ſed mala fide vendiderit.

Priore Caſu, & quando Creditor, non ſervato juris ordine, & refragante conventione, ad venditionem proceſſit, cum nulla ſit venditio, debitor dominium rei ſic venditæ non amittit, & conſequenter eam vindicabit ab emtore, aut alio quocunq; poſſeſſore, oblato pretio, quod perſolutum eſt creditori.

Sed, hic *excipitur caſus, quo poſſeſſor rem uſucepit:* tunc enim Actio pigneratitia Debitori contra Creditorem ſupereſt, qua conſequatur rei venditæ pretium, ceſſante actione in rem adverſus emtorem, quia Vſucapione jam eſt effectus rei dominus.

Altero Caſu, quo creditor jus vendendi pignoris habuit, ſed vendidit mala fide, non obſervatis juris ſolemnibus, quæ in diſtrahendis pignoribus celebrari conſueverunt, tum, ſi emtor quoque in mala fide fuerit, electionem habet debitor, utrum malit agere adverſus Creditorem Actione pigneratitia, in id quod ſua intereſt, an, reſciſſa venditione, rem ab Emtore conſequi.

Titulus 31.

De Luitione Pignoris.

PIgnoris diſtractio impeditur per ipſius *luitionem*, id eſt liberationem, quæ contingit naturali ſolutione totius debiti, vel conſignatione ejus, vel depoſitio-

positione. Etenim partis solutione, licet obligatio principalis pro parte tollatur, nihilominus tamen totum pignus obligatum manet ut prius, adeo ut creditor non tantum possit totum pignus a possessore persequi, sed etiam id vendere.

Titulus 32.

Si Vnus ex pluribus Heredibus Creditoris vel Debitoris partem suam Debiti solverit, vel acceperit.

MAnifesti juris est, *defuncto Creditore, multis relictis heredibus*, Actionem quidem personalem inter eos leg. 12. tabb. dividi pro rata, Pignus vero in solidum unicuiq; teneri, &, uno pro parte debitum exigente, pignus in solidum, pro residuo, quod cæteris heredibus debetur, obligatum manere. Proinde, si heredi creditori exigenti debitor pro portione illius solverit, permissum est adhuc ceteris heredibus totum pignus vendere, dummodo debitori restituant, quod coheredi solvit. Nempe, conditio Pignoris ea est, ut tamdiu maneat obligatum, donec omnis pecunia soluta fuerit; neq; ex persona heredum immutatur conditio obligationis.

Similiter, *si sint plures debitoris Heredes*, Actio quidem personalis inter eos pro singulis portionibus quæsita, quia dividua est, scinditur, pignoris autem jure multis rebus obligatis, quas diversi possident, cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur, quicunq; pignus possident, unus, vel plures, non pro modo singularum rerum substantiæ, sed in solidum, Actione hypothecaria, quæ individua est, conveniuntur, ut vel totum debitum solvant, vel totum pignus restituant.

Titulus 33.

Si Pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non fuerit.

P*Ignus luere, & pecuniam ſolvere opus non eſt*, cum reus pecuniam non accepit. Ideoq; ſi, ſpe futuræ numerationis, quis cautionem emiſit, qua fatetur, ſibi certam pecuniæ ſummam eſſe numeratam, & in eam pignus dederit, ſi poſtea conſtiterit, ei pecuniam numeratam non eſſe, atq; ideo fruſtra rem pignori dediſſe, poterit non tantum Pigneratitia actione, ſed & Rei vindicatione, rem ſuam repetere.

Titulus 34.

De Jure Dominii impetrando.

P*Ignus tollitur*, ſi, ſervatis juris ſolemnibus, publice & ſolemniter creditor pignus ſub haſta proſcripſerit, &, cum emtorem non inveniret, *a Principe dominium ejus impetraverit*, poſt biennium, ex quo debitor condemnatus, vel ei denunciatum fuerit.

Triennium tamen, ad pignus creditori addictum recuperandum, Juſtinanus in l. ult. debitori concedit.

Ratio, cur Principis autoritate opus ſit, hæc eſt, quia Magiſtratus ſive Prætor, uti non heredem, ita nec dominum facere poteſt: nam Legis vel Principis eſt, facere heredem, vel dominum.

Titulus 35.

De Pactis Pignorum, & de Lege Commiſſoria in Pignoribus reſcindenda.

V Idendus libri 20. Digeſtorum titulus 1. *De Pignoribus, & Hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.* Itemq; libri 18. titulus 3. *De Lege Commiſſoria.*

In-

Injuſtum eſt pactum Commiſſorium, quo pignus creditori *committitur*, id eſt ejus fit; hoc ſenſu enim Juriſperiti verbum *committor* accipiunt: & ſic merces fiſco ſive Principi commiſſæ dicuntur, ob non ſolutum vectigal.

Injuſtum eſt hoc pactum, propter ſummam iniquitatem, quam continet, quia, niſi debitor die certa creditori ſatisfecerit, pignus, quod eo nomine obligatum eſt, creditori committitur pœnæ cauſa, ſeu acquiritur pleno jure, cum tamen non infrequenter res oppignerata ſuperet quantitatem debitam. Et quamvis eam non ſuperaret, tamen improba cenſeri debet hæc conventio, quia re ſua carere cogitur debitor, ob non ſolutum ſua die debitum, & quidem pretio non conſtituendo, cum, ſi in ſolutione ceſſaſſet debitor, creditor pignus diſtrahere queat, ſed pretio conſtituto.

Hæc iniquitas movit *Conſtantinum*, ut legem hanc Commiſſoriam improbaret, legemq; commiſſoriam etiam in præteritum prohiberet, *l. 3. h. t.* cum cæteroquin leges tantum in futurum vim ſuam exerceant: ſed excipiuntur res ſua ſponte & natura ſceleratæ.

Titulus 36.

De Exceptionibus ſeu Præſcriptionibus.

VIdendus libri 44. Digeſtorum titulus 1. *De Exceptionibus, Præſcriptionibus, & Præjudiciis.*

Titulus 37.

De Litigioſis.

VIdendus libri 44. Digeſtorum titulus 6. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 38.

De contrahenda & committenda Stipulatione.

INter alia remedia, quibus negotia civilia firmari solent, sunt Stipulationes. Est autem *Stipulatio*, verborum conceptio, constans ex apta responsione ad interrogationem, de dando vel faciendo. Dicitur a *stipulo*, quod veteribus firmum denotabat; & forte stipulum a stipite descendit.

Stipulatio introducta est jure Civili, unde deportatus, cui Jus Gentium est salvum, non etiam Civile, non potest stipulari.

Forma Stipulationis consistit in verbis convenientibus interrogationi, quæ olim formalia & certa erant, hodie qualiacunq; mentem exprimentia sufficiunt, etiam inter eos prolata, qui diversi sunt idiomatis, si intellectus per interpretem suppleatur: præsentes tamen eos esse oportet, quia verba non nisi inter præsentes fiunt; hinc scriptura quoq; excluditur, nec potest a muto & surdo iniri; cum illi verba, huic auditus desint.

Titulus 39.

De Inutilibus Stipulationibus.

S*Tipulatio inutilis est*, vel quia ipso jure non valet, veluti si pupillus sine tutoris autoritate promiserit; aut inter absentes facta sit: vel, quia exceptione infirmatur, ut doli, aut metus.

Titulus 40.

De duobus Reis Stipulandi & Promittendi.

VIdendus libri 45. Digestorum titulus 21. *De duobus Reis constituendis.*

Titu-

Titulus 41.
De Fidejussoribus & Mandatoribus.

VIdendus libri 46. Digestorum titulus 1. ejusdem inscriptionis.

Titulus 42.
De Novationibus & Delegationibus.

VIdendus libri 46. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 43.
De Solutionibus & Liberationibus.

VIdendus libri 46. Digestorum titulus 3. ejusdem inscriptionis.

Titulus 44.
De Acceptilationibus.

VIdendus libri 46. Digestorum titulus 4. ejusdem inscriptionis.

Titulus 45.
De Evictionibus.

VIdendus libri 21. Digestorum titulus 2. *De Evictionibus, & Duplæ Stipulationibus.*

Titulus 46.
Creditorem Evictionem Pignoris non debere.

CVm Creditor in distractione pignoris partes venditoris sustineat, poterat dubitari, *an, Pignore evicto, evictionis nomine obligetur:* & decisum est hoc tit. non obligari, imo ne teneri quidem ad pretii restitutionem, cum vendiderit jure Creditoris, hoc est, eo jure, quo debitoris fuit, ut sibi imputare debeat Emtor, quod caute mercatus non sit. *Consulitur tamen Emtori*, vel per Actionem utilem ex emto, contra

tra Debitorem, quasi ipse debitor vendidisset, cui pretium acceptum profuit; vel per Actionem pigneratitiam contrariam, quam Creditor tenetur cedere Emtori. Æquissimum enim est, Emtorem id saltem consequi, quod sine dispendio creditoris futurum est.

Titulus 47.
De Patria Potestate.

VT *aliquis habeat Liberos in potestate*, quatuor requiruntur. 1. Vt sit civis Romanus. 2. Vt sit Masculus. 3. Vt sit Pater, vel ascendens per lineam paternam: uti enim Mater non habet liberos in potestate, ita nec avus vel proavus maternus. 4. Vt sit sui juris: nam, qui in aliena potestate est, alium habere in potestate non potest.

Quantum *ad jura Parentum*, qui liberos in potestate habent, attinet, 1. olim habebant jus vitæ & necis: sed hoc abolitum est, ita ut nunc patria potestas, magis in pietate, quam in atrocitate consistat. 2. Pater inops vendere filium sanguinolentum, victus & alimoniæ causa, potest. 3. Quicquid liberi acquirebant, olim acquirebant parentibus, in quorum potestate erant. Hodie, ex causa peculii profectitii, plenum dominium; ex causa adventitii, tantum usumfructum, & interdum ne usumfructum quidem; ex causa peculii castrensis, vel quasi castrensis, nihil patri acquirunt.

Titulus 48.
De Adoptionibus.

VIdendus libri 1. Digestorum titulus 7. *De Adoptionibus, & Emancipationibus, & aliis modis, quibus potestas solvitur.*

Titu-

Titulus 49.

De Emancipationibus Liberorum.

FAcit huc titulus Digestorum jam modo allegatus: itemq; libri 1. Institutionum titulus 12. *Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.*

Titulus 50.

De Ingratis Liberis.

E*Mancipatio, non tribuit liberis eam potestatem, ut possint impune parentem offendere* : nam, si filius vel filia, cæteriq; liberi, parentes vel atroci injuria, vel acerbitate convitii affecerint, juste *revocantur in pristinam potestatem*; quamvis Libertus ingratus, etiam ob levem offensam, revocetur a Patrono in servitutem. Hæc revocatio fit vel Actione ingrati, vel Officio Judicis, vel Accusatione ingratitudinis.

Titulus 51.

De Postliminio Reversis, & Redemtis ab Hostibus.

C*Aptivitas Patris vel Filii* suspendit jus patriæ potestatis, sed tali ab hostibus reverso, jus postliminii potestatem, ut & alia jura restituit ipso jure: imo fingit, reversum, semper fuisse in civitate, proinde nihil juris amisisse.

Redemti ab Hostibus non fiunt quidem servi redimentium, sed interim, donec pretium redemtionis solvant, quasi quodam pignoris vinculo detinentur; pretio autem soluto, beneficium postliminii plenissimum habent.

Titu-

Titulus 52.

De Infantibus expoſitis, liberis, & ſervis, & de his, qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt.

SOlvitur *Patria Poteſtas*, ſi pater filium infantem ſanguinolentum, id eſt recens natum, expoſuerit alienæ miſericordiæ, quam ipſe non habet. Hic igitur amittit patriam poteſtatem, uti Dominus exponens Servum ſanguinolentum, id eſt recens natum, amittit dominium, niſi neceſſitatis cauſa, propter nimiam inopiam exponat.

Non propterea tamen is, qui expoſitum ſuſcepit nutriendum, in locum patris, vel domini ſuccedit, ut nutritum habeat in ſua poteſtate; ſed *lex jubet, expoſitum liberum* & ſui juris eſſe.

Titulus 53.

Quæ ſit longa Conſuetudo.

COnſuetudo, eſt jus, quod ſine ullo ſcripto populus approbavit.

Ad juſtitiam ejus requiritur, ut ſit rationabilis, nec juri naturali, gentium, aut utilitati repugnet.

Cauſa efficiens conſiſtit in conſenſu populi, qui ex tacitis moribus non colligitur, ſed in duobus conſiſtit, nempe in temporis diuturnitate, & actuum frequentia. Atque communiter, *duos actus*, & tempus 10. *annorum*, ſufficere volunt: ſed ſatius fuerit, totum hoc Judici relinquere, ut de actibus & tempore judicet, num per ea ſufficienter conſenſus populi indicetur.

Quidam inſuper *Actus judiciales* requirunt; ſed ſufficiunt extrajudiciales, nam & illi notorii eſſe poſſunt, & populi conſenſum declarare.

Vis Consuetudinis est, ut subditos non secus ac lege obliget.

Titulus 54.

De Donationibus.

VIdendus libri 39. Digestorum titulus 5. ejusdem inscriptionis.

Titulus 55.

De Donationibus, quæ sub Modo, vel Conditione, vel certo Tempore conficiuntur.

MOdus, est causa futura, propter quam donatur, uti cum ea lege donatur, ut donatarius donatori alimenta præbeat, quæ, si præstare recusat, revocatur donatio, propter ingratum ejus animum.

Conditio, est adjectio, quæ facit, ut tum demum donatio effectum habeat, cum aliquid secutum fuerit; veluti, cum mater filiæ donat sub conditione, si a patre emancipetur.

Servanda est distinctio inter Conditionem & Modum: quod Conditio præcise sit implenda, &, donec impleatur, non habet effectum donatio. At, sub Modo facta donatio statim valet, quamvis modus impletus non sit.

Tempus quoque addi potest donationi, aut certum, veluti, ut post annum res donata restituatur donatori; aut incertum, veluti, ut post mortem donatarii proprietas rei redeat ad donatorem; vel, ut alteri tertio res restituatur.

Titulus 56.

De Revocandis Donationibus.

D*Onatio inter Vivos perfecta revocari temere non potest.* Sed *Donatio sub modo* revocatur, si modus

dus secutus non sit: & hoc nomine datur donatori tum vindicatio, tum condictio ob causam.

Donatio Conditionalis deficiente conditione corruit, existente conditione purificatur: idem dicendum de conditione ex tempore. *Donatio* vero *ad Tempus facta*, lapsu temporis finitur. At, pura donatio non revocatur, nisi ob ingratitudinem donatarii.

Titulus 57.

De Donationibus causa Mortis.

VIdendus libri 39. Digestorum titulus 6. *De Mortis causa Donationibus & Capionibus.*

Titulus 58.

De infirmandis Pœnis Cælibatus, Orbitatis, & de Decimariis sublatis.

CVm *Lex Papia* Cælibem ex testamento extranei quicquam capere, nisi intra centum dies a morte testatoris matrimonium contraheret; orbum, ultra semissem; conjugem ex testamento conjugis ultra decimam vel decimas capere prohiberet, adeo ut, quod prædictæ personæ non caperent, confiscaretur; *Senatus-Consultum idem ad Donationes mortis causa produxit*, si forte cælibi, aut orbo, aut conjugi mortis causa donatum esset: quia hujusmodi donationes legatis recte comparantur.

Sed *hodie*, *Cælibatus & Orbitatis pœnis sublatis*, dictæ personæ, & legata, & mortis causa donata, sine impedimento, capere possunt. Permissum quoque est, decimariis legibus sublatis, conjugi, ex testamento conjugis, etiam liberis non extantibus, solidum capere.

Titu-

Titulus 59.

De Jure Liberorum.

QVod superiore titulo dictum est, *Conjugem non potuisse ex testamento Conjugis solidum capere*, sed tantum decimam, non erat perpetuum; sed excipiebantur aliquot casus, quos inter erat, si Conjux a Principe *jus liberorum* impetrasset.

At vero Imperatores *Honorius* & *Theodosius* generaliter omnibus conjugibus concesserunt jus liberorum, etiam non petentibus, & ut inter se, solidi ex testamento capiendi, essent capaces.

CODICIS
LIBER IX.

Titulus 1.

De his, qui accusare non possunt.

A*Ccusare possunt*, quicunque non prohibentur. *Probibitionis causæ* multæ & variæ sunt. 1. Sexus muliebris. 2. Ætas pupillaris. 3. Militia. 4. Magistratus sive potestas ejus, quem in jus vocare non licet. 5. Delictum & infamia. 6. Turpis quæstus ejus, qui duo judicia adversus duos reos subscripta habet, numosve ob accusandum vel non accusandum accepit. 7. Status: ut, quia libertus non potest Patronum suum accusare. 8. Suspicio calumniæ, ut in eo, qui falsum testimonium dixit. 9. Paupertas ejus, qui minus quam 50. aureos in bonis habet.

Titulus 2.

De Accusationibus & Inscriptionibus.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 2. ejusdem inscriptionis.

Titulus 3.

De Exhibendis & transmittendis Reis.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 3. *De cuſtodia & exhibitione Reorum.*

Transmiſſio Rei, eſt vel Neceſſaria, vel Voluntaria.

Neceſſaria eſt, cum quis Reum, quem ipſe punire non poteſt, ad alium transmittit, qui punire poterit; ut, militem ad Magiſtrum militum remittit Præſes, vel Præfectus; &, gravius puniendos, ad Præfectum urbi remitit Præfectus Vigilum.

Voluntaria Transmiſſio eſt, cum is transmittit, qui poteſt transmittere, ſed & punire; ut puta Præſes, eum, qui in alia provincia deliquit, comprehenſum punire poteſt; & nihilominus poteſt etiam eum ad Præſidem ejus provinciæ, in qua delictum eſt admisſum, remittere, ſive ſponte ſua, ſive ab illo rogatus per literas, ſive per miniſtrum miſſum, ut Reum reducat, & exhibeat.

Titulus 4.

De Cuſtodia Reorum.

VIdendus titulus Digeſtorum jam modo allegatus.

Titulus 5.

De Privatis Carceribus inhibendis.

PVblica Vincula permiſſa, non item privata: in quæ aliquem conjiciens, non eſt extra crimen læſæ majeſtatis, ſupplicio ultimo afficiendus; uti & Judices, tale quid diſſimulantes.

Licet tamen interdum, teſtandi delicti gratia, aliquot horis Reum detinere; uti patri invenienti filiam in adulterio; marito, uxorem.

Titulus 6.

Si Reus vel Accuſator mortuus fuerit.

M*Orte Rei, vel Accuſatoris, accuſatio finitur:* nam heres, accuſatoris crimen perſequi non cogitur; alius tamen eundem reum accuſare poteſt. Item heres, in pœnam non ſuccedit.

Si plures ſint Rei, uno mortuo, in alios nihilominus perficitur accuſatio.

Si Reus condemnatus appellavit, & pendente appellatione deceſſit, extinguitur quidem judicium, niſi ſpecialiter per ſententiam, a qua appellatum fuit, bona accuſati, vel pars ejus bonorum confiſcata ſint: quia tunc, rei perſona ſubducta, & capitis cauſa peremta, nihilominus appellationis ratio examinabitur, utrum valeat bonorum publicatio.

A Regula, qua dicitur, morte crimen rei extingui, ac judicium cœptum aboleri, excipitur *Crimen læſæ Majeſtatis, Crimen Hæreſeos, Crimen Repetundarum.* Hæc enim judicia, etiam ante litem conteſtatam & condemnationem defuncto Reo, contra ejus heredes exercentur.

Idem eſt in eo, *qui conſcientia criminis mortem ſibi conſcivit:* & generaliter in omnibus gravioribus delictis, ex quibus ipſo jure pœna imponitur.

Titulus 7.

Si quis Imperatori maledixerit.

SI quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, *improbis dictis Majeſtatem offenderit*, eum humani Principes, nullam eo nomine pœnam ſuſtinere volunt. Quia is, aut ex quadam levitate peccavit, & ſic contemnendus; aut ex inſania, & miſeratione dignus eſt;

aut ex injuria, & remittendum est crimen, id est, condonandum; non etiam, ut quidam volunt, remittendum ad Principem, ut ipse de eo statuat; cum bonus Princeps nequeat injuria affici, ut ex Græcis interpretatur Cujacius.

Attamen, *si exempli necessitas pœnam requirat*, recte Princeps eam statuet; quo pertinent verba finalia hujus leg. un. quæ volunt, pensare debere Principem ex personis hominum, utrum dicta permitti, aut exquiri debeant; ne lubricum linguæ facile trahatur in periculum.

Titulus 8.
Ad Legem Juliam Majestatis.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 8. ejusdem inscriptionis.

Titulus 9.
Ad Legem Juliam de Adulteriis, & Stupro.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 5. *Ad Legem Juliam de Adulteriis coërcendis.*

Titulus 10.
Si quis eam, cujus Tutor fuerit, corruperit.

P*œna Stupri* regulariter est publicatio dimidiæ partis bonorum, vel corporalis coërcitio, cum relegatione, pro qualitate personæ delinquentis. Sed, *in duobus casibus, pœna exacerbatur.*

Primus est, si quis puellam stupraverit, cujus tutor fuit; hic enim bonis omnibus confiscatis deportatur.

Titu-

Titulus 11.

De Mulieribus, quæ ſe Servis propriis junxerunt.

ALter *caſus* eſt, cum Mulier Servo ſuo ſe junxit; nam, ipſa capite punitur, Servus crematur.

Titulus 12.

Ad Legem Juliam de Vi Publica vel Privata.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 6. *Ad Legem Juliam de Vi publica.* Itemq; titulus 7. *Ad Legem Juliam de Vi privata.*

Titulus 13.

De Raptu Virginum, ſeu Viduarum, nec non Sanctimonialium.

R*Aptus*, eſt perſonarum, *Rapina*, rerum: atque Raptus eſt crimen publicum; Rapina, privatum: ſæpe tamen hæc verborum proprietas confunditur.

Pœna hujus criminis eſt multiplex. 1. Illius, quæ rapitur, Parentes, Fratres, Tutores, Curatores, Maritus, Sponſus, Dominus, Patronus, poſſunt raptorem, deprehenſum in flagranti crimine, impune occidere. 2. Raptor, Comites, Miniſtri, & conſcii criminis, capite plectuntur. 3. Bona Raptori, & Comitibus, qui opem tulerunt, auferuntur, &, ſi ingenua rapta ſit, vel ipſi raptæ cedunt, ſi in mundo degat; vel Monaſterio, ſi ſit Sanctimonialis. Cæteris autem Miniſtris & Conſciis, bona non adimuntur, licet capitali ſupplicio afficiantur; nec ulli perſonæ, ſi Liberta, aut Ancilla rapta ſit; quamvis hoc etiam

casu capitali pœnæ locus sit. 4. Condemnatus non potest appellare. 5. Inter Raptorem & Raptam matrimonium omnimodo prohibetur; sed, jure Canonico conceditur. Est autem illa differentia inter hæc Jura, quod etiam propria sponsa & consentiens, dicitur Jure Civili rapi, adeo, ut irrogetur pœna raptus; quod jure Pontificio non obtinet.

Titulus 14.

De Emendatione Servorum.

HOmicidium punitur lege Cornelia. Ab ea Lege, & ejus pœna, olim *excipiebatur Dominus, qui Servum occiderat*, quia jus vitæ & necis in servum habebat. Sed, Constitutionibus Principum, dominica potestas coarctata est, adeo, ut qui Servum suum sine causa occiderit, non minus puniri jubeatur, quam si alienum occidisset, nimirum, si animum occidendi habuit; at, si alia mente percusserit, & percussum mori contingat, dominus non punitur: competit enim domino plena coërcitio servi, etiam plagis & verberibus, sic tamen, ne durius eum tractet, quam ut ferri possit; alioquin bonis conditionibus eum vendere cogitur.

Titulus 15.

De Emendatione Propinquorum.

L*Evior Castigatio Senioribus propinquis* in juniores conceditur: sed leviora tantum eorum crimina corrigere possunt, enormia vero delicta, notioni judicis reservantur.

Titulus 16.

Ad Legem Corneliam de Sicariis.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 8. *Ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis.*

Titu-

Titulus 17.

De his, qui Parentes vel Liberos occiderunt.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 9. *De Lege Pompeja de Parricidiis.*

Titulus 18.

De Maleficis, & Mathematicis, & cæteris similibus.

HIc titulus multa delicta inter se affinia & similia continet, quæ omnia subjiciuntur pœnis legis Corneliæ. Nempe, huc pertinent 1. *Magi*, qui & Chaldæi & Malefici vocantur, incantationibus utentes. 2. *Mathematici*, id est Pseudomathematici, qui mathematicis disciplinis, ad suas imposturas, abutuntur, ut qui ex aspectu siderum futura prædicere profitentur. 3. *Somniorum Interpretes*. 4. *Sacerdotes, qui illicita sacra faciunt.* 5. *Harioli*, id est vaticiniorum, ut Sibyllinorum Carminum, & Delphicorum Oraculorum interpretes. 6. *Augures*, qui ex avium volatu, pastu, cantu, futura divinant. 7. *Haruspices*, qui, harugis, id est hostiis, quæ in hara concludebantur & adservabantur, inspectis, divinant.

Titulus 19.

De Sepulchro violato.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 12. ejusdem inscriptionis.

Titulus 20.

Ad Legem Fabiam de Plagiariis.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 15. ejusdem inscriptionis.

Titulus 21.
Ad Legem Viſcelliam.

VT *Lex Flavia* Perſonas Ingenuorum, ita & *Lex Viſcellia* eorum dignitatem tuetur, ne ipſorum ordinem libertini polluant, gerentes ſe pro ingenuis, & uſurpantes honores ſolis ingenuis debitos. Volebant enim Romani nonniſi per Ingenuos homines Rempublicam adminiſtrari, militiam geri, dignitates teneri. Hinc *Lucius Viſcellius Varro*, Conſul cum Cornelio Cethego, imperante Tiberio, hanc legem tulit, ne libertinæ conditionis homines, honores & dignitates aſſequerentur, niſi jus aureorum annulorum à Principe impetraſſent: tunc enim, quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis obtinent, & ſine periculo, etiam officia ingenuorum peragunt.

Libertinus, ſi ſe Ingenuum diceret, tam civiliter, quam ex hac lege criminaliter poterat accuſari & puniri. Curiam autem ingrediens, quaſi eſſet ingenuus, ex ea ejicitur, infamia notatur, & mulctatur pecunia.

Titulus 22.
Ad Legem Corneliam de Falſis.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 10. *De Lege Cornelia de Falſis, & de SC. Liboniano.*

Titulus 23.
De his, qui ſibi adſcribunt in Teſtamento.

Q*Vi in teſtamento ſibi, vel iis, quos in poteſtate habet, legatum adſcribit, voluntate teſtatoris,* etſi falſum non committit, tamen, SC. Liboniano ad legem Corneliam facto, pœnæ falſi ſubjicitur.

Excu-

Excusatio dabitur ab hac pœna, 1. quando quis adscribit extraneo, uti filio emancipato; aut dato in adoptionem. 2. Si accesserit recognitio, & approbatio ipsius testatoris manu subscripta, quæ & faciet legatum capi. 3. Hereditatem totam retinebit filius emancipatus, qui eam sibi patre volente & dictante adscripsit, scilicet, cum esset solus filius. Frustra enim pro non scripto habetur, quod nihilominus, per bonorum possessionem unde liberi, ad eum perveniret. 4. Dabit veniam indulgentia Principis, quæ facilis est iis, qui jussu testatoris sibi adscripserunt; quia durum esset, eos hoc crimine teneri, quasi falsum commisissent. Sed hæc indulgentia facit quidem remitti pœnam, non tamen capi quod adscriptum.

Titulus 24.
De Falsa Moneta.

PErtinet ad crimen falsi, si quis *Aurum & Argentum vitiarit*, raserit, tinxerit, aut numum adulterinum conflarit, cuderitve, vel, si quis falsum signum vultumq; Principis impresserit.

Pœna, est ignis; domus, ubi scelus commissum, utut aliena, confiscatur, etiam ignorantis; si tamen dominus in proximo constitutus fuerit, quia non præsumitur ignorare, quid ibi actum, aut saltem ejus erat inquirere.

Titulus 25.
De mutatione Nominis.

F*Alsum committitur in Nomine*; nam, qui dolo malo falsum nomen, vel pronomen, vel cognomen assumsit, pœna falsi tenetur; qui vero sine dolo nomen mutat, pœnam non meretur.

Titulus 26.

Ad Legem Juliam de Ambitu.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 14. *De Lege Julia Ambitus.*

Titulus 27.

Ad Legem Juliam Repetundarum.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 11. *De Lege Julia Repetundarum.*

Titulus 28.

De Crimine Peculatus.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 13. *Ad Legem Juliam Peculatus, & de Sacrilegiis, & de Reſiduis.*

Titulus 29.

De Crimine Sacrilegii.

FAcit huc Digeſtorum titulus jam modo allegatus.

Titulus 30.

De Seditioſis, & de his, qui Plebem contra Rempublicam audent colligere.

Q*Vi tumultus alicujus autores ſunt*, excitando plebem contra juſſiones, aut publicam diſciplinam, itemq;, qui clamoribus tumultuoſis quenquam interpellant, pœna coërcentur varie. Interdum furca, interdum deportatione, fuſtigatione, gladio: interdum objectantur beſtiis.

Titu-

Titulus 31.

Quando Civilis Actio Criminali præjudicet, & an utraq; ab eodem exerceri possit.

E*X omni delicto duplex judicium nascitur:* unum Civile, alterum Criminale.

Civile est, per quod non ad vindictam, sed ad rem familiarem & privatam agitur: veluti, cum petit Actor rem restitui, pœnamve pecuniariam sibi, aut parti læsæ applicari.

Criminale est, per quod agitur ad vindictam, vel pœnam alteri imponendam.

De utroq; judicio Regula est, quod idem contra eundem, ex uno eodemq; facto, potest utroq; judicio expeririri, tam civili de re familiari, quam criminali de pœna; quoniam in illo privata utilitas, in hoc vigor publicæ disciplinæ spectatur. *Nec obstat*, rem semel judicatam non posse amplius retractari. Licet enim sit idem factum, res tamen est diversa: alia enim est petitio rei suæ, vel damni; alia persecutio vindictæ. Igitur, civili judicio finito, potest adhuc intentari criminale, ex eodem facto. Sic, qui per vim de possessione ejectus est, si de ea recuperanda interdicto, unde vi, fuerit usus, non prohibetur etiam, lege Julia de vi, publico judicio accusationem instituere. Et, qui ob suppressum testamentum de tabulis exhibendis egit, nihilominus ex lege Cornelia de falsis accusandi habet facultatem.

Vtrumq; judicium simul cumulari nequit, &, uno electo atq; intentato, alterum differtur, & suspenditur, donec prius finiatur.

Si

Si utrumq; judicium vindictam contineat, is, qui uno judicio usus est, alterum postea movere non potest: neq; enim licet idem bis vindicare, prorsus, uti nec idem bis petere licet. Sic, qui Actione injuriarum civiliter egit, a criminali actione repellitur: & Maritus, qui criminaliter contra Vxorem adulteram egit, postea civiliter eam aggredi prohibetur; quia utrumq; judicium vindictam persequitur.

Titulus 32.

De Crimine Expilatæ Hereditatis.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 19. *Expilatæ hereditatis.*

Titulus 33.

De Vi bonorum raptorum.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 8. *De vi bonorum raptorum, & de turba.*

Titulus 34.

De Crimine Stellionatus.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 20. *Stellionatus.*

Titulus 35.

De Injuriis.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 10. *De Injuriis & famosis libellis.*

Titulus 36.

De Famosis Libellis.

FAcit huc Digestorum titulus jam modo allegatus.

Titu-

Titulus 37.
De Abigeis.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 14. ejusdem inscriptionis.

Titulus 38.
De Nili aggeribus non rumpendis.

SI *quis Nili aggeres*, qui Niloticam aquam continent & coërcent, ruperit, extra ordinem punitur, pro sua conditione, & delicti qualitate.

His aggeribus tribuitur *latitudo 12. cubitorum*; ex qua, si quis aliquid usurpaverit, flammis punitur, & criminis conscii deportantur, sine spe restitutionis, pro qua supplicare non licet.

Titulus 39.
De his, qui Latrones, vel aliis crimin[illegible] reos occultaverunt.

VIdendus libri 47. Digestorum titulus 16. *De Receptatoribus.*

Titulus 40.
De requirendis Reis.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 17. *De requirendis Reis, vel absentibus damnandis.*

Titulus 41.
De Quæstionibus.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 18. ejusdem inscriptionis.

Titulus 42.
De Abolitionibus.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 16. *Ad SC. Turpilianum, & de Abolitionibus criminum.*

Titu-

Titulus 43.
De generali Abolitione.

P*Vblica & generalis Abolitio* est, quæ datur vel ipso jure, ratione solemnium Feriarum, vel propter causam subito exortam, veluti Victoriam Principis, aliamve.

Datur principaliter ob Reos, citra ullam petitionem, Accusatoribus vero suspendit potius hæc abolitio accusationem, quam tollit: licet enim accusatori intra 30. dies post ferias, eandem repetere; impune tamen omittit.

Indulgentia specialis, concessa a Principe super crimine, imponit Accusatori perpetuum silentium, & statum plenissimam tribuit impunitatem.

Titulus 44.
Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.

ABolitione non impetrata, Accusatio & Causa criminalis instituta *olim intra annum finienda erat.* Sed Justinianus hunc annum prorogavit ad *biennium*, cum nulla unquam de morte hominis cunctatio longa sit. Biennium hoc currere incipit post litem contestatam, contra præsentem; aut, ex tempore, quo lis habetur pro contestata, cum judicium movetur contra absentem; curritq; sine intermissione, ita, ut post biennium elapsum reus absolvatur.

Accusator, si intra hoc tempus accusationem cœptam persequi supersederit, & multo magis, si ultima die adesse neglexerit, mulctatur amissione quartæ partis bonorum, manetq; eum infamia.

Judex

Judex, qui litigatoribus admonentibus examinationem distulerit, pœna 20. librarum auri mulctatur.

Titulus 45.

Ad Senatusconsultum Turpillianum.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 16. *ad SC. Turpillianum, & de abolitionibus criminum.*

Titulus 46.

De Calumniatoribus.

VIdendus libri 3. Digestorum titulus 6. ejusdem inscriptionis.

Titulus 47.

De Pœnis.

VIdendus libri 48. Digestorum titulus 19. ejusdem inscriptionis.

Titulus 48.

Ne sine jussu Principis certis Judicibus liceat confiscare.

B*Ona confiscantur*, vel quia judex confiscari jussit, vel, quia reum affecit ea pœna, quam confiscatio bonorum consequitur, id est, pœna mortis, aut servitutis.

Magistratus, *qui summam potestatem habent*, utroq; modo bona damnatorum publicare possunt, etiam inconsulto Principe, ut Præfectus Prætorio, & Præfectus urbi, qui sunt Illustres. *Inferiores*, ut Clarissimi, & Rectores Provinciarum, licet eam pœnam infligere possint, cui tacite cohæret bonorum confiscatio, ut gladio punire, vel in metallum dare; tamen expresse bona confiscandi potestatem non habent.

Titu-

Titulus 49.

De Bonis Proſcriptorum ſeu Damnatorum.

C*Onfiſcantur Bona* 1. Proſcriptorum, id eſt, quorum bona judex confiſcanda pronunciavit expreſſe; dummodo aut ſit Illuſtris, aut permiſſu Principis id fecerit: 2. Damnatorum pœna capitali: nam, pœnam capitalem, etiam tacente judice, ſequitur bonorum confiſcatio. Videndus amplius libri 48. Digeſtorum titulus 20. *De bonis damnatorum.*

Titulus 50.

De Bonis eorum, qui mortem ſibi conſciverunt.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 21. *De Bonis eorum, qui, ante ſententiam, vel mortem ſibi conſciverunt, vel Accuſatorem corruperunt.*

Titulus 51.

De ſententiam paſſis, & reſtitutis.

VIdendus libri 48. Digeſtorum titulus 23. ejusdem inſcriptionis.

CODICIS LIBER X.

Titulus 1.

De Jure Fiſci.

VIdendus libri 49. Digeſtorum titulus 14. ejusdem inſcriptionis.

Titulus 2.

De conveniendis Fiſci Debitoribus.

S*I aliqui geſſerunt adminiſtrationem publicam ipſius Fiſci*, & pro iis alii indemnitatem promiſerunt fide-

fidejubendo, hi non ante conveniuntur, quam principales illi administratores fuerint excussi.

Titulus 3.

De fide & jure Hastæ Fiscalis, & de Adjectionibus.

V*Enditio Bonorum Debitoris, qui cessaverat in solutione fisci*, itemq; bonorum caducorum vel commissorum, fiebat in foro, posita hasta; inde *Subhastatio* dicta, cum res præconis voce venduntur.

Vt fiscalis subhastatio procedat, oportet, ut debitor coram judice interpellatus fuerit, & in solutione debiti cessaverit.

Res addicitur ei, qui *licitatione vincit*, id est, plus offerenti.

Post addictionem alicui factam a Fisco, potest alius quispiam intra statuta tempora plus adjicere, ita *ut nova licitatio fiat*, & res iterum plus offerenti addicatur, sive idem, qui antea obtinuit, sive alius licitatione vincat: quamvis ob rem a Republica addictam adjectio non admittatur; in multis enim est melior conditio Fisci, quam Reipubl. quia Respubl. utitur jure privatorum.

Titulus 4.

De Venditione Rerum Fiscalium, cum privatis communium.

S*Peciale est in Fisco*, ut, si rem cum alio communem habeat, totam vendere possit, quo facilius emtorem reperiat.

Titulus 5.

Ne Fiſcus rem, quam vendidit, evincat.

IS, *qui bona fide ab una ſtatione fiſcali, ſive ab uno Officiali fiſci, rem emit aliquam, quæ ad aliam ſtationem & officium fiſcale pertinebat*, ſi fiſco ejusve ſtationi vendenti verum pretium exſolvit, adeo ſecurus eſt, ut non poſſit a præpoſito alteri ſtationi inquietari, nec ei, ſuper tali re vendita, controverſia moveri, nec fiſcus ipſe rem evincere, eo prætextu, quod res illa ad ſtationem vendentis non pertinebat. Non enim æquitatis ratio patitur, ut Fiſcus, quod ſemel vendidit, retractet.

Titulus 6.

De his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

POteſt quidem aliquis pecuniam mutuam accipere a Civitate, vel a Republica, Adminiſtratore pecuniam publicam fœnori dante; ſed, nec ex Arca præfectoria, nec ex theſauris Principis mutuari licet. Qui inde mutuum acceperit, quadruplum reſtituit. Qui hinc mutuum ſumſerit, in exilium, bonis confiſcatis, mittitur.

Titulus 7.

Pœnis Fiſcalibus Creditores præferri.

FIſcus, qui regulariter aliis creditoribus præfertur, *in pœnis* exigendis, poſtponitur cæteris.

Titulus 8.

De Fiſcalibus Vſuris.

VSuræ *Fiſco ex contractu debentur*, etiam ob nudum pactum, ſine ſtipulatione, videlicet uſuræ ſemiſſes; ex crimine & pœna non debentur.

Titulus 9.

De ſententiis adverſus Fiſcum latis retractandis.

R*Es contra Fiſcum judicata* retractatur ex cauſa intra triennium, non poſt triennium, niſi ob prævaricationem, aut manifeſtam fraudem, aut nova inſtrumenta reperta.

Titulus 10.

De Bonis vacantibus, & de incorporatione.

S*I quis ſine herede deceſſerit*, eo caſu dicuntur bona vacantia, & ad fiſcum pertinent.

Incorporare, eſt rebus fiſcalibus addere, & quaſi in unum corpus redigere atq; conjungere.

Titulus 11.

De Delatoribus.

D*Elator* eſt, qui rem ad fiſcum pertinentem, voluntarie, non officii neceſſitate coactus, præmii cauſa, non adverſarii ulciſcendi gratia, nec ut cauſam ſuam defendat, nec in crimine læſæ majeſtatis, fiſco nunciat. Idem vocatur *Accuſator*, præſertim ſi crimen publicum deferat, & *Quadruplator*, quia quartam partem eorum, quæ in fiſcum rediguntur, plerunq; pro præmio accipit.

Quidam coguntur deferre, ut Palatini; quidam *omnino prohibentur*, ut Mulieres, Viri Clariſſimi, Veterani; quidam *non omnino a delatione arcentur*, ſed tantum prohibentur, ne quaſdam perſonas deferant; ut, Filius non poteſt deferre Patrem vel Matrem, Libertus Patronum, Servus Dominum; alios, pro

libitu poteſt deferre vel non deferre. Poteſt quis & ſemetipſum deferre.

Cauſæ, ex quibus Delatio fit, variæ ſunt: 1. Si fideicommiſſum incapaci ſit tacite relictum. 2. Si heres ſit indignus hereditate, ut, quia non vindicavit necem defuncti; aut teſtatorem infirmum neglexit, ut moreretur. 3. Si Princeps ſit heres inſtitutus, & in ejus fraudem teſtamentum vel codicilli ſubrepti dicantur. 4. Si quis theſaurum invenit; aut rem magni pretii a fiſco emit vili pretio. 5. Si quis conſcientia criminis, & metu pœnæ, ſibi mortem conſciverit. 6. Si defunctus dicatur obnoxius crimini perduellionis, vel alii, quod morte non extinguitur. 7. Si quis in commiſſum ceciderit, ob vectigal non ſolutum.

Delationi bonorum vacantium præſcribitur quadriennio, quod computatur ex die, quo certum eſſe cœpit, nullum eſſe ſucceſſorem, ideoq; bona eſſe vacantia. *Delationi ex cauſſa commiſſi* præſcribitur quinquennio. Cæteræ cauſæ fiſcales finiuntur præſcriptione 20. annorum.

Delator non admittitur, niſi, dato fidejuſſore, ad ſummam quinq; librarum auri caveat, ſe delationem probaturum.

Rebus delatis neq; ſigilla imprimuntur, neq; circa eas aliquid innovatur, ante latam ſententiam.

Delator punitur, 1. ſi delatio prohibita ſit, uti Servi contra Dominum. 2. Si ſine Advocato Fiſci denunciet; nam Advocatus Fiſci & Delator hac in parte ita junguntur, ut alter ſine altero nihil facere poſſit. 3. Si calumnietur, aut tergiverſetur, non probans, aut non perſequens inſtitutam denunciationem.

Dela-

Delatus, qui dato pretio cum delatore paciſcitur, vel eum corrupit, pro confeſſo habetur.

Titulus 12.
De Petitionibus Bonorum ſublatis.

B*Ona vacantia, vel commiſſa, vel ſimilia, non ſunt petentibus concedenda*, quamvis ſine petitione concedi poſſint: hic enim habet locum illud, quod dicitur in *l. 1. ff. de extraord. cognit.* multa honeſte accipi, quæ non honeſte petuntur.

Titulus 13.
De iis, qui ſe deferunt.

P*Oſſunt omnes ſeipſos deferre*, ſive maſculi ſint, ſive fœminæ, nulla habita ratione dignitatis, ætatis, aut conditionis: nam & pupillis permittitur ſe deferre, poſt ſeptimum ætatis annum.

Defert quis ſe ad hunc effectum, ut ex ea re, quam per leges retinere nequit, & ad fiſcum ſpectat, portionem aliquam pro præmio delationis conſequatur. Finge, fideicommiſſum tacite relictum eſſe incapaci. Si heres ſe deferat, trientem omnium bonorum habet pro præmio: ſi fideicommiſſarius, aſſis dimidiam partem.

Titulus 14.
Si Imperialis liberalitatis ſocius ſine herede deceſſerit.

S*I Princeps, duobus ſimul & communiter aliquid donaverit*, & eorum alter ſine herede deceſſerit, non ei ſuccedit fiſcus, ceu alias fieri ſolet, ſed donationis conſors, ſeu ſocius.

Titulus 15.
De Thesauris.

THesauri inventi dimidia pars ad fiscum pertinet. Sed, ut hoc obtineat, *requiritur* 1. ut sit thesaurus proprie dictus: qui nihil aliud est, quam pecunia ante omnem memoriam deposita, cujus dominus ignoratur. 2. Vt sit inventus in loco fiscali, vel publico, vel Principis, vel religioso, vel in monumento: nam, qui in loco suo invenit, totum sibi acquirit; qui in alieno, si casu fortuito invenit, partitur cum domino fundi; si autem data opera invenit, totum domino fundi restituit.

Titulus 16.
De Annonis & Tributis.

SOlent in fiscum redigi ex annuis proventibus privatorum Annonæ, & Tributa. *Annonæ* in speciebus consistunt, veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, sale, melle. *Tributum*, in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, vestibus, quæ *Intributiones* & *Contributiones* vocantur.

Opus est annonis & tributis, ut Princeps exercitum alere, militibus stipendia præbere, & Rempubl. tueri possit.

Tributorum duo sunt genera, alia Soli, alia Capitis: illa, imponuntur fundis, hæc, personis: & ideo illa, quæ ex fundis rebusq; colliguntur, proprie *Census* dicuntur; quæ vero a personis præstantur, vocantur *Capitationes*, eo quod per capita imponuntur.

Titu-

Titulus 17.
De Indictionibus.

ANnonis & tributis duo accidunt, Indictio, & Exactio, quorum utrumq; fit autoritate Principis. *Indictio* deposcit, *Exactio* ad solvendum compellit.

Ex hac indictione cœperunt anni numerari; quod factum sub Constantino, ceu Onuphrius probat ex fastis Græcis.

Indictionum dinumeratio initium sumebat *a Kalendis Septembribus*. Hodie tamen *tabelliones Imperiales* Indictionem inchoant sub æquinoctium autumnale, i. e. 8. Kal. Octobr. *Pontificii* vero 8. Kal. Januarias.

Titulus 18.
De Superindicto.

S*Vperindictum*, est Indictionis augmentum, cum indictio non sufficit ad necessitatem rei gerendæ. Sublatum deinde hoc nomen, eo quod speciem quandam tyrannidis referret, & ideo voluerunt Imperatores, superindictionem, potius Indictionem quoque, & Canonem vocari.

Titulus 19.
De Exactionibus Tributorum.

AD exigenda tributa mittuntur Palatini, qui vocantur *Exactores*, item *Canonicarii*, *Scriniarii*, & *Susceptores*. Ii autem non debent prius aliquem convenire, quam a Tabulariis Civitatis Breves accipiant debitorum. Sunt autem *Breves*, libelli vel matriculæ, continentes nomina & quantitates debitorum.

Titulus 20.
De Superexactionibus.

NOn plus exigi debet, quam continetur ea notitia, quæ appellatur *Delegatio* vel *Scriptio*, quæ manat a Principe, & mense Julio vel Augusto (quoniam sequenti mense Indictionis annus incipit) insinuatur apud Acta Præfectorum Prætorio. Anni initio mittitur a Præfectis Prætorio ad Præsides Provinciarum, & a Præsidibus proponitur in singulis civitatibus, ut omnes & singuli sciant, quantum conferre oporteat. *Quod si ultra debitam quantitatem exactor quid extorserit*, in duplum id restituit; &, si in hoc crimine perseveret, capite punitur.

Titulus 21.
De capiendis & distrahendis Pignoribus, tributorum causa.

S*I debitores, conventi & moniti, fiscalibus debitis per contumaciam satisfacere differant*, res eorum distrahuntur, cum sint tacite obligatæ, habeatq; Fiscus in illas res, ob onera imposita, jus reale. Datur enim ad solvendum terminus, quo elapso, irrevocabiles fiunt alienationes, adeo, ut pro pecunia tributi, quod sua die non est redditum, quo minus prædium jure pignoris distrahatur, oblata moratoria cautio non admittatur.

Titulus 22.
De Apochis publicis, & de Descriptionibus Curialibus, & de Distributionibus Civilibus.

C*Ollatoribus, ne bis eadem tributa solvant*, cavetur apochis publicis, quæ alias vocantur securitates.

Col-

Collatoribus ne ultra debitum conveniantur, proſpicitur deſcriptionibus curialibus, quæ erant appretiationes, ſeu patrimoniorum æſtimationes. Non autem iſtæ deſcriptiones, a Curialibus factæ, ante effectum habebant, quam inſinuatæ & approbatæ fuisſent a Præſidibus, quorum muneri incumbit, ut in contributionibus æqualitas obſervetur, utq; aurum, quod ex hujusmodi contributionibus redigitur, Suſceptori aurario conſignetur, deturq; ab eo apocha de ſumma recepta, in qua & Collatoris nomen, dies, menſis, annus, & cauſa, ob quam præſtita functio fuerit, contineantur.

Titulus 23.

De Canone largitionalium Titulorum.

C*Anon largitionalium titulorum*, erat certa ſumma auri, vel argenti, vel reliquarum ſpecierum pars, ex computatione redacta, & deputata Principis largitionibus, vel neceſſitatibus privatis, quæ ideo ex more inferebatur in arcam ſacrarum largitionum; quam ſacrum ærarium, theſaurum, aut privatum ærarium vocabant.

Titulus 24.

Ne Operæ a Collatoribus exigantur.

HVjus tituli conſtitutio, *Operarum præbitionem*, quam a collatoribus exigere moris erat, ceſſare præcipit, quoniam ſatis tributis ordinariis aliisq; indictionibus gravantur; cum æquum non ſit, ab aliquo plus exigere, quam debet.

Titulus 25.

De Immunitate nemini concedenda.

IMmunitas alia est onerum patrimonialium, alia personarum. A muneribus patrimonialibus, & præstandis tributis, raro olim immunitas concedebatur; quia Reipublicæ interest, habere ærarium opulentum.

Tabularii Civitatum, qui rationes tributorum tractant, si per fraudem, aut ambitum, injuste cujusquam immunitatis professionem admittant, vivi exuruntur.

Titulus 26.

De conditis in publicis Horreis.

NOn tantum publicas functiones pendere, sed etiam *coëmta præstare*, id est, annonarias species fisco vendere, subditi compelluntur. A provincialibus itaque coëmtum frumentum, reponi voluerunt Impp. in publicis horreis, ut inde usui publico, & exercitui serviret, necessitatis tempore. Ideo ista horrea constituta erant in limitaneis locis, & castris veteranis, in quibus major pars militum degebat: atque in iis asservabantur, præter frumentum, etiam reliquæ species, uti vinum, acetum, oleum, lardum, fœnum, paleæ, quæ militibus erogabantur.

Titulus 27.

Vt nemini liceat in emtione specierum se excusare, & de munere sitocomiæ.

V*Rgente necessitate, fiscus undiq; coëmebat frumenta*, aliasq; annonarias species, quas etiam inviti possessores ad forum mittere, justoq; pretio fisco vendere cogebantur, adeo, ut nullus privilegii alicujus, aut dignitatis prærogativa, sese potuerit excusare.

Cum

Cum in Civitate aliqua frumenti comparandi Curatore opus est, ejus creatio fit, non ex quibuslibet, ſed ex Decurionibus, vel Cohortalibus, arbitrio primorum civitatis, & Epiſcopi. Hic autem annonæ curator, *Sitonicus* vocatur, qui frumentum non tantum, ſed & oleum publica pecunia comparat: unde hoc munus Modeſtinus appellat *ſitoniam*, & *eleoniam.*

Titulus 28.

De Collatione Donatorum, vel Relevatorum, aut Translatorum, ſeu Adæratorum.

P*Rædiis, quibus onus collationis a ſupremo Principe impoſitum eſt, quatuor accidunt: Donatio, Relevatio, Translatio, & Adæratio.* Nam Princeps interdum *liberalitate* benevolentiam ſubditorum ſibi conciliat, dando eis poſſeſſiones liberas ab omni cenſu, aut gratiam faciendo, remittendoq; tributa præterita. Interdum *relevat ſubditos* ab onere ſolvendi tributa in futurum, ob deteriorationem prædiorum, vel ob damna aliqua gravia, quæ bello, tempeſtate, ſterilitate, aut ſimili caſu fortuito acciderunt. Interdum *transfert onus tributi in aliud jus*, aut functionem, ex una videlicet præſtatione in aliam, vel, quod in una præſtatione dandum erat, transfert in aliam. Aliquando *mutat ſpecies tributorum*, ut puta, ſi quibusdam prædiis tributum in annonis ſit impoſitum, illud commutat pecunia ſive ære; qua de cauſa prædia adærata dicebantur.

Adærare enim eſt, taxare, & æſtimare pecunia, aut ære, quod in annonis præſtandum erat.

Fuerat quidem olim, ex conceſſione Principum, lex certa ipſis poſſeſſionibus impoſita, circa menſu-

ram

ram & quantitatem, quam tributorum nomine solvere tenerentur vel non, ex illis prædiis donatis, relevatis, translatis, aut adæratis. Tandem *Antiochus Præfectus Prætorio*, ex indulgentia Impp. ista prædia ad certam & determinatam tributi anniversarii præstationem redegit, atque hanc relevationem prædiorum, suam obtinere firmitatem, Impp. Valentinianus & Theodosius voluerunt.

Titulus 29.

De Collatione Æris.

NOn est cogitandum, adærationem hoc efficere, ut omni modo æs præstetur: nam, & quæ provinciæ æs præstant, ut Cyprus, *vice æris possunt justam æstimationem inferre;* quod & in argento obtinet. Itaque liberum collatoribus est, æs, vel argentum, aut ejus æstimationem solvere. Æstimantur autem *20. æris libræ, uno auri solido; & argenti libra, quinque solidis.*

Titulus 30.

De Discussoribus.

D*Iscussores*, erant Cognitores & Disceptatores rationum fiscalium, vel publicarum, quæ jam ab aliis sunt dispunctæ ac tractatæ.

Consistit discussoris munus in eo præsertim, ut inquirat in qualibet civitate & municipio tributorum fiscalium debitores, eosque in tabulas referat, quot jugera, quotve possessiones quisq; habeat, discutiat & æstimet cujusq; facultates, onera, ut omnibus perpensis imponi possit tributum, pro modo patrimonii.

Creabantur Discussores, jussione & autoritate Principis, non Præfectorum; nec ex alio quam nobilium & honoratorum ordine assumebantur, idque munus sub-

ſubterfugere nemo poterat, quamvis eſſet Advocatus conſiſtorii, aut Miles, dummodo non militaret.

Titulus 31.

De Decurionibus & Filiis eorum, & qui Decuriones habentur, & quibus modis a fortuna Curiæ liberentur.

VIdendus libri 50. Digeſtorum titulus 2. *De Decurionibus & Filiis.*

Decuriones ſunt, qui conſilio Reip. municipalis interſunt, ac præſunt; ita dicti, quod, cum e civitate Romanæ coloniæ deducerentur, decimus quisque ex iis, qui deducebantur, eligeretur, publici conſilii gratia. Vti ergo Romæ Senatores non judicabant, ſed præerant tantum curæ Reipublicæ, ita Decuriones in municipiis non erant judices, ſed conſilio Reipublicæ intererant, & Curiæ ſuæ negotia tractabant, eorumque cœtus *Ordo* dicebatur, & *Curia.*

A Curiæ oneribus, & Decurionatus munere liberabantur, qui ex indulgentia Principis, præmii & honoris cauſa, ſummas dignitates Præfecti Prætorio, Vrbis, Magiſtri militum, & alias fuiſſent conſecuti; ita nimirum, ſi eas adminiſtrarent, non vero eſſent tantum honorariæ; quæ eædem dignitates eos quoque liberabant a patria poteſtate. At vero *Epiſcopalis dignitas*, quanquam & ea ſumma ſit, & patriæ poteſtatis vinculum tollat, non tamen liberabat a munere curiali, ſed neceſſe erat, ſaltem per ſubſtitutum, officium decurionis implere.

Titu-

Titulus 32.
Si Servus aut Libertus ad Decurionatum adſpiraverit.

CVm Ordo Decurionum fuerit ſeminarium cunctorum honorum municipalium, ideo *nec Servi, nec Liberti, eo adſpirare poterant:* & quidem, ſi *Servus* ſciens adſpiraſſet, graviſſima pœna afficiebatur, ſi ignorans, illæſus domino reddebatur.

Nec etiam *Liberto* ad curiæ munera licitum erat adſpirare, qui jus aureorum annulorum adeptus non eſſet, vel natalibus ſuis non reſtitutus: qui enim annulo utebantur, cenſebantur ingenui, ideoq; annulus libertinis dabatur, ut quaſi ingenui viverent, licet morerentur tanquam liberti, ac tenerentur, patronum in debita parte inſtituere, & alia obſequia ei præſtare.

Jure noviſſimo, omnes liberti natalibus reſtituuntur, & jus habent annulorum, ſalvo jure patronatus, Nov. 78. ita, ut quod ad perſonam Patroni ſpectat, liberti intelligantur, niſi & ipſe patronus hoc etiam remiſerit; quoad alios autem, vere Ingenui cenſeantur, admittantur in curiam, fruanturq; ſplendore ejus ordinis, ceſſante pœna legis Viſcelliæ.

Titulus 33.
De Prædiis Decurionum ſine decreto non alienandis.

NOn ſolum, ne unquam perſonæ Curiales deeſſent, legibus proviſum fuit, verum etiam ne iis facultates deficerent, unde munus poſſent ſuſtinere, *prohibita fuit iis idcirco prædiorum ſuorum venditio, ſine decreto Præſidis*, vel judicis competentis, quod interponi debet, cauſa propoſita & probata apud acta, ſine

ſine impendio contrahentium; alioquin Emtor & Venditor verſatur in mala fide, eſtque nulla venditio, cogiturque Emtor Venditori prædia reſtituere cum fructibus, nec ab eo pretium recipit, multo minus meliorationes.

Titulus 34.

Quando, & Quibus parta pars debetur ex Bonis Decurionum, & de modo distributionis eorum.

QVo magis Curiæ conſuleretur, cautum fuit, ut *ex bonis Decurionis*, ex teſtamento vel ab inteſtato decedentis, quarta pars curiæ relinqueretur, ſi non curialis curiali ſucceſſiſſet ex aſſe, cum onere tamen æris alieni hereditarii. Sin autem plures non curiales ex partibus heredes fuiſſent, vel bonorum poſſeſſores ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſinguli pro rata conferrent, ad quartam partem curiæ debitam.

Titulus 35.

De imponenda lucrativa Deſcriptione.

NOn ſolum quartam bonorum partem heredi non curiali aufert Curia, *ſed etiam ex ſua portione eidem Curiæ, heres non curialis, quatuor ſiliquas præſtare cogitur* tributi nomine; eſt autem *Siliqua* viceſima quarta pars Solidi, id eſt Aurei.

Imponitur autem *hoc tributum* quatuor ſiliquarum rebus immobilibus, & poſſeſſionibus alienatis titulo lucrativo, non rebus mobilibus, aut titulo oneroſo acquiſitis, nec item hominibus, id eſt mancipiis, ſi alienentur. Lucrativi tituli ſunt, hereditas, legatum, fideicommiſſum, mortis cauſa, vel inter vivos donatio.

tio. Onerosi sunt, emtio, permutatio, dos, donatio propter nuptias.

Titulus 36.

De præbendo Salario.

COnstitutione hujus tituli *probibitum est, ex publico Salarium præbere, sine permissu Principis.* Quo fit, ut ex juribus Reipub. aut pecunia Principis, non liceat Decurionibus Salarium constituere, in damnum Principis aut Reipub. Nam, si Decurionibus liceret Salaria constituere, in damnum Principis aut Reipub. plus forte amicis tribuerent, quam deberent; cum de alieno semper homines liberales esse soleant.

Titulus 37.

Si Curialis, relicta Civitate, Rus habitare maluerit.

SI *Curiales, immemores suæ civitatis, eam deserant, & rus habitandi causa se conferant*, eo quod ob rusticanum prædium civitatem contempserint, prædio privantur, ac fisco id acquiritur.

Titulus 38.

De Municipibus & Originariis.

VIdendus libri 50. Digestorum titulus 1. *Ad Municipalem, & de Incolis.*

Municipes dicuntur suæ cujusque civitatis cives, suntque partim Originarii, partim Voluntarii, ut incolæ.

Originarii, non tam a propria, quam a patris origine dicuntur. Nempe qui ex duobus Campanis natus est, patre & matre, Campanus est, &, si pater sit alterius originis quam mater, patris, non matris ori-

originem filius ſequitur, quamvis in matris natus ſit civitate.

Qui in Vico ortus eſt, patriam intelligitur habere, & ortus eſſe ex ea civitate, cui vicus ille reſpondet. *l.30. ff. ad munic.*

Titulus 39.

De Incolis, & ubi quis domicilium habere videtur, & his, qui ſtudiorum cauſa in aliena civitate degunt.

I*Ncolæ*, dicuntur ratione domicilii.

Ibi quis *domicilium* habere dicitur, ubi larem rerumque & fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non eſt diſceſſurus, ſi nihil avocet: unde ſi profectus eſt, peregrinari videtur; quo ſi rediit, peregrinari deſiit.

Is, qui, *ſtudiorum cauſa*, aliquo loco moratur, peregrinari creditur, niſi, decem annis transactis, eo loci ſedes ſibi conſtituerit: quin, nec ejus pater, crebro ad illum commeans, ibi domicilium habere exiſtimatur.

Titulus 40.

De Muneribus & Honoribus non continuandis inter Patrem & Filium, & de Intervallis.

M*Vnera Civilia* ſunt onera publica, quæ civibus imponuntur. *Honores*, ſunt dignitatis gradus, cum adminiſtratione Reipublicæ, ſine erogatione aliqua, aut onere.

Omnis *Honor* eſt perſonalis: *Munus* autem, partim eſt perſonale, partim patrimoniale.

De Honore & Munere perſonali notandum, neminem poſſe honorem aut munus ſemper continuare,

 imo

imo nec admitti inter patrem & filium continuationem honoris vel muneris, quia pro una persona habentur; si modo alii idonei reperiantur, quibus injungi possit.

Post Temporis intervallum, jure constitutum, potest alicui idem, vel alius honor deferri, aut munus injungi. *Tempus autem varium est*, nam ab honore ad eundem honorem datur quinquennii vacatio; ad diversum, triennii; legatione autem perfunctis, biennii vacatio concessa est.

Titulus 41.

De Muneribus Patrimoniorum.

PErsonalia *Munera* sunt, quæ cum corporis labore, provisione & solicitudine animi ac vigilantia, principaliter existunt, & sine aliquo gerentis detrimento pertractantur; veluti civitatis defensio, procuratio Reipubl. tutela, cura adulti vel furiosi, collectio publicorum redituum.

Patrimonialia Munera censentur, in quibus sumtus postulantur, & quæ damno administrantium expediuntur: suntque vel Extraordinaria, vel Ordinaria.

Munus Patrimoniale Extraordinarium est, quod ex improviso imponitur, nec singulis annis recurrit, uti Collecta.

Munus Patrimoniale Ordinarium est, quod possessionibus adhæret, & ab omnibus etiam non subditis, modo in loco illo aliquid possideant, sustinetur. Item sustinetur ab iis, qui immunitatem meruerunt, quoniam ea immunitas coarctatur quoad munera personalia: nam Realia, itemq; Pecuniaria munera, quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratia imponuntur, ut omni-

omnino remittantur, opus eſt ſpeciali Principis conceſſione.

Titulus 42.

Quemadmodum Civilia Munera indicuntur.

HOnores & *Munera gradatim deferri debent.* Ideo Præſidi provinciæ curandum, ut munera & honores in civitatibus æqualiter per vices injungantur, atq; ut gradus munerum honorumq; qui ſtatuti ſunt, obſerventur. Itaq; nemo Majorem Magiſtratum gerere debet, niſi Minorem ſuſceperit: nec in civilibus tantum, ſed & militaribus officiis, per gradus ad honores eundum eſt.

Titulus 43.

De His, qui ſponte Publica Munera ſubeunt.

IS, *qui publici muneris vacationem habet*, ſi aliquem honorem, excepto Decurionatu, ſponte ſuſceperit, ob patriæ ſuæ utilitatem, impoſterum competens privilegium immunitatis ſibi conceſſæ non amittit.

Excipitur Decurionatus: nam ſi quis, quantumvis Veteranus, Decurionem ſe fieri paſſus ſit, in patria immunitatem amittit, niſi de ea ſervanda pactus ſit, aut partem tantum Decurionatus agnoverit, puta ad aliquos honores ſuſcipiendos; nam tunc a cæteris honoribus & corporalibus muneribus excuſabitur.

Titulus 44.

De his, qui a Principe Vacationem acceperunt.

SVnt quædam Conceſſiones Principum, *quæ vacationem vel excuſationem a muneribus Reipublicæ*

vel municipii præbent; idq; vel in perpetuum, vel ad tempus. *In perpetuum* eximitur quis, etiam a muneribus patrimonialibus, ſi nominatim id Princeps in ſua conceſſione expreſſerit. *Ad tempus* conceditur reſcripto Principis vacatio, ex veris & approbatis cauſis, veluti propter morbum, aut inopiam.

Ab alio, quam a Principe, conceſſa Immunitas, nulla eſt, niſi cauſa, ob quam petitur, expreſſa ſit in corpore juris; quia tunc poterit ea allegari, & judex, habita cauſæ cognitione, per ſuam ſententiam declarabit, hujusmodi vacationem & immunitatem, alicui competere.

Titulus 45.

De Vacatione publici muneris.

DIctum eſt, a quo concedatur Vacatio; nunc notandum, quid conceſſa operetur. Nimirum, *Reſcriptum, quo ſimpliciter conceſſa eſt immunitas*, tantum porrigitur ad ea, quæ ad tempus extra ordinem indicuntur, non ad ordinaria munera, inter quæ cenſetur onus recipiendi hoſpites, vel milites, niſi ſpeciali juſſione id ſit remiſſum.

Qui *publici muneris vacationem* habet, collationes, per Magiſtratus ex improviſo dictas, recte recuſat, eas vero, quæ a lege fiunt, recuſare non debet.

Titulus 46.

De Decretis Decurionum, ſuper Immunitate quibusdam concedenda.

D*Ecurionum decreta* firma ſunt, quæ ſpectant publicam Reipublicæ ſalutem, dummodo legitime & ſufficienti numero Decuriones conveniant, id eſt duabus partibus adhibitis, & convocatis juſſu Præſidis, ad ſonum tubæ, vel campanæ.

Caveat

Caveat Judex, prætextu æquitatis, Ordinis ambitiosa decreta approbare : nam talia, utpote sacris Principum Constitutionibus improbata, nullam habent firmitatem.

Ambitiosa Decreta esse dicuntur, cum Decurionum ordo quid largitur ex publico, sine utilitate publica, aut remittit debitum gratis, liberando debitorem ab ære aut tributo, quo obstrictus est Reipublicæ. Pactis enim privatorum jus publicum lædi, aut forma juris fiscalis convelli non potest.

Titulus 47.

De Excusationibus Munerum.

SEquitur de Excusationibus, quibus illi, quibus munera indicuntur, uti possunt: & cum triplicia sint munera, de personalibus & mixtis hic potissimum tractatur, non vero de patrimonialibus, quia ab his paucissimi excusantur, & non nisi ex speciali Principis indulgentia.

Titulus 48.

De quibus Muneribus vel Præstationibus nemini liceat se excusare.

S*Vnt quædam Munera, a quibus nullus, etsi privilegio munitus, excusari potest :* ut munus comparationis vel emtionis Frumenti, Vini, aliarumq; specierum, tempore famis, belli, vel alterius publicæ necessitatis; ut videlicet nullus a venditione se excuset, sed quilibet ad vendendum urgeatur. Tale est munus Transvectionis specierum victualium, uti cum, expeditionis tempore, exercitus Principis de una provincia in aliam transit, vel locum aliquem obsi-

det, omnes Subditi adſtringuntur, Frumenta, Vinum, aliaque Edulia, illuc ſuis ſumtibus portare, & transvehere ea omnia, quæ militibus conferuntur.

Titulus 49.

Qui Ætate vel Profeſſione ſe excuſant.

ÆTas 70. *annorum* neutiquam ſola ab honoribus, & muneribus his cohærentibus, excuſationem præſtat, ſed a Muneribus tantum Civilibus, veluti tutelis, Officiis publicis, bellicis, aliisq; perſonalibus.

Profeſſio liberalium Artium, veluti Rhetorices, Muſices, Grammatices, Geometriæ, Philoſophiæ, excuſationem præbet: qui enim hujusmodi ſtudiis operam dant, merito poſtulant, ne ab iis ob munera civilia avocentur, maxime ſi civium inopia non ſit. Convenit etiam, ne minores 25. annis a ſtudio juris civilis avocentur, aut muneribus perſonalibus adſtringantur.

Titulus 50.

Qui Morbo ſe excuſant.

M*Orbus, ſive adverſa valetudo corporis, aut mentis*, excuſationem præbet, modo talis ſit, quæ impediat, quo minus quis rebus ſuis propriis præeſſe poſſit; quia Lex noluit quempiam obligare ad id, quod fieri non poteſt: atque ita perpetuam a muneribus vacationem præbet, ſi morbus eſt perpetuus. At, ſi temporalis, & ſpes eſt valetudinis, temporalem præſtat excuſationem; prout de Tutore ægroto expresſum eſt in *l.* 10. §. *ult. ff. de excuſat. tut.* in cujus locum Curator interim datur.

Titu-

Titulus 51.

De His, qui numero Liberorum, vel Paupertate Excusationem meruerunt.

PAter, & ejus exemplo Mater, qui *quinq; liberos habent superstites*, excusationem impetrant a muneribus personalibus, eaq; semel impetrata in perpetuum gaudent.

Numerus *12. aut 13. liberorum* plenissimam excusationem tribuit ab omnibus muneribus.

Liberi, qui a Muneribus excusationem præstant, sunt naturales simul & legitimi, in potestate, sive emancipati. Nihil autem interest, sive masculi sint, sive fœminæ, dummodo sint nati; nam non prosunt nascituri, dum in utero sunt, nec illi, qui ab hostibus sunt capti, Quod vero dicitur, eum, qui nasci speratur, pro superstite esse, tunc verum est, cum de ipsius jure quæritur; aliis vero non prodest, nisi natus sit. Prosunt tamen iis, qui pro Republ. ceciderunt; siquidem hi in perpetuum vivere intelliguntur.

Paupertas quoque excusat, non tamen quælibet, sed tanta, per quam impar quis est muneri injuncto. Cum ergo paupertas onus miserum sit & grave, merito excusationem habet a muneribus civilibus is, qui in tantas rerum angustias devenit, ut vix de suo victum sustinere possit.

Titulus 52.

De Professoribus & Medicis.

A *Muneribus personalibus immunitatem habet Medicus, aut Philosophus, aut Rhetor, aut Grammaticus, aut Jurisperitus:* sive in patria sua medicinam

exerceat, dictasq; artes doceat, sive Romæ; vel sit Medicus militum, aut in comitatu Principis. Jurisperitus tamen immunitatem non habet, nisi sit Romæ.

Titulus 53.
De Athletis.

Athleta quoque immunitatem habet, sed in hoc multa requiruntur: 1. ut per totam ætatem in sacris certaminibus se exercuerit. 2. Vt ter vicerit, & coronatus fuerit. 3. Vt ex merito, non æmulis corruptis, aut redemtis, fuerit coronatus. 4. Vt saltem una ex dictis vicibus Romæ, aut in antiqua Græcia, (quam Cujacius Italiam interpretatur) coronatus fuerit.

Titulus 54.
De his, qui non impletis Stipendiis Sacramento soluti sunt.

Stipendia, sunt salaria, quæ Militibus in remunerationem laboris erogantur; erant autem hæc, Pecunia, Frumentum, & Vestis militaris. Nullis vero, nisi in numeros relatis, stipendia dabantur, nec ullis ante militare permissum, aut hostem gladio petere, quam militari sacramento adscripti essent.

Qui vicena compleverant militandi curricula, Veterani, & honeste missi, itemq; Legionarii dicebantur; atq; his ab oneribus personalibus & muneribus vacatio ipso jure concedebatur, ut non opus esset, eam a Principe impetrare.

Præterea *Veterani sacramento soluti*, ac rude donati, in colonias mittebantur, &, in remuneratonem meritorum, ibi agros accipiebant, & pecuniam ad emenda ruri necessaria, plenaq; immunitate fruebantur nobili-

bilibus concessa, quocunq; in loco degerent, nec eam amittebant, etiamsi eorum aliquis, sua voluntate, honorem aut munus suscepisset.

Immunitate non fruebantur, nisi qui *vigesimum annum* in legione, vel vexillatione implevissent, atque totum id tempus in militia perdurassent, honestamq; missionem fuissent consecuti.

Honestæ missioni æquiparatur fere necessaria, quando ob senectam, aut valetudinem adversam, vitiumve corporis, minus militiæ idoneus quis renunciabatur.

Ignominiosa missio erat, cum miles vel centurio, ob delictum, sacramento solvebatur: atq; eo proprie solvebantur Veterani; exauctorabantur autem puniendi.

Exauctoratis militibus, non solum gregariis, sed etiam tribunis, detrahebantur insignia, & ignominia notabantur, ac sic notatis, aditus ad honores præcludebatur, nec in urbe iis consistere licebat, nec alibi, ubi Princeps erat.

Titulus 55.

Quibus Muneribus excusantur hi, qui, post impletam Militiam vel Advocationem, per Provincias suis commodis vacantes commorantur, & de Conductoribus Vectigalium Fisci.

HOc titulo de iis agitur, *qui militiam impleverunt, vel advocationem*; & nominatim recensentur munera, a quibus excusentur; cujusmodi sunt, cura frumenti comparandi, inspectio operum, defensio civitatis, curatio Reip. vel annonæ, &c. Exemplo militum, *Advocatis*, qui per viginti annorum spatium advocationis officio functi sunt, vacatio conceditur a

muneribus personalibus; cum etiam hi militare credantur, qui civium patrimonia, vitam, & posteros defendunt.

De *Conductoribus vectigalium fisci* cavetur, non alios a muneribus & honoribus vacationem habere, quam qui vectigal a fisco conducunt, & præsentes exercent: atque tales, si maxime velint munera subire, admittendi non sunt; quod certe non conductorum honori datum, sed ne extenuentur eorum facultates, quæ subsignatæ sunt fisco.

Titulus 56.
De Libertinis.

L*ibertos & Libertinos olim diversos fuisse*, observat Suetonius in Claudio, quod, qui manumittebantur, Liberti dicerentur, Libertini, qui ex manumissis orti erant. Sed, postea confundi nomina cœperunt, & pro his usurpari, qui post justam servitutem libertatem consequuti sunt.

Conditio libertinitatis, ut referunt Suetonius & Tacitus, Claudii temporibus, Equitum & Senatorum ordinem gloria sua deturbavit, imo & cæteros civitatis ordines infecit: non tamen a muneribus civilibus liberto tribuere potuit excusationem, ne in ea quidem civitate, in qua domicilium habuit, etiamsi prætendat, quod in patria Patroni munera subeat, in utroq; enim loco munera subire cogitur.

Titulus 57.
De Infamibus.

LIcet *Infames personæ* nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri solent, uti possint, Curialium tamen vel civilium munerum excusatio-

ſationem non habent, ſed ſolemnibus indictionibus, id eſt, patrimonialibus muneribus, ob tutelam vel utilitatem publicam, ſatisfaciant neceſſe eſt, itemque perſonalibus muneribus, a quibus ſolum eximuntur, qui ex privilegio immunitatem habent; hanc vero prætendere aut allegare nequeunt infamia notati, ne in commodum eis cedat, quod deberet in pœnam vergere.

Titulus 58.
De Reis poſtulatis.

R*Ei Criminis poſtulati*, niſi innocentiam ſuam probaverint, novos honores appetere non poſſunt intra annum accuſationis; quo olim criminales cauſæ finiendæ erant. Retinent interim priſtinam dignitatem, ne velut inauditi damnentur.

Titulus 59.
De his, qui in Exilium dati, vel ab Ordine moti ſunt.

Q*Vi ob crimen perpetratum in exilium dati, aut Ordine moti ſunt, interim ab honoribus arcentur. In perpetuum deportatis*, certa Inſula vel locus asſignabatur, pœnæ cauſa: eratque hæc pœna gravisſima, nam, adimebat civitatem & bona, ita ut deportati nec manumittere poſſent, nec teſtari, nec ab inteſtato filiis bona relinquere, ſed ea omnia fiſco applicabantur. At *Relegati*, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, in poteſtate liberos retinebant, & nec teſtamenti factionem, nec bona omnia, ſed ea tantum, quæ illis per ſententiam mulctæ nomine erepta fuere, amittebant.

Titu-

Titulus 60.

De Filiisfamilias, & quemadmodum pro his Pater teneatur.

I*Ndubitati juris eſt, non ſolum eos, qui honores & Reip. munera gerunt, pro ſua adminiſtratione teneri, ſed etiam, qui pro illis fidejuſſerunt, tacite vel expreſſe.* Hinc Pater conſentiendo, ut filius Decurio creetur, univerſis muneribus, quæ decurioni filio injunguntur, obſtrictus eſt Reipub. quaſi fidejuſſor pro filio. Conſenſiſſe autem pater Decurionatui filii videtur, ſi præſens nominationi non contradixerit. Proinde, quicquid in adminiſtratione Reipubl. filius geſſerit, Pater ut fidejuſſor præſtabit, quoniam Rempubl. ſalvam fore videtur promittere, qui conſentit, ut filius Decurio creetur.

Si quis una cum patre ſuo, in cujus poteſtate eſt, ad munus vocetur, liberandus eſt, ne duo ex eadem domo ſimul onerentur.

Titulus 61.

De Periculo Succeſſorum Parentis.

S*I filiusfamilias, vivo patre, ejus aſſenſu Decurio creatus ſit*, &, ob aliquod munus male geſtum, obnoxius fuerit Reipub. non ſolum tenetur Pater, ſed etiam ejus Succeſſores ſeu Heredes, idque pro portionibus hereditariis, dummodo filius in vita patris, tale munus gerere cœperit.

Titulus 62.

De Mulieribus, & in quo loco Munera ſexui congruentia, vel Honores agnoſcant.

M*Ulier, excuſatur a muneribus perſonalibus*, ſexui non congruentibus, item a congruentibus, excuſa-

cusatur in loco originis suæ, si alibi nupta sit; quia sequitur domicilium mariti, & ibidem honores atque munera sexui congruentia suscipit; munera vero patrimonialia ibi sustinet, ubi bona possidet.

Titulus 63.

De Legationibus.

L*Egatione functis*, conceditur vacatio biennii, dummodo transmarina legatio fuerit. Multo autem magis, sine dubio, eo ipso tempore, quo quis legatione fungitur, ab aliis muneribus excusatur. Addendus libri 50. Digestorum titulus 7. ejusdem inscriptionis.

Titulus 64.

De Excusationibus Artificum.

A*Rtifices artium mechanicarum*, excusationem habent a muneribus civilibus, publicis, & personalibus; nam, & hæ artes, ad vitæ necessitatem, & honestatem publicam pertinent.

Artes Mechanicæ corporis labore, ac manuum operatione, & ministerio exercentur.

Titulus 65.

De Potioribus ad Munera nominandis.

IS, qui nominatus est ad munera civilia, justam habet causam se excusandi, *si alii ipso potiores & digniores fuerint omissi.*

Potiores, sunt locupletiores cives, & de Republ. bene meriti.

Rectores provinciæ & Magistratus, quibus, pro more regionis, aliqua creationis, aut nominationis autoritas competit, in id incumbere debent, *ut optimos, & maxime idoneos designent*, quibus se & Remp.

Remp. quam maxime fidere, ejusque munera ſuſtinere poſſe exiſtimant.

Titulus 66.

Si propter Inimicitias creatio facta ſit.

QVi *propter inimicitias* ad munera civilia vocatur, poteſt ſe excuſare, & a tali nominatione appellare; cum publicæ utilitatis interſit, non ex inimicitia creationes fieri, ſed æſtimatione vera, & pro commodo Reipub. Probabit igitur, ſe propter inimicitias capitales nominatum fuiſſe, ut tali onere vexaretur.

Titulus 67.

De Sumtuum Recuperatione.

SI ad munus publicum ſit electus, qui de jure habet muneris vacationem, vel excuſationem quinq; liberorum, vel aliam, & a tali nominatione appellaverit, excuſatione probata & admiſſa, *ſumtus, quos in lite fecit*, recuperat ab injuſto nominatore.

Titulus 68.

Si poſt Creationem quis deceſſerit.

SI is, qui creatus ſeu nominatus eſt ad aliquod munus, ante diem ejus muneris ſubeundi deceſſit, ejus *heres non eſt obligatus*; quia morte creati, finitur creatio.

Titulus 69.

De Tabulariis, Scribis, Logographis, & Cenſualibus.

HActenus generatim de muneribus & honoribus actum; nunc varia *ſpeciatim* munerum genera recenſentur. In *primo genere* collocantur Tabularii, Scribæ, Logographi, & Cenſuales.

Tabu-

Tabularii, eorum, quæ publico inferuntur & debentur, rationes conficiunt.

Scribæ, ſunt Curiarum ſive Magiſtratuum municipalium ſcribæ.

Logographi, ſunt ſimiles tabulariis, nam hi quoq; rationibus tributorum ſcribendis occupantur.

Cenſuales ſunt, qui operam ſuam accommodant Magiſtro cenſus in urbe, & acta Senatus conficiunt.

Titulus 70.

De Suſceptoribus, Præpoſitis, & Arcariis.

IN *ſecundo genere* ponuntur Suſceptores, Præpoſiti, & Arcarii.

Suſceptores ſunt, qui annonis & tributis recipiendis vacant.

Præpoſiti ſunt, qui horreis, in quibus ſpecies fiſcales deponuntur, vel pagis, ſunt præpoſiti.

Arcarii ſunt, qui his, quæ in arcam Præfecti Prætorio inferuntur, ſuſcipiendis, præpoſiti ſunt.

Titulus 71.

De Ponderatoribus, & Auri illatione.

IN *tertio genere* ſunt *Ponderatores*, qui Græce vocantur ζυγοστάται, hi numos probant, & ſigna ponderum numis imprimunt.

Notandum, liberum eſſe Collatoribus, ſolidos cuſos, vel maſſam auri fiſco inferre; dummodo æqua lance omnia appendantur: *libra* vero *auri* conſtat 72. aureis.

Titu-

Titulus 72.

De Auri Publici Persecutoribus.

QVolibet quinquennio tributa in auro exacta fuisse, constat. *Aurum* hoc *publicum* dicebatur, quia ad ærarium fisci pertinebat, vel ad largitiones Principis: atque illud deputati Exactores a Provincialibus exigebant, transmittebantq; ad Præpositos Susceptoresq; particulares, quorum munus erat, tributa omnia ex manibus Exactorum recipere, eaque protinus ad generalem Susceptorem, in curia Cæsaris commorantem, remittere, qui *Comes sacrarum largitionum* appellabatur. Quoniam vero sæpe contingebat, ut particulares isti Susceptores, qui hoc loco vocantur *Persecutores*, penes se diu retinerent aurum, quod statim ubi collectum & supputatum, sub tabulariorum obsignatione, transmittendum erat; ideo Impp. Honorius & Theodosius prohibent, ne deinceps illi præsumant aurum publicum sine *persecutoria*, id est, licentia Comitis sacrarum largitionum, exigere, & exactum diutius apud se retinere.

Titulus 73.

De His, quæ ex publica Collatione illata sunt, non usurpandis.

A*Vrum, quod a Collatoribus in publicum infertur,* non est mutuo dandum, & omnino nihil eorum, quæ in publicum inferuntur, a quopiam ullo modo usurpandum. Est enim veluti sacra hæc pecunia, adeo, ut Sacrilegii & Peculatus crimen committere dicatur, qui pecuniam, ærario destinatam, intercipere, ac in suos usus convertere audet.

Titu-

Titulus 74.
De Auro Coronario.

DEvictis hostibus, inter oblationes, quas ad decorandum triumphum Imperatoribus suis offerre consueverant sociæ civitates, & confœderati Reges, fuit *Aurum Coronarium*, sic dictum, quod ex eo coronæ, insignia triumphantium, fierent.

Non tamen coacti fuerunt provinciales, aurum hoc tributi nomine pendere, quin, hujus tituli constitutione, Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Impp. non solum Auri coronarii collationem remiserunt, sed adeo eam omnino sustulerunt, præcipientes, ut nullus ad offerendum cogeretur, nisi consuetudine esset receptum.

Titulus 75.
De Irenarchis.

INter personalia munera refertur *Irenarchæ* munus, quod animi provisione, & aliquo gerentis detrimento, aut patrimonii diminutione, peragitur.

Sunt autem Irenarchæ, qui, ad provinciarum tutelam, quietis ac pacis per singula territoria faciunt concordiam, a Decurionibus idonei nominati, probatiq; judicio Præsidis. Dicuntur aliàs *Curiosi*, eorumq; præcipuum officium erat, delinquentes capere; & ideo se suosq; stationarios, in limitibus aliisq; locis, collocabant, ut latrones conquirerent, & apprehenderent, criminaq; patrata Præsidi indicarent.

Titulus 76.
De Argenti pretio, quod Thesauris infertur.

E*Xactoribus non licet aurum & argentum exactum apud se retinere*; sed statim in arcas fiscales

les id deponendum, & thesaurorum præpositis consignandum est.

Provinciales, tributis obnoxii, quiq; aurum inferre debent, *possunt, pro argento, aurum ejusdem valoris solvere*, si velint, ita ut, pro singulis argenti libris, quinos solidos auri inferant; nam *argenti libra æstimatur quinq; solidis, ut auri libra 72. solidis, & 20. æris libræ, uno solido.*

CODICIS LIBER XI.

Titulus I.

De Navicülariis seu Naucleris, publicas species transportantibus, & de tollenda lustralis auri collatione.

IN quibusdam Codicibus, illud, *de tollenda lustralis auri collatione*, titulum facit separatum, eumq; primum. Sed, nullæ Leges ea de re comparent. Cujacius aliquot Græcas Anastasii leges, latinitate donavit, & exponit, qualis & quanta fuerit istius lustralis auri collatio.

Lustrum, aliàs quinquennii spatium significat, locationi & conductioni tam publicæ, quam privatæ rei præstitutum. Hic loci lustrum pro quodam *tributo* accipitur, quod olim Imperatoribus de lustro in lustrum, id est quolibet quinquennio, a provincialibus præbebatur; quatuor autem præcedentes anni cujusq; lustri, destinati ad iter faciendum, & transvectiones, propter longa interstitia itineris.

Mercatores præstabant aurariam pensionem, quæ vocatur *aurum lustrale*, quia singulis lustris præstabatur. Eam collationem Anastasius sustulit.

Navi-

Navicularii seu *Naucleri*, sunt navium domini, Græce Navarchi dicti, qui singulis navibus præsunt, habentq; sub se Exercitores, Remiges, Nautas; eorumq; quondam certum Corpus fuit & Collegium, in Vrbe, & in provinciis, uti in Africa, & in Hispania. His curæ erat, privatas species quocunq; transvehere; itemq; publicas species, in frumento, hordeo, oleo, vino, pecunia consistentes, a Susceptoribus per provincias dispositis, recipere, & eas ad urbem, vel castra, ad militum sustentationem, navibus propriis vel conductis, deferre. His summa securitas præstabatur, adeo, ut nec detineri, nec ad vectigalium solutionem compelli possent; merces tamen profiteri, easq; publicanis ostendere debebant.

Titulus 2.

De Prædiis, & omnibus Rebus Naviculariorum.

N*Avicularii, cum annonam & alias publicas species vehendas acciperent*, contrahere solebant cum Fisco, ejusq; Susceptoribus Particularibus, atq; iis promittebant, istas species suis navibus se vecturos in locum destinatum. Ex ea conventione, sive expressa, sive tacita, prædia & res omnes Naviculariorum, titulo pignoris vel hypothecæ, fisco obligatæ erant, ad hoc quidem, ut, si culpa eorum species publicæ, quas navibus suis vehebant, perirent, aut deteriores fierent, Navicularii collegii & societatis contributione, damnum sarciretur.

Hinc, qui *fundum navicularii juris* emerat, tenebatur, pro modo istius fundi, onus agnoscere; etsi ob hanc causam non fiebat Navicularius, nec residuum ejus patrimonium reddebatur isti oneri obnoxium.

Bona Navicularii, inteſtato ſine ſucceſſoribus defuncti, non pertinent ad fiſcum, ſed ad corpus naviculariorum.

Titulus 3.
De Navibus non excuſandis.

ETiam alii, præter navicularios, poſſunt habere naves, ſed ii *non excuſantur a transvectione publicæ annonæ*, etiamſi veterani fuerint; imo neq; Eccleſiarum, neq; perſonarum in dignitate poſitarum naves excuſantur, dummodo duo millia modiorum capiant.

Titulus 4.
Ne quid oneri publico imponatur.

SIcut in fiſcalibus horreis nonniſi fiſcalia frumenta conſtitui oportet; ita *navibus*, *oneratis publicis ſpeciebus*, onus alienum imponi non debet, nec mercatoribus, & aliis privatis, oneri publico ſarcinas ſuas ut imponant, concedendum.

Titulus 5.
De Naufragiis.

N*Aufragii periculum* pertinet ad eum, qui privatum onus navi, publica annona oneratæ, impoſuit, non ad Navicularium; ſi modo hic intra annum apud Præſidem provinciæ caſum conteſtetur, & probet, ut res ad Præfectum Prætorio referatur. Navis autem, quocunq; ſit per naufragium expulſa, ad dominum pertinet, non ad Fiſcum.

Titulus 6.
De Metallariis, & Metallis, & Procuratoribus metallorum.

M*Etallorum exercitium* quidam ſponte ſuſcipiebant, ut ſibi & Reipubl. prodeſſent. Alii erant metal-

metallis adstricti, ut inibi perpetuo servire cogerentur, censerenturq; ex corpore Metallariorum, cum uxoribus & tota sobole, &, si alio migrassent, sine ulla temporis præscriptione, ad propriæ originis stirpem laremq;, una cum sua progenie, revocabantur, atq; fisco restituebantur.

Procuratores metallorum sunt, qui ex curialibus ordinantur, ut metallicum canonem exigant: *Metallarii* vero dicuntur, qui metalla effodiunt.

Titulus 7.

De Murilegulis, & Gynæciariis, & Procuratoribus Gynæcii, & de Monetariis, & Bastagariis.

VTi Naviculariorum & Metallariorum erat certum corpus, ita quoque *Murilegulorum.* Ii legebant murices & conchylia, ex quibus Tyrius color conficitur, quo tingebantur Regum & Cæsarum vestes; atq; *dipapha* erat bis tincta purpura, Principibus & Senatoribus peculiaris.

Murileguli, non poterant ad ullam militiam vel dignitatem adspirare; atq; sufficiebat, solum patrem, vel solam matrem esse huic conditioni obnoxiam, ut etiam filii sint murileguli.

Gynæciarii, proprie sunt textores, addicti contexendis conficiendisq; vestibus Imperialibus, uti *Baphii* tinctores. *Gynæcium*, est textrinum, sic dictum, quod eo fœminæ, ad opus lanificii exercendum, conveniant.

Procuratores Gynæcii erant, quorum curæ commissi erant textores lanifici, tinctores, cæteriq; in Gynæcio, circa pannos & purpuram, in usum Imperatoris laborantes.

Monetarii ſunt, qui Principis juſſu monetam cudunt. Eorum conditio, quamvis ita vilis erat, ut a dignitatibus prohiberentur, tamen corpus eorum late diffuſum fuiſſe, argumentum eſt bellum, ſub Aureliano ab iis ſuſcitatum, in quibus comprimendis, multa militum millia interemta fuiſſe; ipſe Aurelianus, in quadam apud Vopiſcum epiſtola, profitetur.

Baſtagariis incumbebat rerum ad fiſcum pertinentium vectura, quam propriis jumentis faciebant, excepto quinto quoque jumento, quod a fiſco præbebatur.

Titulus 8.

De Veſtibus holoberis & auratis, & de intinctione ſacri Muricis.

AD *Baphios* tinctio purpuræ, quæ Imperatorum propria erat, pertinebat; cæteris, & tinctio, & uſus commerciumq; purpuræ interdictum erat. *Veſtes* autem *holoberæ*, id eſt holoſericæ, ſive quæ ſunt totæ ſericæ, ſi purpureæ ſint, tam viris quam mulieribus interdicebantur: ſi non purpureæ, ſolis mulieribus permittebantur, quemadmodum & auratæ.

Titulus 9.

De Fabricenſibus.

FVit quoque certum *Corpus Fabricenſium*, qui in publicis fabricis ſeu officinis, arma bellica fabricabant. Erant in Romano Imperio publicæ fabricæ, in Illyrico quinque, in Italia ſex, in Gallia octo, in aliis locis aliæ.

Fabricenſes, arma nulli privato vendere poterant, ſed, ſi quæ nova fabricaſſent, cogebantur ſtatim deponere in armamentario publico, ex quo belli tempore eorum fiebat diſtributio, per Duces & Conſules.

Titu-

Titulus 10.
De veteris Numiſmatis poteſtate.

M*Onetæ, veterum Imperatorum nomine & imagine inſignitæ*, dummodo ſint juſti ponderis, & ſpeciei probæ, id eſt boni & juſti metalli, a contrahentibus & creditoribus recipi debent; qui contra fecerint, puniuntur arbitrio judicis.

Titulus 11.
Nulli licere in frænis & equeſtribus ſellis, & in baltheis, margaritas & ſmaragdos, & hyacinthos aptare, & de Artificibus Palatinis.

QVemadmodum veſtes ſericas, aut intextas, privatis habere aut conficere non licet; ita nec illis permiſſum eſt, in *frænis, ſellis, baltheis, margaritas, ſmaragdos, & hyacinthos aptare*, vel inſerere. Reſervant enim ſibi Principes, ſplendidum in equis & ſellis equeſtribus apparatum, ac in veſtibus ornatum, quo privatos uti non decet. Expedit enim Reipubl. ſubjectos habere locupletes, & ne divitiis ſuis male utantur.

Titulus 12.
De Claſſicis.

AD officium Præfecti Prætorio Orientis ſpectat *cura Claſſium*, quæ inſtruendæ ſunt, ad purgandum mare & flumina a piratis, ut navigationes ſint ſecuræ: item conferunt ad alias publicas neceſſitates; uti contra barbaros. *Claſſicorum numerus* ſemper ſupplendus eſt ex incenſitis, ſive iis, qui libris cenſualibus nondum inſcripti ſunt, vel accreſcentibus, id eſt liberis claſſicorum.

Titulus 13.

De Decurialibus Vrbis Romæ.

ROmæ *Collegium* erat *Decurialium*, qui SCta excipiebant, complebant, & in ſcriniis ſervabant; iis præerat *Rector*. Hi certa habebant privilegia, v. c. quod injuriis corporalibus non poſſent affici; non poſſent torqueri &c. Hæc, ipſis ſine cauſa auferenda non ſunt, niſi ex delicto accuſentur, quod ſcilicet ſe ordine iſto indignos fecerint, & privilegia amiſerint. Nam, eo caſu, non alibi tamen, niſi coram Rectore ſuo, qui eſt eorum judex ordinarius, ſunt conveniendi.

Titulus 14.

De Privilegiis Corporatorum Vrbis Romæ.

CErta erant Collegia in urbe Roma, ut Piſtorum, & aliorum; de quibus in ſequentibus. Ii habebant ſua privilegia. His ergo nova onera imponi vetat Imperator. In vicem jubet, ut Corporati, ſeu Collegæ iſtius collegii, ſi alibi verſentur, Romam redire cogantur.

Titulus 15.

De Piſtoribus.

P*Iſtores*, qui ex lege conſtitutum panem excoquebant, non debent alienam dignitatem (v. g. Comitis horreorum, cui Piſtores in palatio Cæſaris, ut mancipes ſeu mancipia, ſuberant) appetere; alioquin 30. libris auri mulctantur, & retrahuntur ad Collegium ſuum, licet Reſcriptum per obreptionem impetraverint; cum hoc ſit contra publicam utilitatem.

Titu-

Titulus 16.

De Suariis, & Susceptoribus Vini, & cæteris Corporatis.

SVarii, sive *Porcinarii*, suillam carnem a collatoribus suscipiebant, ad victum civium Romanorum, eamq; tenebantur popularibus affatim præbere; quin & porcos agebant in pascua publica.

Posterior tituli pars, est de *cæteris Corporatis*, seu adscriptis alicui collegio; quibus annumerat Cujacius *Susceptores Vini*; qui nimirum vina fiscalia suscipiebant, & vendebant incolis urbis Romæ. Institutum deinde ab Alexandro Imp. *Corpus & Collegium Vinariorum*, qui negotiationem Vini in Vrbem vehendi exercerent, &, ne quid peccaretur, *Rationalis Vini* additus fuit.

Erant itaq; adstricti, vina, quæ a fisco accipiebant, aut aliunde advecta emerant, pura revendere in tabernis, uti Suarii carnes suas in macello, & ideo iisdem, quibus hi, privilegiis fruebantur.

Titulus 17.

De Collegiatis, & Chartopratis, & Numulariis.

COllegiati, constituebant certum collegium, erantque e diversis corporibus ordinati, numero 563. & hi incendiis arcendis, aliisq; necessitatibus publicis præpositi erant.

Chartoprati, chartas ex provinciis missas, vendebant.

Numularii, erant Collybistæ, seu monetæ permutatores.

Titulus 18.

De Studiis liberalibus Vrbis Romæ, & Constantinopolitanæ.

I*Mperatores eos infamia notant*, & *relegationem iis minantur, qui sibi usurpant publice docendi autoritatem*, si eis collata non fuerit: privata vero disciplina ac institutio cuiq; permittitur.

Interdicitur Professoribus publicis, ne privatim doceant, sub pœna amissionis privilegiorum: ne hac ratione a publico munere avocentur; quod tamen intelligendum, si publicæ lecturæ negligantur.

Ob vicinitatem auditorii, Fabri, & *similes, ex vicinia expelli possunt*, præsertim, si præverterit Auditorium tales fabros & malleatores.

Vicinus potest cogi, ut, in gratiam auditorii ampliandi, suas ædes vendat.

Studium, in hoc titulo, accipiendum de Academia & Vniversitate, in qua Magistri, Doctores, & Professores diversarum scientiarum, congregantur, & ibidem juvenes virtutibus & bonis literis imbuunt.

Titulus 19.

De Honoratorum Vehiculis.

V*Rbs Roma* hoc privilegio utitur, ne quis in ea vehiculis & carrucis utatur, nisi qui præditus est aliqua dignitate civili vel militari, aut honore aliquo cum administratione jam perfunctus fuerit, veluti si Præfectus Prætorio, Magister militum, Præfectus urbi, Prætor, Consul extiterit.

Titu-

Titulus 20.
De Privilegiis Vrbis Constantinopolitanæ.

CONstantinopolis, nova Imperatoris sedes, iisdem privilegiis frui debet, quibus fruitur antiqua Roma, atq; exemta est ab extraordinariis oneribus.

Titulus 21.
De Metropoli Beryto.

BEryto tribuitur privilegium, quod Roma & Constantinopolis sortita fuit, ut imposterum sit Phœnyciæ metropolis, prout Tyrus; erat enim Academia legum studio celeberrima.

Titulus 22.
De Canone Frumentario Vrbis Romæ.

CAnon frumentarius, erat certa quantitas frumenti, olei, porcinæ, bubulæ &c. quæ a provinciis conferebantur, ad alendam plebem Romanam, & ab illatione hujus canonis, nemo excusari poterat, etiam privilegii specialis intuitu; nam, pugnaret cum publica utilitate.

Sed, nec id privilegium valere vult Imperator, *ut quis aliam speciem pro alia inferat*, v.g. oleum pro frumento: nam, qui tale privilegium impetrat, in duplum condemnandus est.

Si *Præsides*, vel alii, ex annona hac urbis, sibi quid sumserint, vel usurpaverint, deportationis pœna, *Officiales* eorum primi, etiam capitali supplicio, plectuntur. Ne autem vitiosa species Romam advehatur, aut negligentia Naviculariorum corrumpatur, aut ab his commutetur cum corrupta annona, ideo in Provinciis visitanda a Præsidibus & Magistratibus locorum

corum, & testimonium dandum nautis, de suscepti commeatus integritate. Navi autem Romam adpulsa, denuo inspectio commeatus a Præfecto annonæ facienda.

Titulus 23.
De Frumento Vrbis Constantinopolitanæ.

CO*nstantinus*, certam annonæ quantitatem deputaverat, ut ex ea panis coqueretur, ad usum municipum, quam Theodosius adauxit.

Præfectus Vrbi, pecuniam, in frumenti publici coëmtionem destinatam, in alios usus convertere non debet, alioquin tenebitur in duplum, & in id præterea, quod ex pecunia lucri fecit, & ea pœna, auro frumentario associanda. Potest tamen hæc pecunia, ad coëmendum frumentum ordinata, *mutuo dari Pistoribus*, ut vel pecuniam reddant, vel frumentum. Sed id fieri debet testato; quomodo etiam solutio facienda.

Titulus 24.
De Annonis Civilibus.

A*Nnona Civilis* est, quæ civibus viritim gratis erogabatur, singulis diebus: atq; in ejus locum successerunt *panes*, qui, *civiles*, vocabantur, ad differentiam *Palatinorum*, qui ex palatio petebantur, atque civiles, dabantur etiam quibusdam Scholaribus. Erant quoque *panes Fiscales*, qui a Fisco, &, *panes gradiles*, qui e gradibus, qui in unaquaque regione Romæ erant ad pistrina, cuiq; e populo præstabantur. Nimirum erant sui cuiq; tribui gradus destinati, quos mutare non licebat, nec alteri ad alterius gradum transire fas erat; idq; Officiales Præfecti annonæ prohibebant. Vnde in Numismatibus Trajani & Adriani

ni gradus visuntur, per quos populus ascendebat. In summo erat Scriba, & alius cum tessera, qui panes dividebat. De Constantino proditum est, eum anno, quo Consul fuit designatus, panem, carnem, vinum, & oleum inter cives divisisse; idem octoginta millia panum quotidie pauperibus largitus est.

Titulus 25.
De Mendicantibus validis.

ANnonæ Civiles dabantur civibus pauperioribus & mendicis. Sed, quia multi mendicantium sani sunt, & annis viribusq; vegeti, qui tamen *ægritudinem simulant*, ideo cuilibet licet eos pervestigare, ac, qui fraudem detexerit & probaverit, hic eum mendicum acquirit ut servum, si servilis sit conditionis, aut, ut colonum, si sit liber, salva tamen manente Domino actione servi corrupti, contra eum, qui servum corruperit. Sed huic derogatur in *Nov. 80. c. 5.* ubi ad opera publica, v. g. pannificia, cultum hortorum, & similia transferri jubentur.

Titulus 26.
De Nautis Tiberinis.

NEmo, cujuscunque sit dignitatis, vel qualicunq; privilegio sit donatus, *qui navim in Tiberi habet*, poterit se excusare a subvectione canonis frumentarii urbis Romæ.

Titulus 27.
De Frumento Alexandrino.

A*Lexandria*, exemplo veteris & novæ Romæ, præ aliis urbibus, hoc habebat præcipuum, *ut certus canon annonæ populo distribueretur.* Illi canoni in dies singulos Theodosius centum & decem modios addi-

addidit, & prohibuit, ne hoc congiarium vel donum vocetur *Perissochoregia*, id eſt, ne nomine ambitioſo *Supererogationis* appelletur, ſed ſimpliciter *Teſſeræ Theodoſianæ*: quod erat fortaſſe ſignum frumentarium plumbeum, quo exhibito, unusquisq; annonam pro portione ſua accipiebat a Præfecto annonæ.

Notandum diſcrimen inter Canonem Frumentarium, & reliqua frumenta. *Canon* gratis datur egenis civibus utriusq; Romæ & Alexandriæ; *Frumenta* vero, publica pecunia emta & condita in publicis horreis, omnibus indigentibus vendebantur tempore neceſſitatis; nam, gratis, præterquam mendicantibus invalidis, non dantur publica frumenta.

Titulus 28.
De Alexandriæ Primatibus.

VT frumentum Alexandriam vehi commodius poſſet, Nilus repurgandus erat, quo profundior & aptior navigationi fieret. Hujus repurgationis onus, olim *Corporatis Alexandriæ* incumbebat, ad *Primates* vero, ſive viros præcipuos ejus urbis, iſtius rei cura pertinebat. Sed Theodoſius Imp. utrosq; corporatos & incolas moleſtia repurgandi fluminis liberavit, ac ad purganda Nili oſtia, ex *vectigali dinummio*, (a præſtationis quantitate ſic dicto) aſſignavit 400. ſolidos.

Titulus 29.
De Jure Reipublicæ.

R*Eſpublica*, hic pro civitate accipitur, & docetur, ſententiam, contra civitatem indefenſam latam, non valere: quæ tam in hac, quam in aliis cauſis, comparatur pupillo, vel adoleſcenti.

Res-

Respublica omnis, ſive Romana, ſive Municipalis, ſi læſa ſit in contractu vel judicio, poteſt petere *reſtitutionem in integrum.*

Civitates habebant hoc ſtatutum, ut, ſi, in ruina collapſis ædificiis, *dominus ædes non exſtruat inter certum tempus*, area cadat in commiſſum, & civitas eam pro lubitu vendere poſſit.

Titulus 30.

De Adminiſtratione Rerumpublicarum.

VIdendus libri 50. Digeſtorum titulus 8. *De Adminiſtratione Rerum ad Civitatem pertinentium.*

Titulus 31.

De Vendendis Rebus Civitatis.

VTilis ſæpe & neceſſaria eſt *rerum Civitatis venditio*, atq; ubi decreta, primo debet fieri rerum mobilium, quæ ſervando ſervari non poſſunt, dein immobilium, pro reparatione murorum, inſtructione pontium, conſervatione molarum, purgatione fluminis fontiumque.

Cum jam decreta eſt venditio, eaq; perfecta, *non poteſt revocari*, etiamſi alius augmentum pretii offerat; quoniam adjectio pretii non admittitur, licet admittatur in cauſa fiſcali: Civitates enim privatorum jure utuntur, & minus eis favent jura, quam fiſco.

Titulus 32.

De Debitoribus Civitatum.

DEbitor *Civitatis*, non poteſt munus ſuſcipere in Republ. gerendum, niſi Reipubl. ſolverit, aut ſatisfecerit, vel caverit. Quod intelligendum de eo, qui ex adminiſtratione quid civitati reliquum debuit, vel ex pollicitatione, non ex mutuo, vel alio contractu

tractu. *Ratio* petenda ex materia Tutorum; nam tutela iis demandari non poteſt, qui ſunt debitores pupillorum.

A debitore civitatis, qui eſt ſolvendo, non eſt repetenda ſors, ſi uſuras præſtet.

Titulus 33.

De Periculo Nominatorum.

Q*Vi jus habent nominandi Adminiſtratores Reip.* æquum eſt, ut ſuſtineant periculum ſuæ nominationis, ſi videlicet minus utiles Reipubl. perſonas elegerint, nec ab eis ſatis exegerint. Nempe, interdum Duumviri & Decuriones deſignare ſolebant Succeſſores, item Officiales, Quæſtores, Actuarios, Depoſitarios, Oeconomos nominare: ex qua nominatione Reipublicæ obligantur, ſi ſucceſſores nominati, tempore depoſitæ adminiſtrationis, non ſint ſolvendo.

Titulus 34.

De Periculo eorum, qui pro Magiſtratibus intervenerunt.

Q*Vi pro Magiſtratibus fidejuſſerunt*, tenentur tantum ex adminiſtratione Reipubl. ad *intereſſe*, ut ſcilicet damnum Reipubl. reſtituant, ſed ad *pœnam*, ſi quam Magiſtratus meruit, non tenentur, imo ad id, quod Reipubl. principaliter intereſt, tantum tenentur, non ad id, quod per conſequentiam intereſt.

Titulus 35.

Quo quisq; Ordine conveniatur.

DOcet hic titulus, *quo ordine quisq; in judicio conveniatur*, tam qui Magiſtratum aut munus aliquod publicum geſſit, quam ejus Collega, Succeſſor, Fide-

Fidejussor, Nominator, quibus omnibus imputantur damna, quæ ex mala administratione gestoris Res-publica patitur. Imprimis itaq; *si cura & conservatio pecuniæ publicæ duobus simul sit commissa*, nulla mentione facta, quis ex iis sit administraturus, ambo conveniuntur in solidum, non ex virili portione, Veruntamen, cum *de indemnitate civitatis quæritur*, prius qui revera administravit, conveniendus est, & mox, eo deficiente, & non existente solvendo, convenitur collega.

Titulus 36.

Ne quis Liber invitus Actum Reipublicæ gerere cogatur.

M*inisteria vilia & sordida* nemo invitus suscipere cogitur. Unde is, qui decreto Ordinis ad libertatem deductus est, non debet invitus actum Reipubl. gerere, id est ministerium vile exercere, servis Reipubl. deputatum. Nimirum, Servis tantum vilia officia operaq; sordida demandabat Respubl. atque iis utebatur, in pecuniis dandis & suscipiendis, in stipulationibus contrahendis, rationibus tractandis, qui omnes tanquam *Actores* erant, sub dispositione Curatoris Reipublicæ.

Titulus 37.

Sumtus injuncti Muneris ad omnes Collegas pertinere.

C*Ollegæ* appellantur, qui sunt ejusdem muneris & collegii.

Si plures Collegæ creati sint, v. c. ad munus cogendarum angariarum, & unus solus coëgerit, sumtus in eam rem factos, pro virili, a consortibus repetere potest.

 Titu-

Titulus 38.

De His, qui ex Officio, quod adminiſtrarunt, conveniuntur.

ADminiſtrator, *qui minus caute pecuniam Reipubl. credidit*, tantum in ſortem tenetur Reipubl., non etiam in uſuras, ſi modo vacet culpa & dolo, ejus vero pecuniæ, quæ apud illum remanſit, etiam uſuras præſtat.

Titulus 39.

De Solutionibus & Liberationibus Debitorum Civitatis.

QVemadmodum privati ſervos actores habent, ita & *Respublica ſervos habet, præpoſitos pecuniis dandis*, ſuſcipiendis & exigendis, & ſtipulationibus contrahendis, rationibusq; tractandis, qui ſunt ſub *Curatore Reipubl.* qui etiam *Pater civitatis* appellatur. Huic enim cura & poteſtas data eſt exigendi, per hujusmodi publicos ſervos, debita civitatis, ejusq; rationes tractandi.

Debitor Civitatis, ſolvens Actori Reipublicæ, non prius liberatur, quam ab eo apocham de ſoluto acceperit, ſignatam a Curatore Reipublicæ, vel ab eo, cui exigendi jus eſt.

Titulus 40.

De Spectaculis, & Scenicis, & Lenonibus.

CVm *gymnici agones* (i. e. certamina, in quibus athletæ ſe mutuo exercebant) *paulo ante fuiſſent vetiti*, Juſtinianus illos permiſit iis, qui ſponte ſua, recreandi populi gratia, talia ſpectacula edere volunt; ita tamen, ut nemo ad ea edenda compelli debeat. Hinc

Hinc *ad ista certamina legari etiam potest*, nisi spectacula illiberalia & turpia sint, aut magis necessariæ causæ Rempubl. urgeant. Diebus autem dominicis & festis, spectacula omnia prohibita.

Pater, qui filiam prostituit, & *dominus, qui ancillæ peccandi necessitatem imponit*, amittunt patriam vel herilem potestatem: nec filia aut ancilla patri aut domino quid acquirit; & filia vel ancilla implorare possunt opem Episcoporum, Præsidum, aut Defensorum plebis, ut a tyrannide parentum aut herorum liberentur.

Titulus 41.

De Expensis Ludorum Publicorum.

Licet Præsidi *expensas*, *ad Ludos destinatas*, in murorum refectionem necessariam convertere; ita tamen, ut, refectis muris, Ludi in voluptatem populi rursus exhibeantur.

Titulus 42.

De Aquæductu.

I*I, per quorum prædia transit publicus Aquæductus*, commoda habent, & onera. *Onera* sunt, quod ductus aquarum seu canales a sordibus mundare debent, vel eo nomine annuam solvere pensitationem, pro Aquæductus repurgatione. Nam, si hoc neglexerint, & ex neglectu eorum Aquæductus damnum accipiat, fisco prædium illud occupare licet. Item, ei curandum, ut ex utraq; parte spatium ab arboribus liberum habeatur per 15. pedes, &, ut pullulantes sua sponte arbores radicitus amputentur, ne radices aquæductui seu canalibus incumbant, & eos corrumpant. *Commodum* est, quod immunitas ab aliis oneribus extraordinariis talibus conceditur.

Qui, sine permissu Principis, ex aquæductu *aquam in suum prædium derivaverit*, ejus prædium confiscatur.

Qui Principis consensu, vel longo usu, *acquisiverunt jus derivandæ aquæ*, eo privilegio civiliter debent uti, ad necessitatem, non ad irrigandos agros ac hortorum delicias.

Titulus 43.

De Gladiatoribus penitus tollendis.

OMnia *Spectacula cruenta*, in quibus vel effunditur, vel effundi potest humanus sanguis, sunt prohibita, & contrarium permittens lex vel consuetudo, corruptela est habenda; & contrarium faciens, Ecclesiastica sepultura se reddit indignum.

Titulus 44.

De Venatione Ferarum.

PRohibitum quoque est *cruentum spectaculum pugnantium cum bestiis in arena.* Cæterum, ferarum noxiarum capiendarum & occidendarum quisq; habet licentiam. Feræ autem, quæ a limitaneis Ducibus ad comitatum Principis transmituntur, non diutius 7. diebus in urbibus detinendæ sunt.

Titulus 45.

De Majuma.

ERat *Majuma* prisca Romanorum celebritas, a Claudio Cæsare instituta, quam Calendis Maji, luxuriante jam floribus Vere, Majæ, seu Floræ Deæ, ut campis & arboribus faveret, expedierunt, apud Ostiam, in Æde Castorum. Id enim Numen ibi cul-

cultum, ventorum marisque causa. *Ovid. lib. 4. Fastor.*

Mille venit variis Florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas festum Florale Calendas.

Sed Floralia turpius peregerunt Romani veteres, quam posteriores Majumam. At, recidente hoc festo in pristinam spurcitiem, in Trullensi Synodo, sub Constantino M. damnatæ sunt primæ diei Maji festivitates. Restituere tamen eas Arcadius & Honorius, tituli hujus lege, qua testantur, *clementiæ illorum placuisse, ut Majumæ provincialibus lætitia reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.*

Titulus 46.

Vt Armorum usus, inscio Principe, interdictus sit.

VT fabricæ armorum solius Principis sunt, *sic arma comparare, bellum movere*, privatis penitus interdictum: nam id solius Majestatis est. Sic & *arma portare*, extra casum peregrinationis, non licet.

Titulus 47.

De Agricolis, & Censitis, & Colonis.

AGricolæ erant, qui agrum colebant, & in eam rem adscripti glebæ, unde nominati *Adscriptitii.* Successu temporis, ex his alii, ob annuam pensionem, quam Domino pendunt, ex cultura agrorum *Coloni* dicti sunt, aut *Partiarii Coloni*, quasi qui pro parte fructuum agros colunt. Qui pretio, & pecuniæ pensione id faciunt, *Censiti* dicti, quasi censum

præstantes. *Inquilini* dicuntur, qui alibi, quam ubi nati sunt, in conducto habitant, & certam fructuum partem, aut pecuniæ summam domino præstant.

Titulus 48.

De Capitatione Civium censibus eximenda.

C*Apitatio* erat capitis census, singulis capitibus impositus: atque pauperiores, uti coloni censiti, cum, ob tenuitatem patrimonii, censum rei, seu patrimoniale tributum præstare non possent, ideo capita & personæ singulæ censebantur, & masculi a 14. anno, unum aureum, fœminæ a 12. anno, usque ad 65. dimidium quotannis pro capite pendebant. Verum, quia odiosa erat hujusmodi capitatio, & ejus exactio nimis acerba, eam Constantinus sustulit, jussitq;, ne imposterum cives Romani pro capitationis tributo convenirentur, sed haberentur immunes.

Titulus 49.

In quibus causis Coloni Censiti Dominos accusare possint.

C*Oloni Censiti*, libris censualibus inscripti, erant quodammodo servi; quia perpetuo obstricti erant culturæ agrorum, & ex conventione aliquem censum domino solvere cogebantur, ex ipsis agris, eorumq; fructibus.

Quia sæpe contingebat, ut *domini ampliorem censum exigerent*, quam ex conventione coloni præstare cogebantur, ideo statutum, ut, si domini coram judice convicti fuerint, id omne, quod supra modum extorserint, reddere compellantur.

Titu-

Titulus 50.
De Colonis Palæstinis.

COlonorum Reip. exemplo, *mittebantur novi* Coloni, qui desertas captasq; bello civitates implerent, agros colerent, sub pensionis annuæ præstatione. Erant autem coloni quasi æternitatis quodam jure adstricti, ita ut non liceret ex locis, quæ colenda susceperant, discedere, nec ea deserere.

Ejusdem conditionis erant etiam *Coloni Palæstini*: quia vero terras suas se dimittere posse, proprio quodam jure, existimabant, sancitum est, ut per totam Palæstinam nullus omnino colonorum illo jure, velut vagus ac liber, exultaret, sed, exemplo aliarum provinciarum, ita domino fundi tenerentur, ut sine pœna, etiam ejus, qui illos susceperat, non possent abscedere; &, si abscessissent, domino possessionis fugitivum revocandi libera potestas dabatur.

Titulus 51.
De Colonis Thracensibus.

PEr universam *Thraciam* coloni omnes immunes erant a capitationis censu; jugationem tamen terræ solvebant.

Jugatio agrorum possessionumq; mensuram certam significat, pro cujus modo Imperatoribus pensitatio præstabatur: Atque dicitur Jugatio eadem ratione, qua veteres id agri spatium, quod juncti boves uno die exarare poterant, *jugum* appellabant.

Coloni Thracenses non ideo, quod tributariæ sortis nexibus soluti essent, vagandi, & quo libuisset recedendi facultatem habebant; *cogebantur enim, ut cæteri*

teri coloni omnes, terræ adhærere, nec ullo pacto eam dimittere, aut permutare.

Titulus 52.

De Colonis Illyricianis.

COloni quoque *Illyrici* jugationem terræ præstant, non capitationem; ab ea tamen terra recedere non possunt. Tales itaq; , etiamsi conditione viderentur liberi, erant tamen servi ipsius terræ, eiq; adhærebant.

Titulus 53.

Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat Rusticanos, vel Vicos eorum.

R*Vsticani* seu *Ruricolæ*, ruralia & terrestria opera faciunt, etiamsi quandoq; in urbe degant, suntq; omnino liberi & ingenui, non perpetuæ agriculturæ addicti, uti coloni & tributarii. Quippe rustici fere proprios tantum agros colunt: coloni censiti alienis agris colendis adscripti erant.

Interim, si quos agros colendos Rustici susceperunt, illos durante conventione deserere iis non licet, & se, aut vicos in clientelam dare: qui vero id fecisse probantur, digna castigatione coërcentur, & ad dominos suos redire coguntur.

Potentiores Nobiles, qui, contra publicam utilitatem, in suum patrocinium rusticos suscipiunt, centum librarum auri condemnationem subeunt; *mediocris* vero *fortunæ* facultatum suarum amissione plectuntur.

Titu-

Titulus 54.

Ne Rusticani ad ullum obsequium devocentur.

PRopter utilem operam, quam Rustici Reipubl. exhibent, & ne cogantur agriculturam deserere, *nihil præter jugationem & capitationem præstant*, neq; alia onera aut sumtus iis imponendi. Hinc oves, boves, aut servos ipsorum, apparitoribus aut aliis officiatis, prætextu muneris publici, capere non permittitur.

Titulus 55.

Non licere habitatoribus Metrocomiæ loca sua ad Extraneum transferre.

M*Etrocomia*, est mater vicorum, seu villa major, quæ sub suo districtu plures pagos & vicos continet; uti Metropolis, est mater urbium.

Extranei non possunt terram metrocomiæ possidere, idcirco non licet vicans, extraneo terras suas vendere, sed tantum convicanis, id est habitatoribus ejusdem metrocomiæ.

Titulus 56.

Vt nullus ex Vicaneis, pro alienis Vicaneorum debitis teneatur.

C*Vm iniquus ille mos invaluisset, ut ex contractu vel delicto unius ex convicanis, vel rusticanis, alter convicanus teneretur*, &, ut liceret creditori ob unius vicani debitum, alium quemvis, ex eodem vico detinere, & bona apprehendere, quoad verus debitor satisfecisset, Zeno Imp. hujusmodi iniquitatem contra vicanos seu vicarios exerceri prohibet.

Quin & Honorius & Theodosius nullo modo voluerunt, ut pro publicis debitis alienis conveniretur alterius possessio, id est prædium; cum tamen alioqui publicorum debitorum seu fiscalium magnus sit favor.

Titulus 57.

De Censibus, & Censitoribus, & Peræquatoribus, & Inspectoribus.

C*Ensus*, est æstimatio bonorum, facta, ut secundum eam tributa præstentur.

Æstimandis & censendis bonis præficiebantur *Censores* seu *Censitores*. *Peræquatores* & *Inspectores* vero dicti, qui censum emendabant, prædiis inspectis, ne alter alterius onus ferat, sed æqua lance tributa pendantur.

Titulus 58.

De omni Agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur.

A*Grorum hoc titulo varia genera*, seu variæ qualitates, considerantur.

In primo genere sunt agri deserti, id est inculti, ac differunt ab iis, qui pro derelicto habentur. Hi enim statim ejus desinunt esse, qui dereliquit, & illico conceduntur occupanti. At, isti a domino, intra biennium meliorationis impensas restituente, recuperari possunt. Biennii autem silentio, dominus jus suum amittit, & ex eo tempore is, qui occupavit, & coluit, canonem fisco pendit.

Si agrum desertum nemo occupet, suscipere volenti addicitur, sine reliquorum onere; antiquus autem dominus, & creditores, præscriptione sex mensium excluduntur.

De-

Desertum agrum nemo invitus suscipere cogitur, nisi ejusdem substantiæ bona possideat; aut, nisi extraneus alienum colonum, aut adscriptitium, mala fide susceptum, reddere noluerit, atq; ob eam causam ager desertus fuerit.

Quoniam igitur deseri solent agri steriles, atque hi regulariter *adjiciuntur habentibus agros ejusdem substantiæ*, qui scilicet eidem domino canonem præstant; ideo hæc adjectio significatur posteriori rubricæ parte.

Ex quo ager deseritur, fit sterilis, & sine fructu; non tamen omnis sterilis est desertus, quia desertus dicitur, qui a nemine possidetur, sed deseritur, & non seritur. At sterilis, tametsi infructuosus jacet, possideri potest, & adjungi fertilibus.

Titulus 59.

De Fundis Limitrophis, & Terris, & Paludibus, & Pascuis, & Limitaneis, vel Castellorum.

IN *secundo genere agrorum, sunt fundi limitrophi*, vel limitanei, vel castellorum.

Limitrophi fundi sunt, ex quibus ad Imperii limites annona defertur, ad alendos milites limitaneos, ideoque dicuntur limiti deputati.

Milites autem *limitanei* dicuntur, qui limites, id est fines Imperii, adversus barbaros tuentur.

Fundi limitanei sunt, qui ad limitaneos spectant, una cum paludibus & pascuis.

Fundi castellorum sunt, qui ad milites castellanos pertinent, id est ad eos, qui, præsidii causa, in locis munitis stationem habent.

In

In pascuis igitur *limitaneis*, vel castellanis, animalia militaria pascuntur.

Titulus 60.

De Pascuis publicis & privatis.

A*Nimalia militum*, ceu dictum, in fundis limitaneis pascuntur, non item in publicis vel privatis. *Pascua* vero *publica* appellantur, quæ usui incolarum alicujus civitatis sunt deputata. Milites enim debent esse contenti suis stipendiis, & nihil ultra debitum subsidium extorquere, nec pascua aliena ingredi, nisi belli urgeat necessitas; tunc enim militum stationibus loca viciniora sunt communia.

Titulus 61.

De Fundis Patrimonialibus, & Saltuensibus, & Emphyteuticis, & eorum Conductoribus.

I*N tertio genere sunt fundi, pertinentes ad substantiam Principis.*

Principis substantia duplex est; una Publica, seu fiscalis, quæ est quasi in patrimonio Principis; altera Privata, quæ vere & proprie est in ejus patrimonio.

Fundorum, ad privatam Principis substantiam pertinentium, alii appellantur *Patrimoniales*, qui sunt sub Comite sacri patrimonii; alii *Rei privatæ*, constituti sub Comite rerum privatarum; alii *Divinæ domus*, qui pertinent ad curam Comitis domorum. Sunt insuper alii fundi Emphyteutici, alii Dominici, alii Tamiaci; de quibus omnibus ordine sequitur.

Fundorum Patrimonialium Principis triplex erat conditio. Alii enim colendi dabantur ad modicum tempus; & tunc pleno jure remanebant Principi. Alii trans-

transferebantur in privatos, salvo canone. Alii dabantur jure emphyteutico in perpetuam emphyteusin, steriles præsertim agri & inculti, ut fertiliores redderentur. Nam Respublica, aut Princeps, paucos agros sibi reservat, ut eo magis cives agriculturæ studeant.

Titulus 62.

De Mancipiis & Colonis Patrimonialium, Saltuensium, & Emphyteuticorum Fundorum.

QVemadmodum in fundis privatorum sunt varia genera agricolarum, nempe Servi, Coloni adscriptitii, & Coloni liberi: ita etiam *eadem agricolarum genera reperiuntur in fundis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis*; nisi quod aliqui istos agros colendos ad tempus susciperent, certa pacta mercede, quæ erat decima frumenti: alii in perpetuum ita se obstringerent culturæ, ut ab ea recedere non possent, nec aliud munus appetere, aut militiæ nomen dare.

Titulus 63.

De fugitivis Colonis Patrimonialibus, Saltuensibus, & Emphyteuticis.

SI fundorum patrimonialium & saltuensium coloni *ad militiam convolent*, ab ea revocandi & retrahendi ad agros, quos antea colebant, ac quibus erant adscripti. Item *parvuli, & orti ex colonis patrimonialibus*, non obstantibus militiæ stipendiis, revocantur ad culturam, quam parentes eorum exercuerunt: uti ex curialibus orti, ad munera suæ patriæ.

Titu-

Titulus 64.

De Collatione Fundorum Patrimonialium, & Emphyteuticariorum.

HIc titulus ostendit, *quæ tributa & munera realia præstare teneantur, qui patrimoniales fundos possident, aut in emphyteusin acceperunt.* Docet autem imprimis, non liberari eos ab ordinariis muneribus, nec a munere viarum muniendarum, quoniam ista munitio & refectio omnibus prodest.

Idem dicendum, *de reparatione mœnium*, quæ etiam communem spectat utilitatem; nam, licet fundi & possessiones sint extra muros, aut munitionem civitatis, tamen, ubi illa munita est, magis secure agri coluntur, fructus percipiuntur, & conservantur. Nimirum, nemo eximitur ab ordinariis muneribus; quæ in commune omnibus profutura sunt.

Titulus 65.

De Fundis Rei privatæ, & Saltibus Divinæ Domus.

AD *privatum Principis patrimonium pertinent fundi rei privatæ & divinæ domus*, itemque, quas sequens titulus vocat rei dominicæ. His fundis colendis adscripti erant coloni, agricolæ, & servi, qui etiam Dominici, alibi Fiscales appellantur, nec unquam ab illis fundis discedere poterant. Qui tamen, per tempus 30. annorum, collegio, curiæ, vel corporibus serviverant, non revocabantur ad fundos rei privatæ vel dominicæ, quia diuturnitate temporis quasi liberi censebantur.

Erat autem *inter fundos discrimen.* Alii enim vel ad agriculturam, vel ad alios fructus producendos, erant apti,

apti: alii plane ſteriles & inculti, in quibus animalia paſcuntur, nec alium fructum præter paſcua ferebant: atque hi fundi appellantur *ſaltuenſes.*

Titulus 66.

De Fundis & Saltibus Rei Dominicæ.

P*Oterat hic titulus conjungi ſuperiori*, cum Res Dominica & Privata idem ſit, & pertineat ad patrimonium Principis. Fortaſſe tamen ideo ſeparatur, quod ſuperior titulus diſſerit de fundis rei privatæ, qui a Principe, vel ejus Procuratore, juſto aliquo titulo dantur; hic vero de fundis rei dominicæ, qui nullo titulo ab aliis occupantur. Si quæ ergo prædia, ad ſacrum dominium pertinentia, cujuslibet temeritas occupaverit, ſecundum veteris cenſus fidem, in ſua jura retrahuntur, per Comitem rei dominicæ, qui loca ſacri patrimonii curat.

Titulus 67.

De Agricolis, & Mancipiis Dominicis vel Fiſcalibus publicæ rei, vel privatæ.

QVamvis hæc tituli inſcriptio ſit recepta, rectius tamen omitteretur illud *publicæ rei*, aut, uti aliæ editiones habent, *Reipublicæ;* cum tantum hoc titulo de agricolis & mancipiis fundorum rei privatæ, non publicæ Imperatoris, agatur; atque hanc lectionem probat Cujacius. Leges hujus tituli idem, quod ſuperiores de Fundis privatorum hominum, & de Fundis patrimonialibus, præcipiunt; nimirum, *ut coloni & ſervi dominici fundos rei privatæ colant*, ſteriles aſſidua cultura fertiles reddant, terræ, cui adſcripti, adhæreant, &, ſi alio ſe transferant, cum omni ſobole revocentur.

Titu-

Titulus 68.

De Prædiis Tamiacis, & de his, qui ex Colonis Dominicis, aliisq; liberæ conditionis procreantur.

T*Amiaca* prædia sunt, quæ Dispensatori sive Cellario Imp. sunt deputata, coluntúrq; per servos adscriptitios, & colonos tamiacos provinciæ Cappadociæ. Hi enim tenentur fructus vectigales, ex hisce prædiis collectos, quotannis deferre, vel deferendos ad *Canonicarios Scholæ Palatinæ* dirigere, per quos dein deferuntur Constantinopolim, & dantur Dispensatori ac penus custodi, de quibus is postea domui, & cellario Imperatoris providere possit, & procurare domesticis cibaria & alimenta, quæ in ταμείοις sive cellis reponebat & asservabat.

Filii vel filiæ, ex colono libero & tamiaca, vel ex tamiaco & colona libera, procreati, vel procreatæ, colonis dominicis annectuntur, & nascuntur tamiaci. Ex colono autem adscriptitio vel servo alieno, & tamiaca fœmina, item ex tamiaco, & adscriptitia, vel ancilla aliena nati, matris conditionem sequuntur.

Titulus 69.

De diversis Prædiis Urbanis & Rusticis, Templorum & Civitatum, & omni Reditu Civili.

P*Rædia Urbana* hic non sunt ipsorum civium, aut communia ipsis, sed civitatum propria, uti enim privatæ personæ bona sibi propria acquirunt, ita & civitates proprio ac firmo jure reditus annuos, & prædia sibi acquirere possunt contractu, aut ultima voluntate

tate, si heredes instituantur, vel eis legetur. Cum itaq; bona habeant, ex suo contractu non minus obligantur, quam alios obligatos habent; non solum si omnes convocati cives, communicato consilio, verum &, si administrator & magistratus civitatis nomine contrahat.

Ut urgente necessitate prædia sua alienare possit civitas, omnium, quorum interest, consensus intervenire debet, ac etiam Principis.

Vendi quoque poterant *prædia templorum*: quod in prædiis templorum Christianorum postea interdixere Leo & Justinianus, & certam solemnitatem præscripsere, quam sequimur; itemque quod ordinatum est jure Pontificio, *tit. de reb. Eccles. non alien.*

Titulus 70.

De Locatione Prædiorum Civilium, vel Fiscalium, sive Templorum, sive Rei privatæ, vel Dominicæ.

D*E locatione prædiorum Principis*, & *templorum vel civitatis*, notandum, eam fieri vel ad tempus, vel in perpetuum. Sed proprie locatio dicitur, quæ ad tempus fit: nam, quæ in perpetuum fit, proprie appellatur emphyteusis, non conductio; & qui in perpetuum conducunt, proprie perpetuarii vel emphyteutæ appellantur. Hi, licet non sint veri domini, tamen interdum vocantur domini, quia dominium utile, ut & utilem in rem actionem habent. Idem est, si ad longum tempus conduxerint, videlicet si actum sit, ut dominium utile habeant; alioquin essent potius conductores quam emphyteutæ: unde non datur utilis in rem actio ei, qui ad longum tempus conduxit, nisi causa cognita.

Titulus 71.

De Conductoribus, & Procuratoribus, sive Actoribus Prædiorum Fiscalium Domus Augustæ.

PRædiorum ad fiscum, vel ad domum Principis pertinentium conductores; utuntur jure communi, sive de his prædiis agant, sive conveniantur; quod & de Procuratoribus & Actoribus eorundem prædiorum constitutum est.

Titulus 72.

Quibus ad Conductionem Prædiorum Fiscalium accedere non licet.

TItuli inscriptio est de rebus fiscalibus, sive de iis, quæ sunt publici patrimonii Principis; at, Constitutio loquitur de possessionibus rei privatæ, quia harum rerum eadem est ratio, & in utrisq; idem jus servatur, nimirum, ne possessiones istæ locentur Palatinis, sive Apparitoribus Comitis rerum privatarum, item nec militibus, aut Curialibus. Palatini enim, ob fiduciam potentiæ, molesti esse possent privatis, & milites ab armis avocarentur.

Interim *Palatini*, *Militantes*, *& Decuriones*, *etsi agros in provincia, in qua munia sua peragunt, conducere vel emere probibentur*, possunt tamen in antecessorum suorum bona succedere, & agros ab illis possessos comparare, exemplo forensium, quibus in loco, ubi agunt, bona emere non est permissum; si tamen ibi sita fuerint & divendita majorum bona, jure ea sibi acquirunt, & ab aliis occupata redimunt.

Titu-

Titulus 73.

De Collatione Fundorum Fiscalium, vel Rei privatæ, vel Dominicæ, vel Civitatis, vel Templi.

COllatio hic accipitur, pro contributione & solutione pensionum, quas debent pendere Conductores & Coloni prædiorum fiscalium, & rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatis; idq; ob conventionem initio initam.

Omnia prædia, tam rei privatæ, quam quæ ex proscriptorum bonis ad fiscum sunt devoluta, *præstant ordinaria munera*, ut Annonas, Transvectionem, Censum, & alia ejusmodi onera.

Titulus 74.

De Privilegiis Domus Augustæ, vel Rei privatæ, & quarum Collationum Excusationem habent.

IN *privato Principis patrimonio sunt res dominicæ, & res privatæ*, item possessiones domus Augustæ. Harum possessionum conditio hæc est, *ut locentur, non ut in jus privatorum transferantur. Conductores* vero eo privilegio utuntur, quod immunes sunt ab universis muneribus sordidis, neq; ob extraordinaria munera & superindictiones conveniuntur.

Titulus 75.

De Grege Dominico.

GRex *Dominicus* hîc Principis est. Dominicum enim dicitur, quicquid est in privato ac dominico patrimonio Principis, qui verus & summus est Dominus.

Conſtitutio hujus tituli eum libra auri mulctat, *qui equum, vel aliud animal, ex grege dominico occupaverit*, neque reddiderit, ad vocem præconis quærentis; ſi ex aliis gregibus, ſemilibra auri, niſi ſponte obtulerit: & hic caſus eſt, quo reſtituens liberatur a pœna. Alioqui is, qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrum faceret, tametſi, mutato conſilio, id domino reddit, fur eſt; nemo enim tali pœnitentia nocens eſſe deſinit. Quod autem hic contrectans, oblatione rei, pœnam evitat, eſt ex benignitate Principis, qui non vult pœnis ditari, nec ſubjectorum animos a ſe alienare.

Titulus 76.

De Palatiis & Domibus Dominicis.

P*Rivati Principis patrimonii ſunt domus dominicæ, & palatia*, quæ Princeps habitat.

Solus Princeps Arces, in quibus habitet, & palatia ſplendida in civitatibus exſtruere poteſt; & prohibere, ne privati, quantumvis potentes, imitentur, aut ſuperbe nimis inſtruant & muniant ædes.

Multo minus licet privatis palatia & ædes Principi conſecratas habitare; eæ enim ab omni uſu & communi habitatione excipiuntur. Violare hujusmodi loca, utpote ſacra, non oportet, nec inde aliquem vi eximere, aut gladio aggredi, vel eum evaginare: præbent enim palatia & ſtatuæ Principum ſecuritatem iis, qui ad eas confugiunt.

Titulus 77.

De Cupreſſis ex luco Daphnenſi, vel Perſeis per Ægyptum non excindendis.

NOn ſolum palatia Principum exemta ſunt a privatorum uſu, ſed etiam *Cupreſſi luci Daphnenſis in*

in Syria, Antiochiæ, item *Platani, & Perseæ arbores per Ægyptum*, privato commercio eximuntur. Talem itaq; arborem nec ſuccidere licet, nec collapſam in alium locum transferre, nec emere, nec vendere, ſine conſenſu Comitis ſacrarum largitionum, ſub pœna quinque librarum auri.

Et quamvis liceret *Alytarchæ*, id eſt Sacerdoti in Syria, ludis ſacris præfecto, antiquitus aliquibus cupreſſis plantatis, unam ſuccidere; id tamen hic prohibetur, & loco cupreſſi, libra auri ipſi aſſignatur, ex largitionibus ſacris danda. Quæ *probibitio inde manavit*, quod antiquitas lucum Daphnenſem Apollini, Perſeam arborem Iſidi conſecravit; unde poſtea in Imperatorum jus tranſierunt,

Adde, quod cupreſſus ſucciſa nunquam repullulat, & plantata tarde creſcit; item, quod fluminum ripas continebat. Perſeæ arboris folium corticemq;, ajunt cuivis morbo mederi, eamq; fugienti Chriſto in Ægyptum ſeſe inclinaſſe, ac umbram præbuiſſe.

CODICIS
LIBER XII.
Titulus I.
De Dignitatibus.

DIgnitas, eſt honor, alicui propter merita, Principis vel Legis beneficio, tributus.

In Imperio Romano, Magiſtratuum diſtinctæ fuere dignitates, certiq; tituli, quorum quatuor præcipue recenſentur, *Illuſtres*, *Spectabiles*, *Clariſſimi*, *Perfectiſſimi*. Atque hæc dignitatum diſtinctio, orta demum poſteriorum Imperatorum tempore; neque

enim illarum mentio fit in Pandectis, ſed ibi omnes, qui Senatorii ordinis erant, indiſtincte *Clariſſimi* vocantur.

Illuſtrium alii erant *Superilluſtres*, qui proximi Principi aſſidebant, nec alium præter ipſum ſuperiorem agnoſcebant, uti Dictatores, Senatores, Conſules, Patricii. *Illuſtres, erant in Imperio Orientis*, Præfectus Prætorio Orientis, Præfectus Prætorio Illyrici, a quorum ſententiis non appellabatur. Illuſtrium ordini intererant Quæſtores Sacri Palatii, Præfecti urbi, Præfecti militum, & Comites ſacrarum largitionum. *In Imperio Occidentis*, eædem quoq; erant Illuſtrium dignitates, atque recenſentur in Notitia Imperii, erantq; inſuper Præfectus Italiæ, & Præfectus Prætorio Galliarum.

Spectabiles, cenſebantur omnes Provinciarum Duces, Proconſules, Vicarii urbis Romæ, Præfectus Auguſtalis &c.

Clariſſimi, erant Præſides & Rectores provinciarum, Præfectus vigilum, Præfectus annonæ, & Prætores.

Perfectiſſimi nomen tribuebatur Præſidi Dalmatiæ, Arabiæ, Magiſtro cenſus, Primicerio ſcriniorum.

Communicantur Dignitates etiam Vxoribus: hæ enim durante matrimonio, mariti dignitate nobilitantur, ejusq; forum & domicilium ſequuntur.

Privilegia Dignitatum Privativa ſunt: Senatores ab omni injuria præ aliis defendere oportet: Ii immunes habentur a muneribus perſonalibus, & a tormentis. De Illuſtrium criminibus nemo cognoſcit, inconſulto Principe; de cæteris in dignitate conſtitutis, Præfectus Prætorio. Illuſtres carceri mancipari non debent, ſed quando conveniendi ſunt in civilibus vel criminalibus cauſis, tunc juratoriæ cautioni committendi

mittendi. Nuda Executoris voce conveniri & citari non possunt Illustres & Clarissimi, nec in Civilibus nec in Criminalibus causis; sed requiritur citatio in scriptis.

Privilegia Dignitatum Positiva sunt: Datur facultas omnibus Clarissimis & Spectabilibus, ubi velint, commorandi. Possunt libere accedere Sacrum Comitatum, id est Principis aulam. Privilegia prioris dignitatis retinentur, licet majorem quis consecutus sit dignitatem.

Titulus 2.

De Prætoribus, & Honore Præturæ, & Collatione, & Gleba, & Folli, & Septem Solidorum functione sublata.

IN *libera Repub. magna fuit Prætorum autoritas*, quippe quorum Edicta pro jure certo recipiebantur, & illis sex lictores cum totidem fascibus attribuebantur, &, Consulibus absentibus, Consulare munus obibant; unde & Collegæ Consulum dicti sunt. Quin & ob causam publicam licebat iis jus civile corrigere, adjuvare, & supplere. Sed hanc autoritatem & potestatem posteriores *Principes* sibi reservarunt, atque ita sub iis, mutata pristina Reipub. forma, præsertim post Imperii sedem translatam Constantinopolin, Prætorum dignitas & potestas imminuta est, ac paucissima ex jurisdictione & Imperio prisco retinuerunt, cœpitq; esse onus Senatorum, in edendis populo scenicis & circensibus voluptatibus, & in fabricis oneribusq; publicis.

Qui Præturæ honorem suscipiebant, si fundos possiderent, *glebam, seu glebalem functionem præstabant*; id est aliquot folles. Qui fundis carebant, duos folles in

in ærarium inferebant; erat autem *Follis* aurei numi genus. Tenuiores, præstabant septem tantum solidos. At Valentinianus & Martianus voluerunt, ut Prætores electi, ab his oneribus & oblationibus liberarentur.

Titulus 3.

De Consulibus, & non spargendis ab his pecuniis, & de Præfectis, & Magistris Militum, & Patriciis.

C*Onsules* dicti, quod Reip. consulerent, ejusq; negotia summo imperio tractarent. Translato in Cæsares imperio, pristinæ dignitatis & autoritatis tantum nomen & umbra remansit, cœperuntq; plures Consules constitui; nam in annum unum, Commodus 25. designavit.

Etsi autem Consulum autoritas sub Principibus imminuta fuit, tamen non pauca in iis remanserunt *vestigia pristini splendoris*, atque inter cætera ornamenta consularia erant imprimis toga prætexta, id est, purpura circumtexta, sive stola latis clavis distincta; calcei aurati, & cum securibus fasces prælati, & sella curulis. Præterea addebantur Consulum nomina instrumentis, atque ab illorum Magistratu numerus annorum signabatur. *Proconsulibus* quoq; præferebantur fasces & secures, in provincia illis decreta, nisi in eam veniret Consul.

Signum majestatis erat, quod Consules Romæ, velut supremi Principes, *aurum in plebem spargerent*, & tesseras orbiculatas aut quadratas. Id *Martianus* Imperator prohibuit, constituens, ut, loco missilium, *centum* tantum *auri libras*, sub initium consulatus, ad refectionem aquæductuum præstarent. Nam, quamvis

vis multorum hominum paupertas profusis largitionibus sublevaretur, Consulum tamen patrimonia exhauriebantur, nullo alio fructu, quam ut captarent plausum, & auram populi. Sed hanc Martiani constitutionem *Justinianus* temperavit, permisitq; Consulibus *sparsionem missilium*, idque septies quotannis: sed ita, ut duntaxat argentum spargerent, & in minutioribus numis; auri, & majorum numorum sparsione, Principi reservata. Atque munificentia Consulum, nec non Conjugis, Matrisve eorum, restricta ad certam summam, & septenarium dierum numerum.

Patricii, accipiendi sunt non eo sensu, quo illi, qui a primis Patribus descenderant, vel a Julio Cæsare, Augusto, & Claudio fuere adsciti, Patricii dicti; sed, qui *Patriciatus dignitatem*, multo post a Constantino M. introductam, adepti fuerant, & quasi Imperatoris patres, ac in illius Concilium assumti reputabantur, atque ideo patria potestate solvebantur. Tantæ vero venerationi erat hæc dignitas, ut nemini ad eam adspirare liceret, nisi prius aut Consulatus honore potitus esset, aut Præfectura Prætorio Illyrici, vel aliis summis Magistratibus.

De officio Magistri militum dictum est *libri 1. Cod. tit. 29.*

Titulus 4.

De Præfectis Prætorio, sive Vrbi, & Magistris Militum in Dignitatibus exæquandis.

P*Ræfectus Prætorio* & *Præfectus Vrbi*, qui primum votum habebat in Senatu, ac *Magister equitum & peditum*, habuerunt quidem discretas dignitates; sed

ſed ſunt pares honore, & ideo, depoſita dignitate, quando de ordine, quo in Senatu ſedere, & ſuffragia ferre debeant, quæritur, id judicandum eſt ex prioritate temporis, ut v. g. qui prius fuit Præfectus Vrbi, quam alter fieret Præfectus Prætorio, præferatur, & ita Expræfectus antiquior, Exmagiſtro præfertur.

Titulus 5.

De Præpoſitis Sacri Cubiculi, & de omnibus Cubiculariis, & Privilegiis eorum.

CVbicularii erant, qui cubili Principis inſerviebant; iis Præpoſitus, erat quaſi ſupremus Camerarius. Cubicularii autem eligebantur ex ingenuis, libertinis, & ſervis.

Servi, qui potiſſimum erant Eunuchi, ſponte a Dominis traditi cubiculo Principis, ſtatim libertatem & ingenuitatem adipiſcuntur, ne Majeſtas ſumma ſervilis conditionis famulis utatur, nec ullum jus Patronatus dominus habet: ideoq; eis inteſtato mortuis, fiſcus ſuccedit, cum nec patronos nec cognatos habeant; teſtamenta autem faciunt libere, præterito Domino.

Si autem, *invito aut ignaro Domino, ſervus in cubiculum Principis irrepſerit*, intra quinquennium cum peculio vindicari poteſt.

Conveniuntur Cubicularii coram Officiorum Magiſtro, ne, dum ad alia Judicia trahuntur, Auguſti & Auguſtæ (cum duplex ſit cubiculum, & diverſi cubicularii) miniſteriis abſtrahantur.

Privilegia Cubiculariorum ſunt, quod non tantum immunes exiſtunt a ſordidis muneribus, uti præſtandis angariis, parangariis, & paraveredis: ſed etiam ab hoſpitatione militum, vel officialium Principis.

Titu-

Titulus 6.

De Quæſtoribus, & Magiſtris Officiorum, & Comitibus Sacrarum Largitionum, & Rei privatæ.

VIdendus libri 1. Codicis titulus 30. *De Officio Quæſtoris.* item titulus 31. *De Officio Magiſtri Officiorum*: & titulus 32. *De Officio Comitis ſacrarum largitionum.* nec non titulus 33. *De Officio Comitis Rerum privatarum.*

Titulus 7.

De Primicerio, & Secundicerio, & Notariis.

HActenus de Illuſtribus Magiſtratibus. Inter *Spectabiles* numeratur *Primicerius Notariorum*, qui eſt velut primus, ſive in prima cera ſcriptus: quia veteres in ceratis tabulis ſcribebant; unde illæ loquendi formulæ, *in prima & ſecunda cera, in ima cera.* Primicerius itaq; generatim in aliquo officio aut ordine primum locum obtinebat; qualis nobis nunc Decanus dicitur.

In hoc titulo tantum de Primicerio Notariorum agitur, neutiquam autem de Secundicerio.

Primicerius Notariorum cæteris Notariis præpoſitus erat, illis imperabat, eos in ordinem redigebat, arcas & ſcrinia curiæ imperialis cuſtodiebat.

Notarii reſponſa componebant & efformabant, ac ſecretiora negotia peragebant ex delegatione Principis, quibus recte peractis, ſibi quandoq; viam ſternebant ad illuſtres dignitates.

Titu-

Titulus 8.

Vt Dignitatum Ordo ſervetur.

IN *Dignitatibus ordo eſt ſervandus*. Non ſolum enim, qui ſunt in ſuperiori gradu, iis præferuntur, qui ſunt in inferiori gradu, ut Illuſtres Spectabilibus, Spectabiles Clariſſimis: ſed etiam in iis, qui ſunt ejusdem gradus, eſt ordo aliquis. Etenim Superilluſtres præferuntur Illuſtribus: item ii, qui adminiſtratione, illuſtrem dignitatem annexam habente, functi ſunt, iis, qui ſunt illuſtri dignitate a Principe donati, præferuntur: deniq; præſentes in comitatu Principis, abſentibus & ſupernumerariis præferuntur.

Titulus 9.

De Magiſtris ſacrorum Scriniorum.

M*Agiſtri Scriniorum* plures erant. Inter eos primi erant *Magiſtri memoriæ*, qui annotationes omnes dictabant, emittebant, & precibus reſpondebant, omniaq; Imperii geſta ſervabant, Alii erant *Epiſtolarum Magiſtri*, qui legationes civitatum, conſultationes, conventiones, & preces tractabant. Alii *Magiſtri libellorum*, qui acta cauſarum & litium, quarum Principis erat cognitio, dictabant ac tractabant, & in ſcrinio ſive arca libellorum reponebant.

Titulus 10.

De Comitibus Conſiſtorianis.

C*Omitis* nomen inde dictum, quod quis cauſa officii Principem comitaretur, & ſequeretur. Hinc *Comites Conſiſtoriani* dicti, quod Aſſeſſores & Conſiliarii eſſent, & in Conſiſtorio Principi aſſiderent. *Conſiſtorium* enim eſt locus, in quo, qui Principi ſunt a con-

a consiliis, consistunt, & salutaria ei consilia belli pacisq; suggerunt.

Præter Patricios & Præfectos Prætorio, quorum summa dignitas, *Consistorium ingrediebantur*, & consilii intimi participes erant, Quæstores, Magistri Officiorum, Præpositi sacri cubiculi, Comites sacrarum largitionum, Comites rerum privatarum, & Illustres omnes.

Titulus 11.

De Comitibus & Tribunis Scholarum.

SCholæ, sunt Collegia quædam militum, vel ministrorum Principis, &, qui illis adscripti erant, *Scholares*, eorumq; Præpositi, *Comites*, *Tribuni*, ac *Primicerii Scholarum* dicti.

Titulus 12.

De Comitibus Rei Militaris.

COmites Rei Militaris dicuntur, qui mittebantur cum milite ad protegendam provinciam, & judicabant præcipue de negotiis militaribus. Inferiores erant Proconsulibus, sed Ducibus tamen aliarum provinciarum æquiparabantur.

Titulus 13.

De Comitibus & Archiatris Sacri Palatii.

SImiles Comitibus primi ordinis, hoc est Ducibus belli, & Vicario Præfecti Prætorio, sunt *Archiatri*, sive præcipui Medici: & hoc ipso excellentes censendi, quod Principis cubiculum ingredi, & ejus vale-

valetudini præesse merentur. Nunquam poterant, ob medendi curam & necessitatem, a Comitatu Principis discedere; inde Comites dicti.

Titulus 14.
De Comitibus, qui Provinciás regunt.

TItulum Comitis Constantinus Imp. omnibus iis attribuit, qui præcipuis Imperii officiis præerant, & sub se plures vicarios & ministros habebant; uti erat Comes Palatii, Comes sacrarum largitionum &c. qui omnes Principem sequebantur, quemadmodum alii officia honorifica in aula obeuntes. Aula enim Principis erat Schola magnorum magistratuum, in qua plures ad Rempublicam capessendam formabantur. Inde quoque seligebantur, *qui provincias regerent*, vel legationes obirent, quibus vel dabantur, vel sponte se adjungebant Comites, qui legatos ipsos vel consultando juvabant, vel inspiciendo, ne prævaricarentur, retinebant in officio.

Titulus 15.
De Professoribus, qui in Vrbe Constantinopolitana docentes ex Lege meruerunt Comitivam.

QVemadmodum in urbe Constantinopolitana fuit collegium Archiatrorum, ita & *Liberalium Artium, ac Juris Professorum*, qui, si totos 20. annos professionem suam probe exercuissent, honorabantur comitiva primi ordinis, & æquiparabantur Præfectis Prætorio, atq; sic Illustres fiebant.

Titu-

Titulus 16.

De Silentiariis, & Decurionibus eorum.

HActenus de Spectabilibus. Sequuntur *Clarissimi*, inter quos primo occurrunt *Silentiarii*. Illi circa latus Principis militabant, & in anteriore ejus cubiculo excubias agebant. Erant Silentiarii XXX. numero, quibus tres Decuriones præerant, singuli denis, & hinc Decuriones dicti. Omnes, ne a sacris abstraherentur obsequiis, subjiciebantur, tam in causis civilibus quam criminalibus, Magistro officiorum.

Titulus 17.

De Domesticis, & Protectoribus.

IN Prætorianorum militum locum successisse videntur, posteriori ævo, *Domestici* & *Protectores*, sive *Custodes corporis*, qui fere idem munus sustinebant. Sed Domestici proprie erant, qui domi, Protectores, qui in acie lateris sacri solicitudinem gerebant.

Titulus 18.

De Præpositis Laborum.

P*Ræpositi* nomen generale est, quod plerisq; tribuitur, qui personis vel operibus præsunt.

Nam *variæ præposituræ* fuerunt in utraq; militia, armata, & togata; ut Præpositus pagorum, horreorum, annonarum, pistorum, sacri cubiculi, castrorum.

Qui fuerint *Præpositi laborum*, non satis constat. Plerique eos subsignanis militibus annumerant, quique præpositi erant magno illi vexillo, quod Labarum dicebatur,

cebatur, & deferebatur in acie ante Imperatorem, fulgebatq; gemmis, & lapidibus pretiosis: & ideo in Rubrica legendum censent *Labarorum*. Hos Brunemannus sequitur.

Alii existimant, Præpositos laborum non fuisse milites, sed *Magistros operum*, quibus mediastini omnes, cæterique Augustæ domus opifices suberant.

Titulus 19.

De Proximis sacrorum Scriniorum, cæterisq; qui in sacris Scriniis militant.

S*Acra Palatii Scrinia* dicebantur capsæ, sive armaria, in quibus literaria monumenta, ut Cognitiones, Preces, Rescripta, asservabantur.

De Magistris sacrorum scriniorum vide supra hujus libri tit. 9.

A Magistris proximum locum & dignitatem obtinent *Proximi sacrorum scriniorum*, etiam *Promagistri* dicti, quod absentibus, aut valetudine impeditis Magistris, eorum vices implerent.

Præter istos, erant alii plures militantes, sive operam locantes sacris scriniis, ut *Melloproximi*, id est ii, qui sequenti anno futuri erant proximi. *Librarii*, qui excepta in mundum redigebant. *Amanuenses*, qui ad manum præsto erant ad scribendum. *Pragmaticarii*, quorum ingeniis pragmaticæ annotationes, sanctiones, acta cognitionum, & arcana committebantur. *Laterculenses*, qui laterculo præerant. *Duplex autem erat laterculum*, unum *Majus*, quo totius imperii notitia; alterum *Minus*, quo Dignitatum civilium, & militarium, & promotionum ordo continebantur.

Titu-

Titulus 20.

De Agentibus in rebus.

AGentes in rebus ſunt, qui in ipſis rebus, & actu Reipub. militabant, ſive occupabantur; & præcipue rei frumentariæ, ac curſuum publicorum, & transvectionum curam gerebant. Horum *plures fuere gradus*. Emeriti, dicti ſunt Principes agentium in rebus; deinde erant Primicerii Senatores, Ducenarii, Centenarii, Biarchi, Circitores, Equites, Tyrones.

Scholæ huic nemo aggregandus eſt, ſine probatoria ſacra, id eſt, approbatione Principis. *Defuncto Agente* aliquo, heredes ejus totius anni ſalarium percipiunt; & ideo locus ejus tam diu vacare debet.

Titulus 21.

De Præpoſitis agentium in rebus.

HIc *titulus a plerisq; omittitur*, & ſuperiori cõnjungitur, agit autem de Schola Agentium in rebus, in qua diverſa erant officia, & plures illis præpoſiti.

Titulus 22.

De Principibus agentium in rebus.

PRincipes, ſunt primores Scholarum, qui officia adminiſtrabant. Princeps Officii, ſive Primicerius, aut Primiſcrinius, omnibus imperabat, &, quid ubique agendum, diſponebat, ab eoque omnium diſpoſitionum forma procedebat.

Titulus 23.

De Curiosis & Stationariis.

C*Vriosi* seu *Stationarii* ex Schola Agentium in rebus mittebantur in provincias, ad inspiciendas evectiones, ne quis in iis modum excederet. Aliqui cursui publico vacabant, & inspiciebant, ne quis sine diplomate, aut supra modum evectionis curreret: item providebant, ne quis plures equos postularet, quam concesserat evectio. Verbo, Curiosi & Stationarii ea, quæ contra publici cursus leges, & contra quietem publicam commissa erant, curiose pervestigabant, & referebant ad Præfectos.

Titulus 24.

De Palatinis sacrarum largitionum, & rerum privatarum.

P*Alatinorum nomen* ad multos extenditur: omnes enim hoc nomine vocantur, qui in Palatii scriniis militant. Hic tantum de Palatinis seu Apparitoribus Comitum sacrarum largitionum, & Rerum Privatarum agitur.

Titulus 25.

De Stratoribus.

AD *Stratorum* officium pertinebat, Equos militares, qui a provincialibus conferebantur, probare, eorumq; formam, staturam, & ætatem observare. Equum quoque fræno tenebant, & conscendendi Principi opem ferebant; nec minus reos sibi commissos custodiebant: unde de Cypriano in vita ejus legitur: *ductus & susceptus est custodiendus ab stratore officii*

officii proconsularis. Ex quo loco apparet, fuisse etiam aliquando proconsulibus stratores: quos tamen habere prohibentur *l. 4. §. 1. ff. de offic. proconsul. & legati.*

Titulus 26.

De Castrensianis, & Ministerianis.

C*Astrensiani* ac *Ministeriani* dicti omnes, qui alicui sacro ministerio erant deputati. Eorum omnium officia & numerum recensere, longum foret.

Inter Castrenses honoratiores aulæ Ministros, erant *Prægustatores*, qui epularum gustum explorabant. *Pincernæ*, qui vinum infundebant, & illud delibabant. *Pistores*, seu panis curatores: *Obsonatores*, qui comparandis obsoniis præerant: aliique magno numero.

Titulus 27.

De Decanis.

INter Ministerianos computantur *Decani*, dicti olim Decuriones, quia decem viris præerant.

Istorum ministerium quale fuerit, non satis constat. Cujacius putat eos cadavera humasse. Panciroluss in Notit. Imp. Orient. c. 90. scribit, Decanos cubiculo sacro inserviisse, Principem induisse, cubicula & lectos parasse. Addit præterea, eos non subjectos fuisse Comiti Castrensi, ut erant Ministeriani, sed Primicerio Cubiculariorum.

Titulus 28.

De Menſoribus.

EX ſententia Cujacii, *Menſores* a menſura, ſive a *metiendo* dicuntur: quo ſenſu quoque hæc vox accipitur in rubrica tituli Digeſtorum, *ſi Menſor falſum modum dixerit*. Pancirolus minus probabiliter putat, Menſores eſſe *menſæ miniſtros*. Weſembecius intelligit *metatores*, qui hoſpitium Principi præparant.

Titulus 29.

De Privilegiis eorum, qui in ſacro Palatio militant.

IN *palatio militare* dicebantur, qui non armis, ſed conſiliis, opem ferebant, & alia munia aulica obibant.

Tales excuſationem habent a perſonalibus muneribus, & a patrimonialibus ſordidis, cum liberis etiam ſecundi gradus.

Titulus 30.

De Privilegiis Scholarum.

S*Cholæ* hic pro ordine militantium accipiuntur, præſertim eorum, qui tuebantur palatium Principis. Tales undecim erant, & conſtabant ex Agentibus in rebus, & Palatinis. Cuique Scholæ ſuus præerat Comes, hunc ſequebatur Primicerius, poſt hunc erat Secundicerius, & poſt iſtum, Ducenarii, deinde Centenarii, mox Biarchi, & alii.

Conceſſum omnibus Scholaribus, ac præſertim iis, qui, poſt emenſa ſtipendiorum curricula, ad Primiceriorum

riorum gradum pervenerant, ut Clarissimorum Comitum dignitate & privilegiis fruerentur, atque Magistri Officiorum jurisdictioni subjacerent.

Titulus 31.
De Castrensi omnium Palatinorum Peculio.

PAlatini, id est, ii qui in Palatio Principis militant, quæcunq; industria sua, vel liberalitate Principis, acquirunt, tanquam Peculium Castrense possident: & ideo eorum usumfructum patri non acquirunt, & in his habentur pro patribusfamilias.

Titulus 32.
De Equestri Dignitate.

EQuites, erant Cives honoratiores, ex quibus Judices, & Centumviri, & Senatores eligebantur.

Census Equitum erat quadringenta millia Sestertium, dimidio minor Senatorio. Seneca l. 2. de Benef. *Senatorum gradum census ascendere facit; census Romanum Equitem a plebe discernit; census in castris ordinem promovet; censu deniq; in foro judex legitur.*

Equites Romani in eo honore fuerunt, ut etiam habuerint jus spectandi e quatuordecim ordinibus, id est gradibus theatri, velut Senatorius ordo in Orchestra spectabat. Verum, sub Claudio, Equitum ordo suo splendore cœpit privari, per Libertinos, quos Equites creabat, dabatque iis etiam jus sedendi in XIV. ordinibus.

Titulus 33.

De Perfectiſſimatùs Dignitate.

COnſtantinus Imp. cujus eſt conſtitutio hujus tituli, ut plures extolleret ac animaret, multa honorum genera adinvenit, ac poſt Clariſſimos inſtituit Equites, quos Perfectiſſimi præcedebant.

Perfectiſſimatus dignitate plerunq; decorabantur, qui minimas provincias regebant; uti erat Præſes Arabiæ & Dalmatiæ, item Primicerius ſcriniorum, & quicunq; hujus dignitatis inſignia a Principe impetraverant.

Titulus 34.

Qui militare poſſunt, vel non poſſunt: & de Servis ad Militiam, vel Dignitatem adſpirantibus: &, ut nemo duplici Militia, vel Dignitate, & Militia ſimul utatur.

D*Vplex eſt Militia*, armata, & inermis. *Armata* dicitur, quam milites cincti, & in numeros relati profitentur. *Inermis*, quam ſubeunt illi, qui Reipublicæ adminiſtrandæ præficiuntur. De utraq; agunt hujus tituli conſtitutiones, ſed præſertim de Armata Militia.

Si quis militet, cui id non licet, grave crimen habetur.

Ad militiam non eſt recipiendus, multo minus compellendus, juri alieno adſtrictus, v. g. Colonus, aut Saltuenſis, id eſt ſaltibus adſcriptus, ut dominorum juri, & publicæ utilitati, id eſt agriculturæ conſulatur: unde nec admitti debent Curiales, vel Cohortales, id eſt, perpetui apparitores Præſidum.

Hinc

Hinc consequens est, *multo minus servum ad militiam admitti*, sed, si de facto lectus, Domino ignorantiam alleganti (quæ & præsumitur, donec contrarium probetur,) a Judice restituendus. Quod, si sciverit dominus, amittit dominium & jus patronatus, & servi fiunt ingenui, ac in militia retinentur, si habiles fuerint.

Duas militias diversi generis, aut dignitatem & militiam, eodem tempore quis habere non potest. Sed singulæ singulis personis committi debent. Cuicunq; igitur duæ militiæ obtigerunt, sive ex armatis, sive ex civilibus, debet unam eligere, & alteram deponere intra sex menses. Causa est, quod una persona duobus in locis in solidum residere nequit.

Titulus 35.

Negotiatores ne militent.

DIfferunt Negotiatores, & Mercatores.

Negotiatores in advehendis magnis mercibus occupantur, & ergasterio, tabernæ, officinæ, mercimoniis deputatis præsunt. *Mercatores* sunt, qui minutiariam procurant, ac per se exercent negotiationem.

Justinianus negotiatores, qui ergasteriis præsunt, militare prohibet, & Fridericus Imp. gladium gestare, nisi cum peregre abeunt, suæ sellæ alligatum, ut a prædone se defendant.

Solis ergo militibus & nobilibus usus armorum est relictus.

Vti vero Negotiatores militare non debent; ita *nec Milites negotiari*, aut occupari privatis negotiis. Non enim fieri potest, ut negotientur Milites

ſimul, & hoſtibus reſiſtant; rationes ſuas, & ſimul excubias agant.

Titulus 36.
De Re militari.

AGitur de Militum Electione, Familia, Officio, Salario, Præmiis, Foro, Miſſione, Delictis, ac Pœnis.

Legebantur olim Milites a Magiſtro militum, & Ducibus, ſed non ſine ſacra probatoria Principis, facta prius relatione Magiſtri militum vel Ducis. Sic nec ab uno numero ad alium, vel una vexillatione ad aliam, ab una legione ad aliam, aut ab uno exercitu ad alium, ſine conſenſu Principis, transferri poſſunt.

Non licet militi *Familiam ſuam*, id eſt uxorem, liberos & ſervos, ſecum habere, ſine conſenſu Principis.

Officium Militum eſt, parere Ducibus. Ideo Tribuni & Milites a ſignis & ſtationibus ſuis, ſine licentia Principis non diſcedere, nec per agros oberrare, aut ſua negotia adminiſtrare debent. Vagantes, a Præſidibus detinendi, & res ad Principem referenda.

Salarium militum conſiſtebat in annona, & ſtipendio.

Milites conveniuntur apud Ducem ſuum, ut citius res expediantur.

Præmium militum præcipuum eſt, quod, poſt 20. annos in militia transactos, Veteranorum privilegia conſequuntur; & licet non dimittantur ſtatim, ab omnibus tamen muneribus militiæ excuſentur, uti & a muneribus civilibus.

Miſſio

Missio Militum est vel honesta, vel causaria, vel ignominiosa. *Ignominiose* missi redduntur infames, & honorum incapaces; morari tamen possunt ubivis locorum, præterquam in eo loco, qui ipsis est prohibitus.

Delicta sunt varia. Si per agros oberrent, Provinciales lædant, hostibus prædandi facultatem dederint, aut prædam cum iis diviserint, vivi exurendi sunt.

Titulus 37.

De Castrensi Peculio Militum, & Præfectianorum.

PEculii *Castrensis* milites liberam habent administrationem. Etsi enim militia a patria potestate non liberat, peculium tamen castrense illorum proprium est pleno jure.

In peculio castrensi sunt mobilia, quæ eunti in militiam a parentibus vel amicis donata; qualia etiam ea esse præsumuntur, quæ patre concedente filius in castra tulit. Amplius huc pertinent, quæ in castris occasione militiæ fuere acquisita.

Scriniarii, Apparitores, Præfecti Prætorio, & alii in officio Imperiali merentes, qui *Præfectiani* dicuntur, habent etiam castrense peculium.

Titulus 38.

De Erogatione Militaris Annonæ.

SOlebat olim *Stipendium militibus per annonam distribui* in singulos dies, ita ut buccellatum panem, sive biscoctum, duobus diebus, panem alium tertio, uno die vinum, alio acetum, uno die lardum, biduo vervecinam acciperent.

Interdum loco annonæ, ob juſtas cauſas, *dabatur pretium*, ſed certa ac publica ſtatuta quantitate, quæ *adæratio* dicebatur, quam nec miles, nec Dux immutare poterant.

Milites, ſupra annonarias ſpecies, etiam *ærarias* accipiebant, ſtipendia videlicet. Conſtat ex Tacito, pedites accepiſſe *denarium in diem*, qui paulo plus eſt, quam argenti drachma. *Equitibus triplum* concedebatur.

Titulus 39.

De Excoctione & Translatione Militarium Annonarum.

PRovincialibus *incumbebat onus*, non tantum transferendæ annonæ ad caſtra aut loca, ubi milites degunt, ut ipſis diſtribuatur, ſed etiam ex frumento excoquendi panis buccellati: & ab his duobus oneribus nemo excuſabatur, ne quidem ipſius Principis patrimonialia, vel Eccleſiæ prædia.

Ab onere excoctionis eximuntur ea loca, ubi integra non eſt familia, quæ excoquere panem buccellatum poſſit. *Familia* autem non eſt, ubi unicus vel duo tantum ſunt ſervi, licet in interdicto, de vi & vi armata, ſecus ſe res habeat.

Titulus 40.

De Militari Veſte.

QVemadmodum ad militum vitam neceſſaria eſt annona; ita, *ad conſervationem corporis*, *Veſtes requiruntur*. Ideo victus & veſtes paria cum ſint, hinc de utriſq; pari diligentia ab Imperatoribus cautum, atq; *ineunte Vere* & *Hyeme* veſtes dabantur.

Pecu-

Pecunia vestium militarium, a Kalendis Septembris, usque ad Kalendas Aprilis, inferenda erat sacris largitionibus, imposita pœna Rectori Provinciæ, si totum canonem non curasset exsolvi.

Titulus 41.
De Metatis & Epidemeticis.

NOn solum veste militari, sed & *Hospitio* opus est, ut commode quis possit militare: ideo, quæ a provincialibus præbentur hospitia, vocantur *metata*. *Metatores* vero dicuntur, qui hospitii designandi & parandi gratia præcedunt. Appellati quoque sunt Metatores, qui præcedentes locum castris ponendis eligunt.

Epidemetica, sunt pretia, quibus provinciales se redimunt ab onere suscipiendorum hospitum. Sed hæc prohibentur *l. ult. hujus tit. & Nov. 130.*

Titulus 42.
De Salgamo Hospitibus non præstando.

S*Algami* nomine Cujacius significari existimat herbas conditas, quales sunt olivæ, cappares. Alii per Salgama intelligunt esculenta, quæ ad usum & victum patrisfamilias asservantur, uti oleum, sal, piper, & alia ad condiendos cibos necessaria. Hæc, licet vilis pretii sint, non tamen debent præstari militibus, ne, levi exigendi occasione arrepta, illa in immensum abutantur; stipendium enim, quod eis tribuitur, debet in ea, quæ necessaria sunt, converti, ne oneri sint hospitibus.

Titu-

Titulus 43.

De Commeatu.

COmmeatus, est facultas, quæ a Duce exercitus militibus conceditur, excedendi & eundi ad tempus, quo velint. Olim hisce verbis dabatur: *Si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do; primo vere adsitis, edico.*

Parcissime commeatus dandus est, & si quis, eo præsertim tempore, quo Barbarorum fiunt incursiones, commeatum dederit, vel, si quis miles cum apud signa esse deberet, absuerit, capite plectitur.

Datur commeatus non tantum militibus armatis, sed etiam *togatis & Palatinis*, qui, si supra commeatus diem sex mensibus abfuerint, & sibi vacaverint, proprii gradus dignitatisque diminutione coërcentur.

Commeatus præterea apud bonos autores pro *cibariis* accipitur, ad publicam alimoniam exercitus, vel civitatis, vel alicujus privati, comparatis. Cicero pro lege Manil. *Jam commeatu & privato & publico probibemur.*

Titulus 44.

De Tyronibus.

QVi lecti erant noviter, & nondum in numeros relati, *Tyrones* vocabantur.

Minor 17. annis tyrocinio non erat ad scribendus; sed illa ætas completa, ut postulando, ita & militiæ apta censebatur. Laborantibus tamen Romanis contra Vejos, itemq; post Cannensem cladem, juniores conscripti, qui illam ætatem nondum attigerant.

Tyro-

Tyrones, priusquam militiæ adſcriberentur, in *Scholis militaribus* ſe exercebant, & anno integro tyrocinii onera ſuſtinebant graviſſima.

Tyrones privilegium habent, ut illis, ſi quid erraverint, facilius ignoſcatur; debet enim judex partim ætati, partim imperitiæ, nonnihil condonare.

Titulus 45.

De Litorum & Itinerum cuſtodia.

VT belli domique res bene gerantur, maxime *litorum & itinerum habenda eſt cura & cuſtodia:* de qua Honorius & Theodoſius Impp. ſaluberrimam legem promulgarunt, ut in litoribus maris & fluminum, & in itineribus cuſtodes ponantur, qui obſervent, ne illicitæ merces ad barbaras gentes deferantur, & naves, quæ a portu vel litore dimittuntur, nullam concuſſionem vel damna ſuſtineant, ſi modo naucleri declarent, in quam provinciam ituri ſunt.

Titulus 46.

De Deſertoribus & Occultatoribus eorum.

DEſertores ſunt, qui ſine *tractoriis*, id eſt literis vel epiſtolis, quibus evocantur milites, ſponte ſua a caſtris recedunt, tempore belli, ſive tyrones ſint, ſive veterani: & ſunt vel *nec manifeſti*, qui deliteſcunt; vel *manifeſti*, qui deprædationes & latrocinia exercent.

Qui tales ſcienter ſuſcipiunt, & diu fovent, ſi Procuratores prædiorum ſint, capitali ſupplicio puniuntur. Domini vero prædiorum, id ſcientes, prædio mulctantur. Qui eos produnt, immunitate potiuntur,

tur, si ante non habuerunt. Desertor vero, si seipsum prodat, impunitatem recipit.

Præses, si negligat Desertorem proditum punire, infamiam patitur & mulctam, & Officiales ejus primipilares capitaliter puniuntur.

Titulus 47.
De Veteranis.

VEterani sunt, qui legitimis impletis stipendiis dimissi sunt, & certis gaudent *privilegiis*. Nimirum, exemti sunt a muneribus civilibus personalibus, a collectis omnibus, a gabellis, quæ pro mercimoniis solvuntur, itemque a portoriis, quæ in portu, vel ponte, a transeuntibus pendebantur.

Titulus 48.
De Filiis Officialium Militarium, qui in bello moriuntur.

FIlii *Officialium* in parentum defunctorum militiam succedunt. Similiter viri militaris in bello defuncti filius unigenitus, vel major natu, in ejus locum succedit, & easdem annonas accipit; nisi pater altiorem *Biarcho*, id est, eo, qui victui curando præerat, gradum obtinuerit, puta ducenarius aut centenarius fuerit; quo casu, filius fit tantummodo Biarchus.

Titulus 49.
De Oblatione Votorum.

QVemadmodum a militibus lætæ acclamationes fiebant in exercitu, cum Imperator castra obiret, ita, *ineunte anno*, *pro salute Imperatoris*, *Vota* concipieban-

piebantur. Circa hoc auſpicium anni, ab Imperatore quoque dabantur viris ſtrenuis munera; *Strenæ* inde dicta. Viciſſim a Senatu Populoq; dona accipiebat Imperator.

Poſtea nomine totius Populi, a Præfecto Vrbi, Imperatori *aurea munuſcula obl ta* fuere, & quidem offerebatur libra auri in 72. ſolidis obryzatis; quod in neceſſitatem tractum videtur.

Titulus 50.

De Numulariis, Actuariis, & Chartulariis, & Adjutoribus ſive Scriniariis, & Exceptoribus Sedis excelſæ, cæterorumque Judicum, tam Militarium, quam Civilium.

S*Vnt diverſa Officialium nomina;* vel quia diverſas res tractant, vel, quia in diverſis officiis.

Numularii, pecunias publicas exigebant, & Suſceptoribus numerabant.

Actuarii, numerorum rationes tractabant, & ſpecies annonarias, quas a ſuſceptoribus accipiebant, militibus erogabant.

Adjutores & Chartularii, ſedulo revidebant rationes, eiſq; ſubſcribebant, atque inſpiciebant ea, quæ a ſcriniis emittebantur.

Exceptores, dictata breviter excipiebant.

Sedes excelſa, in hac rubrica intelligenda Sedes Præfecti Prætorio.

Titu-

Titulus 51.

De Curſu publico, & Angariis, & Parangariis.

IMperatores per loca certa diſpoſitos habebant equos, qui ſumtu publico alebantur, ut, quoties repentinum aliquid accidiſſet, mutatione equorum, citiſſime, quo vellet Imperator, poſſet mittere nuncium: id vulgus a poſitis equis *Poſtas* appellat.

Curſus publicus, erat poteſtas utendi equis, vel mulis publicis.

Angaria, eſt onus, quo, ad ſpecies portandas, vel transferendas, vel commeatum ad exercitum comportandum, provinciales præbebant equos, plauſtra, aut naves.

Parangaria, eſt onus, quo alioverſum aliquid vehendum a provincialibus.

Titulus 52.

De Tractoriis, & Stativis.

SVbſerviebat *curſus publicus* iis, quibus Principes, Præfecti Prætorio, & Magiſtri Officiorum faciebant poteſtatem.

Poteſtas hæc concedebatur per diplomata, ſive literas, quæ *Tractoriæ* aut *Evectiones* dicebantur, atq; diem certum continebant, intra quem veredis uti licebat; eoq; termino lapſo, irritæ erant.

Tractoriis adſcribebantur *Stativa*, id eſt diverſoria, & manſiones, in quibus perſecutores & ductores animalium onera ferentium, & nuncii Principis, alebantur ſumtu publico; ſed non alia ipſis neceſſaria præſtabantur.

Titu-

Titulus 53.

De Apparitoribus Præfectorum Prætorio, & privilegiis eorum.

Apparitores Præfecti Prætorio non poterant Susceptores fieri, nec horreorum Fiscalium curam subire, aut Curiosi esse: quia non potest quis diversis officiis rite vacare; & usurpans alienum officium, animo lucrandi & deprædandi id facere præsumitur.

Privilegia sunt, quod Apparitores Præfecti Prætorio ab omnibus indictionibus, id est, collectis, & oneribus personalibus, immunes sunt: & conveniuntur tantum coram Præfecto Prætorio, si præsens sit; in provinciis vero conveniuntur coram Præsidibus. Eorum sine herede mortuorum bona, non ad Fiscum, sed ad arcam Præfecti Prætorio, devolvuntur.

Titulus 54.

De Apparitoribus Præfecti Vrbis.

Apparitoribus Præfecti Vrbis, idem honor, deposito officio, tribuitur, qui Præfecti Prætorio Apparitoribus competit: ut scilicet purpuram Principis adorare possint singulis annis; quod tamen Præsidum Apparitoribus denegabatur.

Beneficii loco dabatur facultas adeundi Principem, & ejus purpuram adorandi, idque non omnibus, sed in dignitate constitutis, & emeritis. Hic autem ritus observabatur in adorando Principe, ut duo ejus vestem purpuream extollerent, quam adorans osculaba-

labatur. Ad ingressum cubiculi stabant *Scrutatores*, qui observarent ingredientes, & inspicerent, num sub veste ferrum lateret.

Titulus 55.
De Apparitoribus Magistrorum Militum, & privilegiis eorum.

H*Abebat & Magister militum suos Apparitores*, qui militaris conditionis erant: adeoque, ut Præfectiani, castrense peculium habebant, licet jure militari testari non possent.

Apparitorum istorum hoc *privilegium* est, quod ad susceptionis tutelæ, aliudque officium publicum vocari non poterant, si Apparitores se esse probarent. Item, non alium judicem agnoscebant, nisi Magistrum militum; nequaquam vero ordinarium loci Magistratum.

Titulus 56.
De Apparitoribus Proconsulis & Legati.

IN certis Provinciis a Senatu constituebantur *Proconsules*, qui nomine Senatus provincias istas proconsulares gubernarent; & iis adjungebantur *Legati*. Hi autem certos habebant *Apparitores & Officiales*: isti non poterant eligi ex numero Curialium, vel collegio Pistorum, Naviculariorum, aliisque Corporibus. Nam, qui certo Corpori addictus, Apparitor esse nequit, sed, si eligatur, statim suo Corpori est restituendus.

Titu-

Titulus 57.

De Apparitoribus Comitis Orientis.

COmes Orientis majorem habebat numerum Apparitorum, ſive Officialium ac miniſtrorum, quam Proconſul, adeo, ut pro lubitu eum numerum augeret. Sed, certum numerum hic definit Imperator, ut ſcilicet tantum ſint 600. Nam, tot Apparitores officii hujus neceſſitatibus abunde proſpicere queunt; cum ſuperflui Officiales in officiis retinendi non ſint, ne his oneretur potius, quam juvetur, Respublica.

Titulus 58.

De Cohortalibus, Principibus, Cornicularis, ac Primipilariis.

COhortales, ſunt Apparitores Præſidum, & Rectorum provinciarum. Horum quidam habent nomina ſpecialia, uti Principes; ſic dicti, quia primum inter cohortes locum obtinebant: *Cornicularii*, qui cornibus Secretarii præerant, hoc eſt, in conſilio armati ſtabant, itemq; ſententiis damnatorum exequendis præfuerunt.

Primipilares, primipili, id eſt annonæ militaris curam gerebant.

Titulus 59.

De Apparitoribus Præfecti Annonæ.

PRæfectus Annonæ erat ſub diſpoſitione Præfect Vrbi: ideo *Apparitores Præfecti Vrbi* annona-

riis ſe immiſcebant negotiis; quod hic prohibet Imperator, & vult, ut Præfectus Vrbi, & Præfectus annonæ, ſeparatas apparitiones, & ſeparata miniſteria habeant, & ut cura rei annonariæ non niſi per Præfecti annonæ Apparitores expediatur.

Titulus 60.

De diverſis Officiis, & Apparitoribus Judicum, & Probatoriis eorum.

S*Vbjiciuntur hic quædam generalia*, quæ non ad hoc aut illud Apparitorum genus, ſed ad omnes Apparitores in genere ſpectant. Ex iis ſunt: 1. Qualiscunque ſit Apparitor, qui chartis ac rationibus reddendis eſt obnoxius, ad Præpoſituram Caſtri & militum adſpirare non debet, &, ſi id fiat, a Magiſtro militum ad rationes reddendas retrahendus eſt. 2. Ille, qui a militia, vel munere aliquo, ob cauſam honeſtam vel inhoneſtam remotus eſt, eidem officio nomen ſuum dare non debet, ſine ſpeciali reſcripto Imperatoris. 3. Is, qui ob culpam remotus eſt, non tantum non ad officium illud, a quo remotus eſt, ſed nec ad aliam militiam adſpirare poteſt: cum male leges de eo præſumant, qui ſemel officio publico indignus judicatus eſt. 4. Præfectus Prætorio, aliusve in poteſtate ſuperiore conſtitutus, neminem Apparitorem in eam provinciam mittere debet, publici vel privati negotii expediendi cauſa, cujus ob nativitatem, ſive ratione originis, municeps eſt, vel ratione domicilii, accidentalis incola. Præſumtio enim eſt contra ablegatum, quod in ea pro-

provincia; ex qua oriundus eſt, vel in qua larem conſtituit, multa in gratiam ſit facturus. 5. Omnibus in militia conſtitutis poteſtas competit, ea finita, ad aliam ſplendidiorem ac ſuperiorem adſpirandi, modo laudabiliter compleverint officium, nec majus officium, cauſa lucri, vel delicti antea commiſſi occultandi, exigant. 6. Quædam Officia donabantur a Magiſtratibus; in quibusdam neceſſe erat Principem fieri autorem, & ab eo literas, quas vocant, probatorias obtinere. *Probatoriæ* autem non in exemplo, ſed in authentico offerendæ erant, ne doli vel fraudis eſſet ſuſpicio.

Titulus 61.

De Executoribus & Exactoribus.

E*Xecutores* & *Exactores* mittebantur per provincias, ut monerent Præſides, & inſtarent, quo univerſa debita exſolverentur.

Si Executores, contra quam eis mandatum eſt, quid exegiſſent, licebat provinciæ moderatori eosdem vinctos ad Præfectum Prætorio mittere puniendos.

Exactores, intra annum, ſibi commiſſam exactionem peragere, & ad judicem ſuum remeare, eiq; renunciare debent, quid ſua opera exactum, quidve in debitis habeatur.

Titulus 62.

De Lucris Advocatorum, & Concussionibus Officiorum, seu Apparitorum.

SOlebant Apparitores, & præcipue Principes Agentium in rebus, nec non Exactores vectigalium, qui vel a numero eorum, quibus præerant, vel a summa vectigalis, *Ducenarii* ac *Centenarii* dicebantur, ut & *Advocati Fisci*, sæpe vexare privatos, & per calumniam ipsis aliquid extorquere. Id hoc titulo prohibetur, & præcipitur, ne ejusmodi Officiales præter solemnes & canonicas pensitationes, id est ordinaria munera, aliquid exigant in Civitatibus, vel diversoriis, a singulis provincialibus; imo nec ab integris corporibus & collegiis.

Compulsor, seu *Executor*, licet a Principe in provinciam sit missus; si tamen aliquem deprædatus sit, id est per calumniam quid extorserit, a judice ordinario loci illius, etiam non consulto Principe, puniri potest.

Titulus 63.

De Primipilo.

PRimipilus quibusdam est primi pili, sive Triariorum Centurio, quod nimirum Triariorum manipulo in prima cohorte præfuerit, atq; reliquos omnes Centuriones dignitate superarit, consilii factus particeps: sic dictus a *pilo*, teli genere Romanis usitato, quod nonnulli Triariis proprium fuisse ajunt. *Triarii* vero erant natu maximi & fortissimi mili-

milites, ſic dicti, quod in acie tertio ordine, cæteris ſubſidio, deponebantur.

Primipilum Cujacius & Donellus definiunt illum, qui militari annonæ præpoſitus eſt. Ejus cura & adminiſtratio quia omnibus rebus potior eſſe debet, ideo multa habet ſingularia. Quippe, etſi *dos* omnibus hypothecariis præfertur, id tamen in debitis primipilaribus, ſcilicet, ſi quis primipili officium geſſit, & ex cauſa primipilari, ac ob annonam, fiſco quid debet, exceptionem habet; nam hoc debitum doti præfertur. Nempe, ſi univerſa debitoris, ut & nominatorum ejus, qui eum ad hoc officium nominarunt, bona prius fuerint excuſſa.

Sic, licet *donatio, a marito in uxorem facta*, morte confirmetur; ſi tamen maritus primipilare debitum fiſco debeat, eatenus etiam donatio illa, quamvis morte confirmata, retractatur, ut fiſco ſatisfieri poſſit.

Si pater ex primipilari adminiſtratione Fiſco quid debeat, liberi ejus ad id debitum ſolvendum obligantur, licet heredes non extiterint.

Titulus 64.

Publicæ Lætitiæ vel Conſulum Nunciatores, vel Inſinuatores Conſtitutionum, & aliarum ſacrarum vel judicialium literarum, ex deſcriptione, vel ab invitis, ne quid accipiant immodicum.

NVncii Principis, ſi proſpera Provinciis ac Populis nuncient, v. g. gentem aliquam eſſe devictam,


ctam, vel insigni clade mulctatos esse hostes Imperii, vel pacem esse compositam; vel, si novo anno novorum Consulum nomina nuncientur, vel, si Princeps ipse nuncietur adventare, &c. ibi nuncii, *modico præmio contenti* esse, nec magnum etiam ab iis capere debent, qui illud sponte offerunt; pœna infamiæ, & publicationis bonorum, recipientibus, vel cogentibus, Judicibus vero 30. librarum auri, si præceptum violantes dissimulent, irroganda.

DEO GLORIA!



SY-

SYNOPSIS
JVRIS FEVDALIS.





SYNOPSIS JVRIS FEVDALIS.

CAPVT I.

De Feudorum Origine, Juris Feudalis Compilatoribus, & Feudi definitione.

FEudorum *origo* est antiquissima; quando autem, & a quibus fuerint introducta, non constat. Quidam, *a Romanorum*, sive clientelis, sive militiis, sive agris, qui militibus assignari solebant, originem repetunt. Alii *Alexandrum Severum* eorundem Autorem constituunt, quem Lampridius testatur limitaneis Ducibus ac militibus, Imperii limites tuentibus, agros hostiles occupatos hac lege donasse, ut ad militantem heredem transirent. Nonnulli volunt, *a Gallorum Solduriis* feuda promanasse. Receptior sententia *Longobardis*, qui Sec. VI. Italiam invaserunt, feuda accepta refert. Sæpe enim in textibus feudalibus, uti *l. 1. t. 39.* & alibi, mentio legum Longobardicarum injicitur. Deinde, nomen *Feudum*, & multa ejus juris vocabula, sunt Longobardica. Deniq; in legibus Longobardicis etiamnum extat *titulus de beneficiis & terris tributariis*, quem ad feuda attinere verisimile est. Et vero, non inelegantia sunt, quæ nuper *Franciscus Mezeray* in Historia Gallicana de Feudorum origine conjecturavit, quæq; huc evadunt: Cum A. C. 754. *Alboinus* Longobardorum Rex a *Rosemunda* Conjuge veneno esset peremtus, successit ei *Clephus*; quo ipso quoq;

ab

ab aliquo ſuorum interfecto, nolebant porro Longobardi Regem eligere, ſed XXX. *Duces* conſtituerunt, quorum cuique Civitas fuit conceſſa. Cum vero *Mauritius* Imp. Longobardis excidium minitaretur, ut melius adverſus eum ſe tueri poſſent, denuo ad *Regem* eligendum animum converterunt, præfeceruntq; ſibi *Autarin* Clephi filium. Is *triginta Duces* uti frui permiſit ſuis quemq; Civitatibus, ſed ſub *quibusdam legibus*, quarum præcipua erat, ut ſe, expeditiones bellicas ſuſcipientem, ſectarentur. Hæc ergo occaſio fuit Feudorum conſtituendorum.

De *Compilatore* Juris Feudalis non convenit inter Eruditos. Communiter hosce libros a *Gerbardo Nigro*, qui & *Capegiſtus* dicitur, & *Oberto de Orto*, quem alii *Ortenſium* vocant, conſcriptos eſſe perhibent, quorum uterque imperante Friderico I. in *Conſulari* dignitate apud Mediolanenſes vixit. Quidam ad *Fridericum II.* Feudalis Juris originem referunt, cujus juſſu Conſuetudines Feudales *Bononiam & Capuam*, vel, ſecundum alios, *Ticinum* miſſæ fuerint, ut in unum corpus colligerentur, idq; ab *Hugolino* JC. factum, & ab Imperatore probatum contendunt. At Cuſpinianus de *Friderico III.* ſcribit, ipſum *Antonio Pratenſi* JC. Bononienſi præcepiſſe, ut jus feudale, confuſum antehac, in ordinem redigeret, ſibiq; confirmandum offerret. Tutiſſime, cum Hotomanno, Ludwello, aliisq; dicitur, eos libros *ab incerto aliquo, & privato homine*, ex variis libris Studioſorum, qui in foro Mediolanenſium verſabantur, variisq; Conſvetudinibus collectos fuiſſe.

Opus Feudale a variis *varie diſtinguitur*. Communiter recepta diviſio eſt in libros duos; ita ut *prior* liber contineat Titulos 28. a titulo: De his, qui

qui Feudum dare possunt, & qui non, & qualiter acquiratur & retineatur; usq; ad titulum: De usu Mediolanensium secundum quosdam. *Posterior* vero liber contineat Titulos 58. a titulo: De Feudi cognitione; usq; ad titulum: De Notis Feudorum. In communibus Editionibus est deinde quasi quidam hiatus, & dicitur *deesse liber Tertius.* Subjiciuntur postea quædam Fragmenta, & extraordinaria Capitula, sive Apocrypha *Libri Quarti*, in titulos 37. redacta, ita tamen, ut primum horum Capitulorum, quod est de Alienatione Feudi, *septuagesimum tertium* numeretur, isq; numerus sic ad titulum usq; *centesimum nonum*, qui inscribitur, Clericatu Feudum amitti, porro continuetur. Hæc vero Capitula *Cujacius* ex *Adrizone* & *Alvaroto* restituit: ideoq; pari cum cæteris autoritate minime gaudent, licet ad explicandas & decidendas Quæstiones, jure Feudali non decisas, adhiberi queant. Adjicitur amplius in Communibus Editionibus *Liber Quintus;* sed hunc *Jacobus Cujacius* ex variis Imperatorum Feudalibus Constitutionibus confecit.

Habent Constitutiones, sive, ceu alias appellantur, Consuetudines Feudales, *autoritatem*, & recte ad controversiarum decisiones allegantur, non quidem ad Longobardos, aut Obertum de Orto, & reliquos Prudentes habito respectu, sed, quia communi omnium Imperii Statuum consensu, sciente & non contradicente Imperatore, a tempore cujus memoria non extat, in forum & praxin fuere admissæ.

Cum quædam exoritur Controversia Feudalis, principio leges investituræ, & conventiones ac pacta diligenter inspicienda sunt; quæ hic quoq; dant animam contractui. His deficientibus, recurrendum ad

ad Consuetudinem, quæ in loco, ubi viget, juri communi derogat. Si in Consuetudine nullum sit præsidium, oportet confugere ad Jus Feudale, & ex illo controversias tam in foro Seculari, quam Ecclesiastico, dirimere. Quoties Feudale quoque Jus nos deserit, Juri Civili locus relinquitur.

Feudum, *a fide*, vel potius Germanorum Fede/ sic dictum, est usufructus rei immobilis, aut æquipollentis, a Domino, sub conditione fidei & obsequii præstandi, concessus. Sic quoque Germanica vox Lehen/ dicitur a Leihen/ weil die Lehengůter/ mit gewisser Maß geborgte und geliehene Gůter sind/ dessen Eigenthum der Lehenherr ihm vorbehålt/ und dem Lehentråger die Niessung und nutzlichen Gebrauch/ gegen geleistete Pflicht/ Lehen-Tax, oder Lehen-Geld/ und hergebrachte Schuldigkeit/ ůbergibt. *Differt Feudum ab Emphyteusi*, quod Feudum scripturam exigit, Emphyteusis vero etiam sine scriptura perficitur. *Deinde*, ob feudum præstatur fidelitas, in Emphyteusi nihil præter pensionem & mercedem annuam. *Deniq;* Emphyteusis amittitur ob non solutam pensionem; quod in Feudo secus se habet.

Feudo opponitur Allodium, ein Frey-aigen-Gut/ quod est proprium cujusq; patrimonium, sive bonum, quod quis a nemine tenet, aut recognoscit.

CAP. II.

De Feudi Divisionibus.

FEudum *generatim* dividitur in Proprium, & Improprium.

Feu-

Feudum Proprium est, quod propriam & communem feudi servat indolem, ita, ut sit simplex, purum, ad heredes transitorium, subinfeudationis capax, & ut eo vasallus sine sua culpa privari non possit.

Feudum Proprium, ratione *Causæ Efficientis*, est vel Nobile, vel Ignobile: item, Vetus, & Novum. Ratione *Materiæ*, est vel Ecclesiasticum, vel Seculare: item, vel in Curte, vel Extra Curtem. Ratione *Formæ*, feudum est vel Ligium, vel Non-Ligium.

Feudum Nobile, ein Ritter-Lehen / est, quod ab eo conceditur, qui habet & potestatem & voluntatem nobilitandi vasallum. *Quæ voluntas declaratur*, vel expresse, vel tacite; uti cum quis de Ducatu vel Principatu investitur.

Feudum Nobile, est vel *Regale*, vel *Non Regale*.

Feudum Regale est, quod a Summo Principe cum dignitate Regali confertur; uti sunt: Regnum, Ducatus, Comitatus, Baronatus: Germanis dicuntur Fahn-Lehen / quia de his Seculares Principes cum vexillo investiri solent; nam, in Ecclesiasticorum Investitura, Sceptrum quondam adhibebatur.

Feudum Ignobile, ein Beutel-Lehen / est, quod ab eo, qui nobilitare potest, nec tamen vult, vel ab eo, qui nobilitare non potest, privato alicui conceditur. Dicitur alias Plebejum, item Burgense.

Feudum Vetus est, quod quis non habet a seipso, sed ab eo, qui primus feudum acquisivit & constituit; estq; vel *Paternum*, quod ab aliquo Ascendentium, usq; ad quartum gradum inclusive: vel *Antiquum*, quod ab aliquo Majorum ultra quartum gradum est acquisitum: Germanis dicitur ein Alt-Väterlich / Alt-Anherzlich Lehen / ein Stamm-Gut.

Feu-

Feudum Novum eſt, quod de novo ab aliquo eſt acquiſitum, & in perſona acquirentis conſiſtit. Atq; notandæ ſunt differentiæ, quæ inter Feudum Novum & Vetus intercedunt. Nam 1. in feudo Antiquo ſuccedunt omnes, etiam collaterales; in Novo vero deſcendentes tantum. 2. Feudum Antiquum immediate ſucceſſione acquiritur; Novum vero inveſtitura. 3. Ad probandam Inveſtituram, in Feudo Novo non admittuntur niſi Pares Curiæ; in Feudo vero Antiquo, etiam alii teſtes extranei. 4. Feudum Antiquum ſine conſenſu Agnatorum, quamvis Dominus conſentiat, alienari nequit; Novum, ſolo Domino conſentiente, in alium licet transferre.

Feudum Eccleſiaſticum eſt, quod in bonis Eccleſiaſticis, a perſona Eccleſiaſtica, uti Epiſcopo vel Abbate, conſtituitur. Germanice quondam dicebatur ein Krummſtabs-Lehen / quia infeudatio fiebat Pedo.

Feudum Seculare eſt, quod in re profana conſiſtit.

Feudum in Curte eſt, quod Vaſallus in Domini territorio poſſidet.

Feudum extra Curtem eſt, quod in Prædiis, quæ Dominus in alieno territorio habet, conſiſtit.

Feudum Ligium eſt, in quo Vaſallus contra omnes, nullo excepto, fidelitatem Seniori ſive Domino promittit. Dicitur Ligium *a ligando*, quia Vaſallus arctiſſimo fidelitatis vinculo adſtringitur adverſus omnes homines. Proinde Feudum Ligium nemo concedere poteſt, niſi qui ſuperiorem non recognoſcit.

Feudum Non-Ligium eſt, in quo Vaſallus fidelitatem Domino promittit, Imperatore & antiquiore Domi-

Domino excepto. Atq; hoc Feudum concedi potest ab eo, qui superiorem recognoscit: quin & potest quis esse duorum vel plurium Dominorum Vasallus non-Ligius; Ligius vero Vasallus plurium Dominorum fieri nequit.

Huc revocanda distinctio, inter Feudum Hereditarium, Feudum ex pacto & providentia, & Feudum Mixtum.

Feudum Hereditarium est, in quo, facta heredum mentione, secundum juris civilis dispositionem, jure hereditario succeditur; atque hoc ad quosvis heredes, etiam extraneos, pertinet.

Feudum ex pacto & providentia est, quod, sine heredum mentione, vasallo ita conceditur, ut, feudali & sanguinis jure, ad solos descendentes perveniat, non vero heredes extraneos.

Feudum Mixtum est, in quo succedens quidem heres est; non tamen succedit jure hereditario, sed sanguinis.

Feudum Improprium, quod Hotomannus Feudastrum vocat, est, quod aliqua sui parte a communi feudorum natura recedit, sive ex ipsa juris feudalis dispositione, sive ex pacto contrahentium.

Feudi Improprii *variæ species sunt:* tales habentur, Feuda Gvardiæ, Gastaldiæ, Soldatæ, Habitationis, Cameræ, Cavenæ, Advocatiæ, Franca, Fœminea, Pigneratitia, Pactionata, Emtitia, & non-Jurata.

Feudum Gvardiæ est, quod ei, cui custodia alicujus castri vel oppidi commissa est, pro labore & custodia datur. Nomen habet a Germanico Warten; unde Warte pro custodia.

Feudum Gastaldiæ, vel, ut alii efferunt, Castaldiæ sive Gvastaldiæ, est, quod ei, qui res vel negotia ali-

cujus administrat, pro cura & solicitudine conceditur. Gastaldus enim est Oeconomus sive Curator rei familiaris.

Feudum Soldatæ, est præstatio quædam annua, loco alimentorum alicui in feudum concessa, plerunq; in Solidis, sive pecunia, interdum vero in vino aut frumento consistens.

Feudum Habitationis est, cum alicui domus vel arx quæpiam, jure feudi, habitanda conceditur.

Feudum de Camera est, quando quis ex Ærario Domini, vel ex telonio, aliisq; reditibus, certum stipendium habet; quæ pensio non solvitur, si Dominus inopia laboret.

Feudum Cavenæ est, quando Dominus ex cella penuaria Vasallo annonam, vinum, oleum, frumentum concedit, ut habeat unde se sustentet.

Feudum Advocatiæ est, quod, pro defensione Ecclesiæ aut Monasteriorum, confertur Nobilibus aut Principibus, ut sint eorum Patroni & Advocati, Schutz- und Schirmherrn.

Feudum Francum est, quod ita datur, ut Vasallus ab omnibus servitiis immunis sit, idq; literis investituræ expresse inserendum. Fidelitatem tamen jurare debet ejusmodi Vasallus, nisi & hoc juramentum remittatur.

Feudum Fœmineum, ein Kunckel-Lehen/ est, quod primum fœminæ conceditur, vel ea lege datur, ut, præter naturam & jura feudorum, ad fœminas quoq; transeat.

Feudum Pigneratitium est, quod Dominus pro certa pecuniæ summa ita alicui concedit, ut sibi integrum semper sit, pecunia restituta, feudum recipere.

Feu-

Feudum Pactionatum eſt, quod Vaſallus ea conditione habet, ut certa & determinata ſervitia exhibeat Seniori ſuo.

Feudum Emtitium eſt, quod pretio interveniente acquiritur. Atque hoc improprium eſt ratione initii; in reliquis autem naturam feudi proprii habet.

CAP. III.

De Perſonis, quæ Feudum dare & accipere poſſunt.

DAre poſſunt Feuda omnes, qui rerum ſuarum legitimam adminiſtrationem habent, ſive Clerici ſint, ſive Laici.

Ii, qui Feuda concedunt, paſſim in jure Feudali vocantur *Domini*, nonnunquam etiam *Seniores*. Atq; Domini dicuntur, non propterea, quod dominium & proprietatem in feuda retinent, & ſolum uſumfructum alteri cedunt, ſed honoris cauſa, propter fidem & ſervitia, quæ ipſis debentur. *Seniores* vero dicuntur, non ratione ætatis, quoniam & minores Domini eſſe poſſunt, ſed ſimiliter honoris cauſa; quemadmodum etiam Senatorem & Presbyterum dicimus, reſpectu habito, non ad perſonas, ſed ad jura, quibus utuntur.

Non poſſunt Feuda dare, qui Domini non ſunt, uti Tutores, Curatores, & Procuratores: quibus vetus quidem feudum renovare conceditur, quia hoc modo nihil alienant, ſed tantum feudum ſemel conceſſum confirmant; novum vero iis conſtituere non licet, quia hæc conſtitutio veræ alienationis ſpecies eſt, quæ tutoribus & curatoribus in rebus immobilibus, ſine decreto Judicis, interdicta eſt. Amplius, non

possunt Feuda dare, qui Domini quidem sunt, sed tamen liberam bonorum administrationem non habent, sive ob ætatis rationem, sive animi aut corporis morbum, aut ob eam, cui subsunt, potestatem.

E *Clericis* Feuda dare possunt, Papa, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi, & reliqui, quibus libera rerum Ecclesiasticarum administratio concessa est. Atque *Papam* non tantum Ecclesiæ Romanæ, *sed etiam cujuslibet alterius Ecclesiæ bona in feudum concedere posse*, quidam ex Canonistis perperam contendunt.

Non possunt Clerici aliter bona Ecclesiæ in feudum dare, quam *si antiquus Ecclesiæ illius mos fuerit, ut Prælati feuda darent*, & præterea res quoque in feudum dari solitæ sint, hoc est, si feudum antiquum fuerit. Nam res alias, quæ nunquam in feudum concessæ sunt, Prælatus in feudum concedere nequit; quia res Deo dicatas alienare prohibetur. Illud anxie disquiri solet, *num Prælatus Feuda antiqua, ad Ecclesiam reversa, suis consanguineis, sive nepotibus possit concedere?* atq, affirmativa verior videtur; quia exinde jus Ecclesiæ non redditur deterius.

E *Laicis* Feuda dare possunt Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, imo & Plebeji, & Fœminæ: atque valet de posterioribus ratio, quod quisq; est rerum suarum moderator & arbiter, quodq; qui liberam habent rerum suarum administrationem, feuda concedere possunt. Unde expresse dicitur in jure Feudali, non tantum Valvasores Majores, sive Capitaneos Regni, a valvis, sive portis domini, ad quas excubabant, sic dictos, sed & Valvasores minores, sive Valvasinos, jus feuda constituendi habere.

De

De Jure Saxonico, cum nequeat uxor res ſuas alienare, ſine Mariti, vel Curatoris conſenſu, ideo nec, absq; conſenſu ejusmodi, feudum conſtituere valet, niſi fuerit illuſtris dignitatis, uti Regina, Duciſſa, Abbatiſſa.

Qui Feuda accipiunt, Vaſalli, Fideles, Clientes, Milites vocantur. Atq; poſſunt accipere feuda omnes, cujuscunq; ſexus, ætatis, conditionis, aut qualitatis fuerint, niſi lege expreſſa prohibeantur. Proinde *Fœminæ* quoque feudorum capaces ſunt. Nec obſtat, quod ineptæ ſint ad militiam; poſſunt enim, per ſubſtitutos, ſervitia feudalia præſtare: tum vero imputare ſibi debet Dominus, quod Feudum in perſonam minus idoneam contulit. *Minor*, qui Curatorem habet, etiam ſine illius conſenſu feudum poteſt accipere, ſed præſtatio juramenti fidelitatis in maturiorem ætatem differtur. *Furioſi*, *Prodigi*, *Muti*, *Surdi*, *Cæci*, ad feuda admittuntur: ita tamen ut furioſi & prodigi per Curatorem; reliqui etiam per ſe feudum accipiant. *Nec Impedimento eſt*, quod hæ perſonæ omnes ad pleraq; ſervitia ineptæ videntur: veriſimile enim eſt, Dominum cum iis diſpenſaſſe, per ſubſtitutum ſerviendi poteſtatem tribuendo; atq; iſte etiam jusjurandum alieno nomine dare poteſt, niſi Dominus id malit remittere.

Probibentur Feuda accipere, Hæretici, Apoſtatæ, Excommunicati, Deportati, Banniti, Vſurarii manifeſti, de crimine aliquo publico damnati, ex nefariis & inceſtis nuptiis progeniti; & denique Infames.

Cap. IV.

De rebus, quæ in Feudum dari possunt, itemq; de Regalibus.

IN *Feudum* concedi possunt Res immobiles, & quæ immobilibus æquiparantut; nisi certa aliqua causa id facere prohibeat.

Debent res, quæ in feudum conceduntur, *Immobiles esse, aut Immobilium naturam habere:* quippe feuda natura sua perpetua sunt, & ad descendentes ac agnatos transeunt. At, res mobiles perpetuæ non sunt, sed earum substantia paulatim fit deterior. Deinde, feudorum hæc conditio est, *ut proprietas penes dantem remaneat*, ususfructus ad accipientem transeat. Hoc autem in rebus Mobilibus, quæ usu consumuntur, fieri non potest; cum harum rerum ipsa etiam proprietas in accipientem transeat.

Nefas est, in feudum concedere, fundum dotalem, prædia pupillorum, vel minorum, res litigiosas, item sacras, sanctas, religiosas, & spirituales; quales etiam sunt Decimæ, post Concilium Lateranense.

Res immobiles, vel soli sunt, vel solo cohærent. Prioris generis habentur, fundi, agri, horti, fodinæ metallicæ. *Posterioris*, fructus pendentes, qui pars fundi esse censentur. De rebus autem omnibus, tam soli, quam solo cohærentibus, notanda est *Regula:* quod iis in feudum concessis, omnia etiam illis cohærentia concessa intelligantur; etiamsi nihil nominatim de his actum sit. Hinc, Fundo in feudum dato, non tantum fructus pendentes simul dati intelliguntur, sed etiam omnia, quæ ad instructionem hujus fundi pertinent, uti sunt equi, boves, vaccæ, oves,

& simi-

& ſimilia animalia, quæ ad laborandum, & colendum agrum neceſſaria ſunt: quin & jura omnia, quæ fundo cohærent, ſimul conceduntur, uti jurisdictio, vectigalia, molendina, ſervitutes reales, jus venandi, & alia ejus generis. Si Vrbs vel Caſtrum in feudum concedatur, etiam tormenta bellica, & ſimilia, quæ perpetua deſtinatione ad defendendum caſtrum vel urbem ibi poſita ſunt, ſimul dari, tenendum eſt.

Immobilibus Rebus æquiparantur res incorporales & jura, veluti cum de Camera aut Cavena feudum datur, aut cum annui reditus conceduntur. Hoc caſu, ſubſtantiæ & rei loco eſt jus illud dominii, cujus vigore dominus feudum hoc concedit, uſusfructus vero conſiſtit in perceptione ejus, quod ex jure dominii reſultat. *Actiones* quoque, quæ pro rebus immobilibus competunt, item jurisdictio & imperium, immobilibus annumerantur.

Pertinent huc imprimis *Regalia*, quæ ſunt jura Imperatoris, vel alterius, ſuperiorem non recognoſcentis, quæ in ſignum ſupremæ poteſtatis, & Reipublicæ utilitatem, ei competunt. Dicuntur *Regalia*, quia Imperatori, quem jus Feudale Regem appellat, præcipue competunt.

Regalia, dividuntur in *Majora* & *Minora*. *Majora* Regalia ſunt, quæ magis ad Principis ſupremum decus & autoritatem, quam ad commodum pecuniarium, pertinent. *Talia ſunt:* Jus Reges condendi; Magiſtratus majores creandi; Regales dignitates conferendi; veniam ætatis tribuendi; famæ, honoribus, & natalibus reſtituendi; jus Armandiæ, ſive officinæ publicæ, in quibus arma fabricari ſolent, ad uſum Reipublicæ; jus Belli, Pacis, Fœderum, Repreſſaliarum; jus cudendæ monetæ, itemq; alia bene multa.

Minora Regalia sunt, quæ ad Fiscum conservandum & augendum pertinent. Huc referuntur Vectigalia, sive telonia; jus occupandi bona vacantia, contrahentium incestas nuptias, condemnatorum & proscriptorum; Angariæ, parangariæ, & plaustrorum ac navium præstationes; Piscationum, Salinarum & Fodinarum metallicarum reditus; dimidium Thesauri, in loco Cæsaris vel religioso, non data opera, inventi, quæq; huc pertinent jura alia.

Acquiruntur Regalia duobus modis: Concessione nimirum, & Præscriptione. *Concessione*, uti si Imperator Regalia, quæ habet, alteri concedat: *Præscriptione*, si quis utatur per tempus immemoriale, quod privilegii vim habet.

Amittuntur Regalia, maxime Imperatoris, revocatione, sententia banni, proscriptione, modisq; aliis.

CAP. V.

De Feudi constitutione, & modis feudum acquirendi.

FEudum constituitur, vel mortis causa, ut in testamento, vel inter vivos, emtione, permutatione, stipulatione, & nuda conventione.

Mortis causa, puta, si quis moriturus certam rem alicui in feudum legaverit. *Emtione*, cum certo pretio feudum emitur. *Permutatione*, quando vel feudum feudo permutatur, vel proprietas pro feudo traditur; quam permutationem Feudistæ *Cambium* appellant. *Stipulatione*, si, solemni interrogatione præcedente, & responsione congrua continuo subsequente, feudum alicui promissum fuerit. *Nuda conventione*, quando sine stipulatione inter duos

con-

convenit, ut unus rem immobilem alteri utendam fruendam concedat, alter vicissim, pro hoc beneficio, ad fidelitatem & officia obstrictus sit.

Modi Feudum acquirendi tres sunt, Investitura, Præscriptio, & Successio.

Investitura, die Belehnung / est rei feudalis cessio & confirmatio, a Domino, sub præstatione fidei, coram testibus, vasallo facta. Nihil autem interest, utrum ipse Dominus, an alius ejus nomine id faciat: cum per procuratorem ab utraque parte hoc negotium expediri possit: & hodie investitura plerunque fit per Cancellarium & Consiliarios, durch Kantzler und Räthe.

In Testibus observanda est Qualitas & Quantitas. *Qualitas* in eo consistit, ut sint liberi homines, non servi; masculi, non fœminæ: & Pares Curiæ, non extranei. *Rationem* de posterioribus reddit Feudista §. *item sciendum. 2. F. 58.* ne quid excogitetur falsitatis in perniciem Domini, aliis testibus inductis, corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia, quæ præsumenda in Paribus non sunt. Sunt vero *Pares Curiæ*, Vasalli ejusdem Domini, in eodem territorio, sic dicti, quod pares sint inter se respectu ejusdem Curiæ, sive ejusdem domus & domini: Germanice vocantur, die übrigen Lehenträger: atq; hi, propter fidem domino jurejurando promissam, melius, quam alii, Domino consulere censentur. *Si Dominus Pares non habeat*, vel hi longius absint, aut ad testimonium ferendum inepti deprehendantur, extum, imprimis in feudo veteri, admittuntur extranei.

Quod *ad Numerum Testium* attinet, is, cum jure definitus non sit, duo sufficiunt; ceu obtinet in aliis

negotiis omnibus, quæ certum numerum teſtium non exigunt: eſtq; pluralis locutio duorum numero contenta, *l. 12. ff. de teſtib.*

Locum teſtium, quorum præſentiam Inveſtitura exigit, interdum ſupplet *inſtrumentum ſuper Inveſtitura confectum*, ſive *Breve Teſtatum*, ut Feudiſtæ appellant, der Lehenbrief/ quod ſubſcriptione teſtium confirmandum.

Noſtris moribus, nec præſentia Parium Curiæ, nec aliorum teſtium requiritur, ſed ſufficit Breve Teſtatum, ſolius Domini *Sigillo* munitum.

Inveſtitura eſt, vel *Vera*, ſive Propria; vel *Abuſiva*, ſive Verbalis.

Inveſtitura Vera, ſive *Propria* eſt, qua rei feudalis poſſeſſio, revera & actualiter in Vaſallum transfertur: ſive, qua Vaſallus, vel alius ejus nomine, præſente Curia, in poſſeſſionem feudi mittitur, wann er in das Lehen-Gut geführet und eingewieſen wird.

Inveſtitura Abuſiva, ſive *Verbalis* eſt, quæ fit verbis, una cum actu corporeo, traditione videlicet baculi, ſceptri, vexilli, gladii, haſtæ, vel annuli. Atq; Vaſallus ſic inveſtitus, propria deinde autoritate fundum ingredi, & poſſeſſionem ejus apprehendere poteſt.

Amplius, Inveſtitura eſt vel *Novi feudi, vel Veteris.* Inveſtitura de *Veteri feudo* proprie non eſt modus acquirendi, ſed feudi jam antea acquiſiti confirmatio, & inveſtituræ renovatio.

Eſt quoque Inveſtitura, vel *Simultanea*, qua plures ſimul de eodem feudo inveſtiuntur; vel non ſimultanea, ſive *Singularis.*

Simultanea Inveſtitura, vel ſimpliciter fit, vel cum pacto mutuæ ſucceſſionis. *Priori caſu* alter alteri

non

non ſuccedit, ſed feudum ad dominum revertitur. *Poſteriori*, vaſallo ſine filiis defuncto, ſuperſtes ſimul inveſtitus in partem defuncti ſuccedit.

Eſt moribus noſtris aliud genus Simultaneæ Inveſtituræ, quod *Conjunctæ Manus*, die geſamte Hand/ die ſåmtliche Belehnung/ dicitur, receptum. Per hanc duo ſimul quidem de eodem feudo inveſtiuntur, ſed ita, ut unus tantum id habeat & poſſideat; ad alterum vero non aliter, quam, priore ſine heredibus defuncto, devolvatur.

Inveſtitura fit, vel pure, vel in diem, vel ſub conditione.

Pure fit Inveſtitura, quando Dominus pura & ſimplici oratione utitur; atque hoc caſu feudum ſtatim conſtituitur.

Secus eſt, *ſi conditio vel dies adjiciantur*, quando Dominus velit feudum eſſe traditum; tum enim tam diu actus ſuſpenditur, donec conditio exiſtat, aut dies veniat.

Inveſtituræ feudorum *Pacta adjici ſolent*; ea vero, ſi feudi ſubſtantiam perimant, non valent: quale eſt pactum de non præſtanda fidelitate, aut, ne feudum ob feloniam vel ingratitudinem amittatur.

Ad *Formam* Inveſtituræ pertinent *Solemnitates*: inter quas eſt, ut Vaſallus, juſto tempore, a Domino immediate proximo, reverenter inveſtituram petat. Non tamen opus eſt, ut in genua procumbat, niſi infeudantis dignitas hoc ipſum videatur efflagitare.

Novi Feudi Inveſtitura intra quod tempus petenda ſit, jure feudali non eſt definitum: ideoq; expectare poteſt Vaſallus, donec ad juramentum præſtandum citetur; & tunc, ſi poſt tertiam citationem non ſe ſiſtat, feudo privatur.

Feu-

Feudi Veteris Investituram Vasallus intra annum & diem petere debet. Atque Dies fortasse adjectus est, ad evitandum illud dubium, an dies termini computetur in termino.

Juramentum, quod Vasallus præstat, dicitur Juramentum Fidelitatis, die Lehen-Pflicht: & differt a Subjectionis Juramento, der Erb-Pflicht / quod posterius magis ratione personæ, prius, ratione tantum rei in feudum datæ, præstatur; unde Vasallus, respectu personæ suæ, non est subjectus Domino.

Alter modus acquirendi Feudum, est *Præscriptio*, quando quis rem aliquam, tanquam feudalem, per 30. annos possedit, & servitia de ea præstitit.

Requiruntur, ad Præscriptionem Feudi, tria potissimum: 1. Vt quis possederit feudum tanquam feudum; nam, si alio animo, puta pignoris, feudum quis possederit, non poterit jus feudi in eo præscribere, sed integrum erit domino, quandocunq; voluerit, pignus luere & recuperare; cum nemo possit sibi ipsi causam possessionis suæ mutare, *l. 3. ff. de acquir. possess. Requiritur* 2. ut per 30. annos quis in possessione fuerit. Etsi enim in jure Civili, in præscribendo usufructu, & aliis juribus, 10. vel 20. anni sufficiunt, tamen hic amplius spatium requiritur. Cujus rei hanc vulgo allegant causam, quod Longobardi nullam aliam præter 30. annorum Præscriptionem agnoverint. *Requiritur* 3. servitiorum feudalium præstatio, quæ semel præstita & exhibita fuisse sufficit.

Quemadmodum autem quis per Præscriptionem 30. annorum in prædio alterius feudum acquirit; ita vicissim, *si quis per 30. annos*, nomine alicujus fundi, qui revera liber erat, servitia feudalia a domino fundi

acce-

acceperit, is dominium in eo prædio sibi acquirit, & ipso prædii domino pro vasallo deinde utitur. Similiter *Dominus adversus Vasallum præscribere potest*, si possessionem rei feudalis adeptus sit, eamq; per continuos 30. annos, sine contradictione Vasalli & Agnatorum, obtinuerit. Pari modo & *Vasallus, adversus Dominum suum directum, dominium præscribere potest*, si per 30. annos Dominus servitia, cum iis valde egeret, non exegerit, & Vasallus rem feudalem bona fide, non ut feudalem, sed tanquam suam & allodialem possederit.

Tertius modus acquirendi Feudum, est *Successio*, qua, occasione mortis, per consuetudines feudales, alicui feudum acquiritur.

Vetusta Feudorum origo, *successionem vel nullam, vel tenuem habuit*, quæ deinde, cum introduci cœpisset, varias passa est mutationes. Scilicet, antiquissimo tempore, Domini feuda ad libitum, prout fit in precario, revocare poterant. Postea eo ventum est, ut *per annum* firmitatem haberent. Deinde cœperunt dari ad *vitam* vasalli fidelis. Tandem ad *omnes filios masculos* possessio fuit prorogata; inde paulatim concessum, ut ad *fratres fratrumq;* filios, qui patrueles, & in quarto gradu sunt, feuda devolverentur. Deniq; *septimus gradus* successionis admissus est: hodie vero, usq; in infinitum succeditur.

Jure Communi duplex est Successio, *Testamentaria*, & *Legitima*. *Testamentariæ* successioni in feudis regulariter locus nullus est, adeo, ut ne quidem pro anima quicquam relinquere Vasallus possit, §. *donare. 2. F. 9.* Hinc, si Vasallus alicui de facto Feudum per Legatum vel Fideicommissum reliquerit, dispositio hæc ipso jure nulla est: ideoq; nec æstimatio ejus

ejus debetur, secundum testatiorem Jureconsultorum sententiam. Porro, *neq; Pater uni ex filiis* totum feudum prælegare, aut uni eorum majorem partem feudi dare potest.

Cæterum, si feudum fuerit *absolute Hereditarium*, quod pro se & heredibus quibuscunq; alicui concessum, haud secus ac de bonis allodialibus Vasallo de illo testari conceditur: atque hoc casu coguntur filii in voluntate patris acquiescere. Similiter habet Vasallus facultatem testandi *de Feudo Novo*, si accedat consensus Domini, aut ejus ratihabitio. Neq; enim in hoc, sicut in feudo veteri, fit præjudicium Agnatis, quibus jus ex tenore primæ investituræ semel quæsitum non est auferendum. Idem dicendum est de *Feudis quibuscunq; aliis*, si domini, & illorum, quorum interest, consensu, testamentum fiat; aut si consuetudine alicujus regionis introductum sit, ut Vasallus de feudo testari possit.

Legitimæ Successionis, quæ ab intestato competit, secundum Juris novissimi constitutionem, tres sunt ordines: Descendentium, Ascendentium, & Collateralium.

Ascendentium Ordo in successione feudi non attenditur; sive feudum sit antiquum, sive novum.

Quamobrem, ab intestato primo loco ad successionem vocantur *Descendentes*, quibus naturalis ratio, quasi lex quædam tacita, parentum hereditatem addicit. Per *Descendentes* autem, secus ac in Jure Civili obtinet, hic soli Filii, & nepotes ex filiis, quiq; deinceps ex iis nascuntur, intelligendi sunt, filiabus, & ex iis natis, plane exclusis.

Succedunt Filii æqualiter in infinitum: atque feuda eodem modo, ut bona allodialia, pro numero perso-

parum,

narum, in capita, si soli sint, dividunt. Si cum filiis concurrant nepotes, aut pronepotes, jure repræsentationis fit successio, & illam tantum partem capiunt, quam parens illorum accepturus erat, si superstes foret.

Quod dictum est, *Filios æqualiter ad feudum succedere*, non capiendum est de Feudis Regalibus, cujusmodi sunt, Ducatus, Comitatus &c. talia enim non possunt in partes scindi inter plures coheredes, ob prohibitionem Friderici I. 2. F. 55. sed primogenitus feudum ejusmodi indivisum tenet; nisi quod consuetudo cujusq; loci sedulo attendenda.

Filios oportet esse legitimos & naturales simul, hoc est, ex justis nuptiis procreatos. Proinde, naturales tantum, item spurii, & incestuosi, quia honesto inter nobiles stare, dominoq; servire nequeunt, excluduntur. Nec proderit Naturalibus *legitimatio*, nisi ea expresse atq; nominatim ad feuda, non generaliter & simpliciter per Rescriptum Principis, sit facta. Quippe, *posse Principem*, ex plenitudine potestatis, Agnatis legitimando præjudicare, modo id fiat ex certa quadam & publicam utilitatem concernente causa, pleriq; Doctores asserunt.

De Legitimatis per subsequens matrimonium, an in feudis succedant, acris inter Jurisperitos est altercatio: sed negantium potior est sententia, quia naturalitatis cicatrix manet etiam post consolidationem vulneris.

Clerici regulariter ad successionem feudi aspirare non possunt. Excipiendi tamen casus: 1. si Feudum Francum fuerit, in quo Vasallus ad servitia non tenetur. 2. Si de feudo ejusmodi servitia exigantur, quæ non minus honeste a Clericis quam aliis præstari pos-

possunt. 3. Si quis a patre vel agnatis eo fine Clericatui devoveatur, ut feudum amittat.

Mutus, *Surdus*, *Cæcus*, vel alio modo imperfectus, feudum retinere, h. e. in feudo antiquo succedere non potest; cum scilicet naturaliter vitium illud adhæret. 2. F. 36. at, si, ex accidenti, vitio laboret, successio conceditur, quia spes est, posse eum servire, vitio sublato.

Fœminæ communiter feudorum incapaces sunt, quia feuda ad servitia militaria, quæ per fœminas expediri non possunt, conceduntur. Neque tantum fœminæ a successione in feudis excluduntur, sed etiam filii earundem masculi.

Sunt tamen *casus*, in quibus etiam ad fœminas successio feudalis devolvitur.

Nimirum 1. si feudum sit fœmineum, hoc est, a fœmina primum acquisitum. 2. Si feudum sit francum. 3. Si feudum ad certum servitium sit datum, quod honeste per fœminas expediri potest; qualia sunt, domini uxorem comitari, aut rem familiarem curare. 4. Si diserte in literis investituræ de fœminarum successione cautum sit. 5. Si alicujus loci consuetudine sit introductum, ut etiam ad fœminas successio devolvatur. *Notandum* autem, in his atque aliis casibus, tum demum mulieres admitti, si deficiant masculi. His enim a primo acquirente extantibus, fœminæ negliguntur, etiamsi in literis investituræ, masculis per copulam *et*, vel similem aliquam, conjungantur.

Licet vero Fœminæ a successione feudi ordinarie removeantur, *succedunt tamen in meliorationibus & fructibus ejusdem:* sive illud domino aperiatur, sive ad Agnatos successione devolvatur; adeo, ut, si feudum possi-

possideant, tamdiu illud retinere possint, donec ob meliorationes iis fuerit satisfactum. Quod si non supersint alia bona hereditaria, ex quibus dos constitui possit, tum, fœminis ex feudo alimenta & dotem suppeditari, æquitas postulat.

Descendentibus non extantibus, admittuntur *Collaterales*: & hi, cum beneficio primi acquirentis, non proxime defuncti, succedant, ideo, defuncti hereditate repudiata, feudum nihilominus retinere possunt. Hoc tamen de feudo tantum veteri intelligendum, quippe, in novo collaterales non succedere, indubitati juris est. Nisi 1. Pactis investituræ aliud caveatur: aut 2. feudum novum concedatur jure feudi antiqui: aut 3. frater, feudum de communibus bonis, sciente domino, emerit.

Inter Collaterales, sive Agnatos, primi sunt Fratres, & hi, sive germani sint, sive consanguinei, æqualiter in feudum succedunt, & quidem, si soli, in capita: si vero cum ipsis fratrum defunctorum liberi concurrant, hi, propter jus repræsentationis, vocantur in stirpes. *Vterini* fratres, quia neque agnati sunt, neque a primo acquirente descendunt, ideo a successione in feudo masculino repelluntur.

Si fratrum prædefunctorum liberi soli sint, quomodo tum patruo succedant, difficilis quæstio est: magis autem verisimile, successionem tum fieri debere in capita, non in stirpes: atq; pro hac sententia Carolus V. in Comitiis Spirensibus A. 1529. constitutionem fecit.

Post Fratres Fratrumq; filios, *ut quisq; Agnatorum gradu proximior est*, ita succedit in feudis, excluso remotiore. *Proximitatem* autem respectu defuncti Vasalli, non respectu ejus, qui feudum acquisivit,

 metu-

metimur. Ac facienda eſt computatio graduum *ſecundum Jus Civile*, non vero Jus Canonicum; hoc enim fere ad cauſas tantum matrimoniales attinet.

Si nemo ex Deſcendentibus aut Agnatis ſuperſit, nec vir uxori, nec hæc illi, multo minus Fiſcus ſuccedunt, ſed Feudum ad Dominum revertitur.

Cap. VI.
De Renovatione Inveſtituræ.

SUcceſſionis conſequens eſt *Inveſtituræ Renovatio*, quæ ſemper petenda, quando vel Domini, vel Vaſalli perſona mutatur.

Atq; Inveſtituræ *Renovatio neceſſario petenda eſt in Feudo veteri*, nec expectanda citatio, ut in feudo novo; ac proinde ultro ad fidelitatem faciendam Vaſallus ſeſe offerre debet.

Petenda eſt Inveſtituræ Renovatio, 1. quia petitio hæc eſt ſignum devotionis & reverentiæ, quam Domino Vaſallus debet, & ut Vaſallus intelligat, ſe feudum obtinere potius beneficio Domini, & primi acquirentis, quam ſucceſſione. 2. Quia *juramentum fidelitatis ad heredes non tranſit*; cum, quoad obligationem animæ, & crimen perjurii, perſonale exiſtat. 3. Ne Domini jus longinquitate temporis obſcuretur, aut reddatur dubium.

Petere oportet renovationem Inveſtituræ *congruo tempore*, non noctis, prandii, vel balnei: item *loco idoneo*, in domini videlicet territorio, & loco conſueto habitationis: unde Vaſallus Dominum extra territorium ſequi non tenetur, niſi forte fuerit in loco vicino, quo ſine magno ſumtu pervenire licet. Petenda *amplius humiliter & devote*, non inſolenter & am-

& ambitiose; ad fidelitatis præstationem, vel expresse, vel saltem tacite sese offerendo. Deniq; petenda *tempore præfixo*, quod est annus & dies.

Est autem hoc tempus, si semel currere cœpit, *continuum*, adeo, ut etiam dies feriati computentur. Quod si vero initium respicimus, utile est, quia currit demum a tempore scientiæ, postquam scilicet Vasallus mortem Domini, vel Vasalli mortem ejus, cujus sunt heredes, cognitam habuerunt.

Præter oblationem fidelitatis, regulariter Vasallus ad alia præstanda non tenetur: unde nec *Laudemium*, Lehnwar-Ergetzung / solvere cogitur; nisi statuto, aut loci consuetudine aliud receptum fuerit. Atque, in Imperio nostro, communiter, *non nisi pro instrumento renovationis investituræ*, non quidem Domino feudi, sed ejus Cancellariæ, aliquid exsolvi solet.

Omissæ renovationis effectus est, *respectu Domini*, quod, si is intra legitimum tempus, sine justa causa, Vasallum petentem investire recusat, proprietatem rei feudalis amittit.

Respectu Vasalli, is effectus est, quod, si, citra justam causam, intra præfinitum tempus renovationem petere neglexerit, feudum amittat.

Quod *si justa aliqua causa impeditus Vasallus*, citra dolum & incuriam, investituram non petierit, feudo non cogitur carere. Sunt autem *causæ justæ*, ignorantiæ: ignorantia nimirum mortis Domini, aut vasalli, vel ipsius rei, an ea feudalis sit; uti si quis rem in hereditate inveniat, eamq; feudalem esse ignoret. Huc pertinent adversa valetudo, tempestas, vis fluminis, quæ itineri vel navigationi impedimento fuit; item, justus metus hostium, & locorum lue pestifera infectorum, ætas immatura, causæq; aliæ fonticæ.

Cap. VII.

De Feudi Forma, Fine, & Effectu quoad Dominum.

F*Orma Feudi*, ſine qua conſtitui & eſſe nequit, eſt ipſa fides, ſive fidelitas; qua Vaſallus Domino, vel jurato, vel etiam citra juramentum, pollicetur, ſe ei fidelem fore, commoda ipſius promoturum, damna averſurum, & venerationem præſtiturum. Vocatur hoc juramentum, *Vaſallagium*, die Lehens-Pflicht/ nonnunquam etiam Homagium, ſive Hominium; quod tamen proprie notat juramentum ſubjectionis, quod ſubditi Principibus & Dominis territoriorum præſtant, die Huldigung.

Præſtatur fidelitas jurato a quovis Vaſallo, ſive Clericus, ſive Laicus is ſit, & de omni feudo; niſi expreſſe remiſſum, aut Eccleſiæ feudum conceſſum fuerit. *Eccleſia* enim, cum ſit cultrix & auctrix juſtitiæ, nec patiatur contra juſtitiam aliquid fieri vel in ſe, vel in alterum, 1. F. 13. ideo mirum non eſt, a juramenti præſtatione eam excipi. *Excipiuntur tamen etiam minores*, ſive impuberes, qui ante legitimam ætatem, quæ doli capax eſt, nec per ſe, nec per alium, fidelitatem præſtare coguntur.

Jurant Vaſalli vel ipſi, vel per Procuratores; qui tamen ſpeciali mandato inſtructi eſſe debent. Illud certum, *vivo patre*, filios Vaſalli ad jurandum Domino non teneri. Poſt mortem enim Patris demum ad ipſos feudum devolvitur, ex quo tempore juramentum fidelitatis præſtabunt, etiamſi Parens illorum pro ſe, & ſuis heredibus juraſſet. Nam juramen-

mentum, a Vasallo præstitum, ejus personam non egreditur, nec potest ligare heredem.

Finis Feudi, est vel Remotus, vel Proximus. *Remotus*, est Reipublicæ commodior defensio, & familiarum, maxime Illustrium, conservatio. *Finis Proximus*, est utilitas vel Domini, ut is sibi fide & officio devinctum habeat, in quem beneficium contulit; vel Vasalli, ut is, propter servitia & fidem, beneficiis & benevolentia Domini fruatur.

Jus Domini est, in re quidem feudali, reservata proprietas; in persona vero Vasalli, reverentiæ & officiorum præstatio. *Reverentiæ hujus effectus* sunt, quod Vasallus Dominum accusare nequit, nisi is crimen perduellionis commiserit. Quod nec juramentum calumniæ ab eodem exigere, nec actionem famosam adversus eum intentare, nec testimonium contra eum dicere debet. Atque reverentiæ vestigia, etiam refutato feudo, penes Vasallum remanent.

Officia, ad quæ tenetur Vasallus, consistunt in consilio & auxilio præstando. Nempe, & consilium fidele Domino dare, & Domini consilia sedulo celare debet. *Quod ad auxilium* attinet, si justa & rationabilis causa sit, Vasallus Dominum tam in defendendo, quam in offendendo, adjuvare tenetur. *Idem dicendum, si causa sit dubia:* nec enim determinatio ejus dubii ad Vasallum pertinet, sed debet obsequi Domino suo, ejusq; personam sanctam & honestam reputare. *Dicitur autem ea causa dubia*, quando Dominus Proceres & Consiliarios in consilium adhibuit. *Si causa notorie injusta sit*, in defendendo tenetur Vasallus Dominum adjuvare, non autem in offendendo alium. Quamvis hoc ipsum quoque, si velit id facere, jure Feudali in 2. F. 28. permissum

 sit.

ſit. Id tamen, ut & prius, de defenſione in cauſa notorie injuſta, Baldus, in Commentario ad illud capitulum, improbat, & Obertum ac Gerhardum hic duo pecora fuiſſe dicit, ſive jus Divinum, ſive Gentium, ſive etiam Civile ſpectemus.

Auxilium Vaſallus ferre debet regulariter contra omnes homines, etiam contra fratrem ſuum, & filium, & parentem, 2. F. 28. niſi quod Rex, ſive Imperator, & Vaſalli patria, atque propria ejus perſona excipiuntur.

Ad *Reverentiam* præſtandam Vaſallus ita obſtrictus eſt, ut nullam admonitionem expectare debeat; ad *Servitia* vero aliter non tenetur, niſi ea Dominus requirat. Quod ſi tamen periculum præſens ſit, ac res moram non patiatur, æquum eſt, ut Vaſallus Domino ultro ſuccurrat.

Vocatus a Domino Vaſallus, in propria perſona comparere debet, cum ipſius fides & induſtria electa ſit; niſi forte ad ſervitia præſtanda, vel propter ætatem, vel alium defectum, ſit inutilis. *Præſtanda vero ſunt ſervitia ſumtibus Vaſalli*; modo feudum non ſit tenue, atque intra patriam & territorium ſubſiſtere Vaſallo liceat. Quin, ſi inter ſerviendum *arma, vel equum* Vaſallus amittat, ejus rei compenſationem a Domino ei flagitare non licet.

Si ad egeſtatem redactus fuerit Dominus, non tenetur illum Vaſallus alere; niſi vel ex facto Vaſalli inops factus, vel feudum valde opimum ſit, vel omnia bona ſua in feudum dederit. *Eſt tamen alimentorum largitio pro qualitate feudi temperanda.* Hinc conſequens videtur, ſi Dominus filiam ſuam elocare velit, nec ipſe pro dignitate eam dotare poſſit, Vaſallum aliquid contribuere debere. Quod ſi ab hoſtibus

bus captus ſit Dominus, incumbit Vaſallo, ut ipſum liberet, ſi vero ob æs alienum in vinculis detineatur, non item.

Cap. VIII.

De Effectu Feudi quoad Vaſallum.

J*Vs, quod Vaſallo competit* ratione rei feudalis, eſt poſſeſſio, quaſi-dominium, & conſequenter jus percipiendi fructus, aliaq; incrementa: item locandi feudum, de eo tranſigendi, illud refutandi, & alium de eo ſubinfeudandi. Reſpectu perſonæ Domini, eſt mutua fidei & officiorum præſtatio.

Poteſt Vaſallus feudi conditionem meliorem quidem, non tamen deteriorem, facere: unde ſervitutem fundo feudali acquirere quidem, non tamen imponere licet. *Theſaurus*, in prædio feudali inventus, item auri, argenti, plumbi, aliorumq; metallorum fodinæ, ad Vaſallum pertinent.

Refutatio in quovis feudo locum habet, etiam ligio & franco. Sed non facienda eſt intempeſtive, vel dolo malo, puta, cum hoſtis imminet, aut Dominus jam in procinctu eſt ſuæ expeditionis, nec aliorum æque idoneorum militum parandorum copiam habet. Refutatio, *ſi feudum novum fuerit*, præjudicio erit deſcendentibus; ſi vero *antiquum* ſive paternum, ad vitam refutantis nocebit; mortuo autem eo, ad liberos vel agnatos ejus devolvitur. Niſi forte deſcendentes vel Agnati refutationi conſenſerint: hoc enim caſu, nullum, etiam poſt refutantis obitum, ad feudum regreſſum habebunt.

Habet Vaſallus *jus ſubinfeudandi*, i. e. feudum, quod habet, vel totum, vel aliquam ejus partem, alii

in feudum concedendi. Germani ejusmodi concessionem vocant die Afterbelehnung / & ipsum subfeudum, ein Afterlehen. Hæret quidem hic Julius Clarus in Comm. *ad 2. F. 3.* atque queritur, se non potuisse aliquam idoneam rationem apud Doctores reperire, cur, stante generali prohibitione alienationis feudi, subinfeudatio permissa esse debeat. Verum, causa in promtu est: per subinfeudationem enim Domini jus non redditur deterius; & vasallus, qui antea fuit, vasallus esse non desinit, ac præterea etiam alius subvasallus Domino acquiritur. Debet autem fieri subinfeudatio 1. sincere, & sine fraude, puta, ne sub prætextu subinfeudationis, venditio, aut alia prohibita alienatio celebretur; & ne in præjudicium fiat domini, uti eo casu, quo vasallus desperat, se liberos aut heredes habiturum. 2. Fieri debet subinfeudatio personæ ejusdem aut melioris conditionis, non quidem ratione officii, aut dignitatis, sed habilitatis ad serviendum. 3. Facienda iisdem conditionibus & pactis, sub quibus subinfeudans feudum a Domino accepit.

Effectus Subinfeudationis, est 1. quod jus quoddam quasi dominii, sive dominium utile in subinfeudatum transit; ita tamen, ut non omne jus in feudo Vasallus abdicare, sed aliquod sibi reservare intelligatur, quo subinfeudatum ad servitia & fidelitatem præstandam obligatum habet: quod subinfeudantis jus, respectu domini proprietatis, utile, respectu vero subvasalli, directum quodammodo dici potest. 2. Subinfeudatus fit subinfeudantis Vasallus, ipsiq; ad fidem & servitia, æque ac subinfeudans ipsi Domino directo, obstringitur. Ipsius tamen Domini directi Vasallus non efficitur subinfeudatus, nisi per con-

consequentiam quandam: proinde ab eo ad servitia cogi non potest, nisi mediate per primum vasallum. Interim tamen ipsum sine gravi causa offendere non debet, neq; molestiam ullam ei creare. 3. Mortuo subinfeudante, jus hoc durat, & subinfeudatus feudum retinere potest, si dominum pro superiore recognoscere, eique servitia præstare paratus sit. *Aliud autem obtinet de Agnatis*, ad quos si feudum per mortem subinfeudantis devolutum fuerit, subinfeudatio ipsis præjudicio esse nequit, quo minus id revocare, & subvasallo auferre possint.

Notandum, penes Vasallum esse jus lucrandi & percipiendi incrementa naturalia rei feudalis, uti si forte per alluvionem fundo feudali (quando is limitatus non est) quid accesserit. Neq; nova investitura hic opus: id enim, quo per alluvionem crevit fundus, jus & conditionem principalis fundi sequitur.

Ratione personæ Domini, Vasallo debetur defensio, ut Dominus ipsum defendat: idq; non tantum in judicio civili, quando convenitur de feudo; tum enim potest Vasallus vocare Dominum, ut ipse adversario respondeat: sed etiam in bello, cum Dominus ad mutuam vicem, in omnibus, fideli suo, juramento excepto, obligatus sit, in tantum, ut si Dominus Vasallo suo, a quo specialiter vel generaliter requisitus fuit, opem ferre, cum possit, recuset, feudi proprietate privetur, proprietasq; ad Vasallum transeat, & cum usufructu consolidetur. Amplius, nec Dominus Vasallum injuria afficere, aut sine justa causa feudo privare debet.

Si *Feudum* fuerit evictum, hoc est, per sententiam judicis ablatum, de Evictione tenetur dominus Vasallo, ita ut cogatur ipsi tradere aliud feudum ejus-

dem bonitatis & quantitatis, vel justum feudi pretium numerare, pro quo æquivalens possit emi.

Cap. IX.

De Causis, ob quas Feudum amittitur.

FEudum legitime constitutum, *finitur, sive amittitur*, vel culpa Vasalli, vel sine ea. Culpa, vel in committendo, vel in omittendo consistit: & in committendo quidem, vel Dominum respicit, vel alium. Atque *Culpæ* appellatio hic latissime accipitur, ut etiam dolum sub se comprehendat: quo sensu in Jure Feudali vocatur *Felonia*, & tam domino, quam vasallo, 2. F. 47. tribuitur, vel a Græco Φήλωσις, sive Φήλωμα, quod fraudem & imposturam significat, vel potius a Germanico Fehlen sic dicta.

Culpa, quæ Dominum respicit, vel personam ejus principaliter, vel per consequentiam, vel rem ejus familiarem concernit.

In personam Domini directo & principaliter delinquitur, vitam, incolumitatem, vel famam ipsius lædendo, testimonium atrox adversus eum dicendo, aut accusationem instituendo.

Vitam Domini lædit Vasallus, si necem armis aut veneno inferat, vel violentas manus intentet, aut insidias struat. Quod si tantum *voluerit dominum offendere*, nec tamen ad actum aliquem extraneum processerit, feudo non privabitur. *Excipiuntur tamen casus duo*, quibus Dominus, citra feudi privationem, a vasallo occidi potest. Quorum *unus* est defensio sui ipsius; *alter*, si Dominum in adulterio uxoris suæ deprehenderit: Dominus enim, adulterium

cum

cum vaſalli uxore committens, reciprocam fidem violat, & jure ſuo, quod in vaſallum habuit, ſe reddit indignum. *Amplius*, vita, vel ſaltem incolumitas Domini oppugnatur, ſi Vaſallus cum hoſtibus Domini amicitiam copulaverit, id eſt, contra Dominum conjuraverit, & in perniciem Domini ſe cum iis conjunxerit.

Fama Domini læditur, ſi Vaſallus teſtimonium contra dominum ſponte ſua dicat. Nam, ſi judex, non admiſſa ejus excuſatione, invitum eum & reluctantem ad teſtimonii dictionem coëgerit, feudum non amittit. Læditur præterea fama Domini *accuſatione:* proinde ab ea abſtinendum, niſi Vaſallus ſuam ſuorumq; injuriam perſequatur, aut crimen læſæ majeſtatis, in quo etiam liberis parentes accuſare licet, Domino impingat: aut ex officio, vel legis neceſſitate, Dominum accuſet; puta, ſi ſit fiſcalis, vel heres defuncti, cujus necem vindicare cogitur. Læditur deniq; fama Domini *injuriis verbalibus*, & atrociſſimis convitiis.

Per Conſequentiam in perſonam Domini delinquitur, cum in perſonas, poteſtati ipſius, vel affectui ſubjectas, aliquid committitur: uti ſi Dominum vaſallus cucurbitaverit, id eſt cum uxore ejus concubuerit; ſi neptem ex filio, nurum, vel ſororem ejus in capillo ſtupraverit; ſi cum uxore domini turpiter luſerit; ſi, in odium & contumeliam Domini, gravi & inhoneſta injuria, ſive reali, ſive verbali, affecerit Domini conſanguineos, domeſticos, confœderatos, nuncios.

Quod de Vxore Domini dictum eſt, etiam ad *Viduam* ejus, intra tempus luctus, (quia ſic ſuſpicio adulterii, etiam vivo marito commiſſi, movetur) & *Sponſam* domini, quia ad contumeliam ſponſi inju-

injuria, quæ ſponſæ infertur, ſpectat, producendum.

In ſorore domini, nonnulli conjunctim requirunt, ut cum fratre ſuo in eadem domo habitet, & ut adhuc in capillo, id eſt innupta, ſit; ſed verius eſt, poſterius ſufficere.

Ad turpes luſus cum domini conjuge refertur, ſi Vaſallus manum in ſinum ejus miſerit, aut luxurioſe oſculatus, vel amplexus fuerit. Nec diſcrimen faciendum videtur inter Clericum, & Laicum; etſi *Gloſſa in c. abſit. C. 11. Q. 3.* dicit: Si Clericus amplectitur mulierem, interpretandum id eſt, quod cauſa benedicendi eam hoc faciat. Pertinent huc *literæ amatoriæ*, quas ad Domini uxorem mittit Vaſallus; item munuſculorum illecebræ, aliæq; ſtrophæ, quibus pudicitiam ejus expugnare nititur.

Occaſione Rerum, in Dominum delinquitur, ſi Vaſallus feudum dolo negaverit, deterioraverit, vel alienaverit: item, ſi in munitionibus, vel aliis poſſeſſionibus damnum dederit.

Circa *inficiationem Feudi* notandum, poſſe Vaſallum pœnitere, & contumaciam ſuam purgare; adeoq; ſi expenſas & damna, quæ Dominus ob negationem hanc paſſus eſt, refundere paratus ſit, feudum recuperare, idq; tam ante, quam poſt litem conteſtatam.

Vt Vaſallus *ob feudi deteriorationem* illud amittat, requiritur, ut dolo, vel culpa rem deteriorem fecerit, &, ut notabilis ac inſignis ſit ea deterioratio: uti ſi arbores fructiferas perdat, in ſubditos ſæviat, aut inſolitas operas exactionesq; iis imponat, aut juſtitiam deneget.

Alienatione Feudi delinquitur, quia Vaſallus, feudum alienando, dominum contemnere videtur, ejus conditio-

ditionem deteriorem reddit, & ipsi invito alium Vasallum obtrudit. Ad hoc autem, ut Vasallus propter alienationem feudo cadat, requiritur 1. ut id fiat sine consensu Domini; nec successerit ejus ratihabitio; nec vasallus alienationi clausulam salutarem, sive hanc conditionem apponat, si Dominus consenserit. 2. Vt sciat vasallus, feudum esse; nam, si in justa ignorantia versetur, non videtur Dominum contempsisse. 3. Requiritur possessionis translatio. Nec enim sola conventio de alienando sufficit. 4. Non debet venditio facta esse in agnatum proximiorem, qui omnino heres est futurus.

Non potest autem Vasallus, invito Domino, non tantum non vendere feudum, *sed nec permutare, donare, oppignerare, in solutum dare*, in dotem, vel donationem propter nuptias concedere, in emphyteusin largiri. Pariter nec admittere debet, ut feudum ab alio, usucapione, vel præscriptione, acquiratur. His enim omnibus modis fit alienatio.

De *Venditione* sciendum est, Vasallum non tantum feudo privari, si illud sine Domini consensu vendiderit, *sed & pretium, tam ipsi quam emtori auferri*. Atq; hoc quidam fisco adjudicant; alii autem, æquius, Seniori sive Domino, cujus persona contemta est, tribuendum censent.

Per *Oppignerationem* intelligitur pignus in specie sic dictum, quo possessio in creditorem transfertur. Nam, propter hypothecam in feudo constitutam, jure suo vasallus non privatur.

De *Dotis datione* tenendum, hoc tam ipsum patrem, quam quemvis alium prohiberi: idque in tantum, si vel maxime pater nulla alia bona habeat, nec filia aliter, quam si dotata sit, nubendi conditionem accipere possit.

Etsi

Etsi vero Vasallus alium subinfeudare potest, tamen *in Emphyteusin dare feudum* ei non licet. Subinfeudatione enim vasallus eadem conditione & qualitate, qua ipse feudum habet, id in alium transfert. At emphyteusis aliis conditionibus peragitur, cum hæc ad omnes heredes, tam masculos, quam fœminas, & adeo etiam ad extraneos, transeat.

Quod si Vasallus modo aliquo ex enumeratis feudum, invito domino, alienaverit, si quidem *totum* alienavit, totum quoq; amittit; si vero partem, ea tantum parte, quam alienavit, privatur.

Illud notandum, non Vasallum tantum alienantem, sed etiam Notarium sive Tabellionem, qui instrumentum alienationis conficit, puniri amissione officii, infamia, & manus amputatione.

Circa res non-feudales Felonia committitur, si Vasallus in munitionibus, vel aliis possessionibus, Domino damnum dederit; puta, si castrum, vicum, aut civitatem Domini oppugnaverit.

Præterea & *oblique circa res domini delinquitur*; veluti si secreta Domini sui Vasallus revelaverit, aut dominum detulerit, ut damnum inde reale sit secutum. In *alium*, quam dominum, culpa committitur, si Vasallus fratrem suum, nepotem ex fratre, aut alium, in quem parricidium committi potest, interemerit: si convasallum prodiderit; aut crimen læsæ majestatis, incestum, proditionem, vel simile aliud flagitium, ex quo existimatio ejus ita læditur, ut amplius in Curia Domini stare nequeat, commiserit. Ita vero demum ob *parricidium* feudo cadit Vasallus, si illud eum in finem admiserit, ut solus, vel eo citius hereditate, sive feudo potiretur; quia hoc demum casu respectu feudi delinquitur.

Ob

Ob culpam omissionis feudo privatur vasallus, si Domino periculum imminere sciens, id non indicaverit; si Dominum carceri inclusum non liberaverit; si alimenta inopi Domino denegaverit; si in periculo constitutum, vel pugnantem in bello, adhuc vivum nec lethifere vulneratum deseruerit; item, si investituram petere neglexerit; si, tribus vicibus citatus, juramentum fidelitatis domino facere detrectet; si feudi nomine a domino ter in jus vocatus, venire supersedeat, hoc est justitiam facere recusaverit, vel, si servitia denegaverit.

Sine Culpa feudum amittitur, morte Vasalli, rei feudalis interitu, refutatione feudi, ac defectu & inhabilitate serviendi: uti, si Vasallus sit Clericus factus. Clericus enim, dum Christi miles esse incipit, ad servitia feudalia inhabilis redditur. Idem obtinet, si surdus, mutus, cæcus, mancus, vasallus factus fuerit: idq; sive naturale sit vitium, sive accidentale, & superveniens; modo perpetuum sit. Nam, qui vitio laborat, quod industria & cura medicorum sanari potest, feudum non amittit; cum interim per substitutum servire possit, donec sanitati restituitur

Quemadmodum Vasallus, vel culpa sua, feudum amittit, vel sine ea; ita *Dominus* quoque, tam culpa, quam sine ea, feudum perdit: & culpa non commissionis tantum, puta si in vasallum vel etiam alium deliquerit; sed etiam omissionis, si vasallum, investituram petentem, intra legitimum tempus non investiverit.

Feudum modis recensitis, non ipso jure, sed *per sententiam judicis, amittitur*. Atque, si in dominum culpa commissa sit, ad ipsum dominum, si vero in alium, ad proximos Vasalli agnatos transit, exclusis descendentibus. Domino autem feloniam committente, proprietas indistincte Vasallo applicatur.

Cum

Cum feudum ad Dominum, vel agnatos devolvitur, *circa fructus* diſtinguendum, utrum feudum culpa Vaſalli, an vero ſine ea, extinctum vel amiſſum ſit. Si *ſine culpa*, puta morte vaſalli, feudum amittatur, tum, moriente *ante Calendas Martias* vaſallo, omnes illius anni fructus Domino cedere debent; ſi *poſt Calendas Martias*, usq; ad Auguſtum completum, diem obeat, fructus ad vaſalli heredes pertinent. Si *poſt Auguſtum* fato fungatur, rurſus fructus Domini ſunt. Si vero *ex culpa Vaſalli* feudum amiſſum fuerit, fructus pendentes omnes, una cum fundo ipſo, ad Dominum vel agnatos pertinent.

CAP. X.
De Judicio Feudali.

IN *Judicio feudali*, Materiam & Formam conſiderare oportet. *Materia* Perſonas & Actiones continet. *Perſonæ*, vel litigantes ſunt, vel judices. *Litigantes*, ſunt Actor & Reus, quorum ille, ad judicium contra Reum provocat, hic, ab Actore provocatur.

Judex, pro varietate caſuum varius eſt, modo Dominus Feudi, modo Pares Curiæ, modo ordinarius loci judex, & interdum etiam Arbiter.

Litigatur vel inter Vaſallos ipſos, vel inter Dominum & Vaſallos, vel inter Dominum & Extraneum, vel deniq; inter Vaſallum & Extraneum.

Lis inter ſolos Vaſallos, eſt vel inter Capitaneos, id eſt Duces, Marchiones, Comites; vel inter Valvaſores, id eſt minores, & inferiores vaſallos. *Inter Capitaneos* ſolus Imperator judex eſt, *c. ſi contentio. 1. F. 18.* adeo, ut, ſi de feudis Regalibus controverſia ſit, ne Camera quidem Imperialis ullam cognitionem habeat, ſed ſoli Imperatori ea reſervata ſit, *O. C.*

p. 3.

p. 3. t. 7. quamvis in aliis feudis, non regalibus, concurrentem cum Imperatore jurisdictionem habeat, & præventioni locus sit. Si inter Valvasores lis orta, Dominus feudi Senior competens judex est. Nec possunt Vasalli, invito Domino, jurisdictionem consensu suo prorogare, sive alium judicem eligere. Non enim locum habet prorogatio, quoties cum injuria alterius conjungitur; ceu hoc loco fieret, auferendo Domino jus suum, & jurisdictionem, a lege & consuetudine Feudali concessam, reddendo inutilem.

Quod si Dominus justitiam facere noluerit, vel distulerit, actor reum coram ordinario suo judice convenire poterit, ex communi juris Regula, quæ actorem rei forum sequi jubet.

Si lis sit inter dominum & vasallos, controversia apud Pares Curiæ terminanda est: atque judicant hoc casu Pares, non Dominus; quia nemo in propria causa judex esse debet. Judicabunt autem Pares non omnes, nisi forte ita litigantibus placuerit, sed ii, qui a Domino & Vasallo electi fuerint.

In Electione is servetur ordo, ut prius eligat Dominus, quos & quot voluerit, postea Vasallus sequatur, & totidem quoque eligat. Quod si vel Dominus, vel Vasallus eligere tergiversetur, ab altera parte electi, soli judicabunt. Atque *possunt Pares ad judicandum cogi*, quia judicandi munus publicum est, quod etiam inviti suscipere coguntur. Et coget hoc casu eos, non tantum judex superior, sed etiam ipse Dominus. Sunt vero *Pares Curiæ Domini judices*, etiamsi is Princeps supremus sit, nec alium superiorem recognoscat. *Si nulli sint Pares Curiæ*, ipsa necessitas cognitionem ad ordinarium Judicem deducit.

Quod si Dominus & Vasallus litigantes *in alium judicem consenserint*, quamvis invito Domino Vasalli juris-

jurisdictionem in alium prorogare nequeant, consentiente tamen eodem, quin prorogatio fieri possit, non est dubitandum.

Si Dominus, vel Vasallus, cum extraneo litigent, neque Dominus, neque Pares judicare poterunt, sed ordinarius Judex adiri debet.

Competunt Actiones ex Feudo, tam Domino, quam Vasallo. Domino competit 1. *Rei Vindicatio*, qua a quovis possessore feudum repetit. Competit 2. *Causa data, causa non secuta*, qua agit ad feudum revocandum, si Vasallus requisitus servitia haud præstiterit, vel aliam quamcunque feloniam commiserit. Competit 3. Domino *Condictio ex lege*, sive moribus; quæ toties locum habet, quoties alia nulla actio suppetit. Competunt 4. etiam *Interdicta* domino, non tantum, si ipse turbetur aut spolietur civili sua possessione; sed etiam si Vasallus turbetur, aut dejiciatur, & agere vel non possit, vel nolit.

Vasallo competit 1. *utilis rei vindicatio*, qua experiri potest, non tantum adversus extraneum feudi possessorem, sed etiam adversus ipsum Dominum, si is forte feudi possessionem nactus sit. Competit 2. *Condictio ex lege* adversus Dominum, ut si feudum fuerit evictum, aliud ejusdem bonitatis restituat, vel æstimationem ejus solvat. Competunt 3. Vasallo *Interdicta*, eaq; non tantum adipiscendæ, & retinendæ, sed etiam recuperandæ possessionis. Adversus Dominum tamen, non ipso interdicto unde vi, sed actione in factum ei utendum. Deniq; 4. & *officium Judicis* implorare potest, si fortassis nimiis servitiis a Domino oneretur, vel alias in possessione sua turbetur.

Liberis & Agnatis Vasalli, competit Actio Revocatoria, qua feudum, a prædefuncto vasallo alienatum, revocare possunt.

Pro-

Processus Feudalis in plerisq; conformis est Processui Juris communis. Sed specialia quaedam notare convenit; quae respiciunt vel Praeparatoria judicii, vel ipsum judicium.

In Praeparatoriis, singularis est vocatio in jus, sive citatio, quae trina praecise requiritur; cum jure communi, una peremtoria, trium citationum vice fungatur.

Reconventio in judicio feudali non aliter admittitur, quam si & ipsa reconventio aeque causa feudalis sit. Habet sane caeteroquin reconventio coram quovis Judice locum; sed excipitur casus, quo jurisdictio limitata est, ad causas certarum qualitatum, specierum, & naturae, extra quos limites extendi non debet.

In actibus disceptationis, singulare est, quod Dominus & Vasallus juramentum calumniae a se invicem exigere non possunt, idq;, sive Vasallus juramentum fidelitatis praestiterit, sive non. Cujus rei causa, mutua reverentia & fides, quam sine juramento quoque, Dominus & Vasallus sibi invicem debent.

Amplius, est hoc quoque singulare in actibus disceptationis, *quod ad probandum non admittuntur foeminae*, sed masculi tantum. Item, quod, ad *novam investituram* probandam, non admittuntur alii, nisi Pares Curiae, vel Instrumenta a duobus aut tribus Paribus subscripta; nec minus, quod, *ad probandam ingratitudinem*, requiruntur quinq; testes, summae & integrae opinionis. Accedit, quod, cum jure communi, actore non probante, reus etiamsi nihil praestiterit, obtineat, jure feudali non continuo absolvatur, *sed purgare se debeat*, vel juramento, quod interdum solus praestat, interdum assumtis 12. sacramentalibus, sive viris, qui similiter jurant, se credere id verum esse, quod liti-

gator juravit. Vel, purgare se debet duello, vel etiam exploratione per ferrum candens, aquam ferventem, aut alium modum ejusmodi; qui tamen purgandi modi in desuetudinem abierunt.

Si in judicio proferantur investituræ plures de eodem feudo, inter se discrepantes, antiquior & prima attendenda est; posteriores enim investituræ, nihil aliud sunt, quam confirmationes & accessiones primæ, adeoq; naturam ejus immutare non possunt, & mutatio, si qua contigit, errore facta præsumitur; cum in dubio nemo censeatur, mutando investituram, sibi, posterisq; suis, vel aliis jus ex ea habentibus, præjudicare voluisse, nisi forte, ex certa scientia & voluntate domini & vasalli, mutatio illa facta sit.

A sententia, quam Judex feudalis tulit, si iniqua videatur, appellatio concessa est, eaq;, ceu jure communi, facienda gradatim, puta, si Dominus feudi pronunciaverit, ad proxime superiorem illius, & tandem ad Imperatorem. Insinuandæ autem appellationi, tempus sex septimanarum definitum.

Circa *Executionem* hoc singulare est, quod ea, invito Domino, in ipsum feudum fieri nequit, sed tantum in fructus. Exequi autem sententiam judicio feudali latam, poterunt ipse Dominus, & Pares, mandando videlicet reo, ut, sub periculo amissionis feudi, sententiæ pareat, vel etiam immissionem in bona decernendo. Realiter autem ipsi immittere nequeunt, sed ordinarii judicis opem & auxilium implorare debent.

Deniq; tenendum, Domino feudi condemnato, *beneficium competentiæ competere*, ne executio in eum fiat, ultra id, quod potest facere.

DEO GLORIA.

SY-

SYNOPSIS
JVRIS CANONICI.

SYNOPSIS JVRIS CANONICI.

LIBER I.

Titulus I.

De Jure Canonico.

J*Vs Canonicum ſic dictum eſt*, quia normam recte & bene vivendi continet; & diſtortum pravumq; corrigit.

Jus Canonicum, eſt jus poſitivum, quod ab Eccleſiæ Romanæ Summis Pontificibus traditum, conſtitutum, vel approbatum fuit.

Jus Canonicum *abſolvitur partibus* VI. Decreto Gratiani: Epiſtolis Decretalibus Gregorii IX. Sexto Decretalium Bonifacii VIII. Clementinis: & Extravagantibus, tum Johannis XXII. tum Communibus.

Decretum, quod etiam Concordantia Discordantium Canonum appellatur, *Gratianus* Monachus Benedictinus A. C. 1150. poſt *Iſidorum Hiſpalenſem, Burchardum Wormatienſem, & Ivonem Carnotenſem*, ex Canonibus Apoſtolorum, Synodorum ſtatutis, Patrum dictis, nec non quorundam Pontificum decretis compilavit: idq; *Eugenius III. Pontifex* confirmavit, & in Scholis prælegere juſſit.

Partes tres ſunt: *Prima* habet Diſtinctiones 101. quarum 20. prioribus agitur de Jure in genere, reliquis, de Perſonis Eccleſiaſticis. *Secunda* Pars complectitur Cauſas 36. in qua variæ tractantur Quæſtiones,

nes, ad formam judiciorum pertinentes. Hîc, post Causam 33. & Quæstionem 2. insertus est *Tractatus de Pœnitentia*, constans 7. Distinctionibus. *Tertia* Pars, materiam Consecrationis, 5. Distinctionibus absolvit.

Decretalium Epistolarum Compilatio Seculo XIII. facta est auspiciis *Gregorii IX. per Raymundum de Penna forti*, Hispanum, Ordinis Prædicatorum, ex variis, tum ejusdem, tum aliorum Pontificum, Epistolis, Constitutionibus, & Conciliis, inde ab Alexandro III. usq; ad Gregorium editis. Constat libris 5. in quibus ipsa Juris Pontificii materia, ad res forenses accommodatissime exponitur. Hi libri dicuntur *Extra*, quia continent Constitutiones, quæ post Decretum Gratiani fuerunt editæ: eorum materia, hoc versu inclusa habetur:

Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.

Sextum Decretalium, Bonifacii VIII. mandato, Guilielmus Archiepiscopus Ebrudunensis, Berengarius Episcopus Biterensis, & Richardus Vicecancellarius A. 1294. composuere. Continet Gregorii X. Innocentii IV. Clementis IV. & aliorum Pontificum, quin & ipsius Gregorii IX. Novellas Constitutiones, ac præcipue duorum Conciliorum Lugdunensium, alterius sub Innocentio IV. A. 1245. alterius, sub Gregorio X. A. 1273. celebrati, decreta. Libri sunt totidem, quot Decretalium. Sexti Decretalium nomen inde ortum, quod velut Sexti Libri, ad quinque Decretales, hæc est accessio.

Bonifacio VIII. proxime successit Clemens V. Avenione sedens, qui, eodem servato ordine, qui est in Decretalibus & Sexto, similiter 5. libris, Constitutiones Concilii Viennensis, ipso Præside A. 1310. celebrati,

brati, una cum cæteris Constitutionibus ac Decretalibus suis Epistolis, editioni paraverat quidem, sed, eo rebus humanis exemto, per Successorem *Johannem XXII.* A. 1320. publicatæ sunt. Quia nihil præter solius Clementis, vel Concilii Viennensis a Clemente confirmati, Constitutiones continent, ideo *Clementinæ* vocantur.

Johannes XXII. ipse qnoq; suas addidit Constitutiones, numero 20. titulis 14. secundum Decretalium ordinem; quæ tamen, sine ulla librorum distinctione, solis numeris discernuntur.

Johanne XXII. defuncto, variæ variorum Pontificum sequentium prodierunt Constitutiones, annorum plus minus 150. Hæ, tam Johannis XXII. quam aliorum, qui ei successerunt, Pontificum, quia paucæ erant, nec peculiaris alicujus Voluminis Decretalium nomen merebantur, ideo Priores, *Extravagantes Johannis XXII.* Posteriores, *Extravagantes Communes* fuerunt appellatæ. Ac *Communes* quidem sic dictæ, quia multis Pontificibus communes, nec uni soli, sicut Clementinæ, aut Johannis XXII. debentur. *Extravagantes* dictæ, quod antea, extra Corpus Canonicum, incerta quasi sede vagarentur. Sic enim olim Extravagantes vocari cœperunt omnes Pontificiæ Constitutiones, quæ Gratiani Volumine non erant comprehensæ; quanquam postea, quoad Decretales Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clementis V. hæc appellatio in usu esse desiit. Extravagantes Communes in 5. libros, secundum seriem Gregorianæ compilationis, redactæ sunt; Quartus autem liber nullus comparet.

Petrus Matthæi JC. Lugdunensis, proprio motu, ad imitationem Sexti Bonifaciani, e variis Tridentini

Concilii Canonibus, & Pii IV. ac V. aliorumq; Constitutionibus, e Bullario Laërtii Cherubini depromtis, librum confecit, quem *Septimum Decretalium* inscripsit.

Joh. Paulus Lancelotus JC. Perusinus, privato usu, A. 1563. *Institutionum Juris Canonici* libros 4. composuit.

Titulus 2.

De Constitutionibus Ecclesiasticis.

JVs Canonicum, est vel *Scriptum*, vel *non-Scriptum*. *Scriptum* jus, sunt Constitutiones Ecclesiasticæ.

Constitutiones Ecclesiasticæ, sunt vel statuta Conciliorum, vel Decreta Pontificum, vel Dicta Sanctorum.

Concilium, est cœtus, conventus, aut congregatio Fidelium; Græcis dicitur *Synodus*. Concilium est vel Oecumenicum, vel Nationale, vel Provinciale, vel Diœcesanum aut Episcopale.

Concilium Oecumenicum, sive Generale est, cum Episcopi ex universo Orbe, autoritate Sedis Apostolicæ, congregantur. Talia fuerunt, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense.

Concilium Nationale est, quod constat omnibus Episcopis multarum provinciarum ejusdem nationis; cujus convocatio pertinet ad Primatem nationis.

Concilium Provinciale est, quod constat ex omnibus Episcopis ejusdem provinciæ; eosq; convocat Metropolitanus.

Diœcesanum, aut Episcopale Concilium est, quod constat ex Abbatibus, Presbyteris, & Clericis ejusdem Diœceseos, ab Episcopo convocatis.

In

In Conciliis agitur, vel de fide, vel de disciplina. Atque in iis statuta, si ad fidem attinent, *Definitiones & Anathematismi*; si disciplinam concernunt, *Canones* vocantur. Sed invaluit, tam quæ fidem, quam quæ disciplinam respiciunt, Canones appellare. Possunt autem Canones ad fidem & disciplinam pertinentes, non tantum in Oecumenicis, sed etiam in Nationalibus, & Provincialibus Conciliis fieri; atque, si confirmentur a Romano Pontifice, omnes Christianos obligant.

Concilii forma, ex Concilio Toletano IV. est, ut corona fiat ex sedibus Episcoporum; ac Presbyteri ab eorum tergo sedeant, Diaconi stent in eorum conspectu.

Decreta Pontificum, sunt constitutiones Ecclesiasticæ, a summo Pontifice vel solo, vel Cardinalium consilio adhibito, ultro, aut aliquo interpellante, factæ. Ea, si generalia sint, omnibus: si specialia, iis, quibus concessa, legem imponunt; & tum *Privilegia* dicuntur.

Sanctorum Dicta, vim Constitutionum habent, puta ea, quæ Collectore Gratiano, ex scriptis Doctorum Ecclesiæ, autoritate Eugenii III. sub nomine Decretorum, juris nomen & vim acceperunt, & Sacris Canonibus inserta sunt.

Jus Canonicum non-scriptum, in Ecclesiæ Romanæ Consuetudine recepta consistit: eaq; si neque bonis moribus, neq; decretis, neq; Conciliis adversetur, scriptæ constitutionis vigorem habet.

Stylus Curiæ Romanæ, sive formula, qua Aulæ Romanæ Curiales in negotiis expediendis utuntur, ubi jus non est contrarium, in decisionibus allegari potest.

Omne

Omne Jus Canonicum verſatur vel circa Perſonas, vel Res, vel Judicia.

Titulus 3.
De Jure Perſonarium.

P*Erſonæ*, *quæ Jure Canonico conſiderantur*, ſunt vel Laici, vel Clerici.

Laicus eſt, qui in popularibus ſeu temporalibus negotiis occupatur.

Clerici ſunt, qui ſunt Miniſtri Eccleſiarum, in ſortem Domini ſic electi.

Clerici diſtinguuntur in *Regulares* ſive Religioſos, & *Seculares*.

Clerici Regulares ſunt, qui, omnium maxime religioni ſe devoventes, monaſteriorum anguſtiis circumſcripti, ſub unius Prælati nutu, propriis omnibus ſponte exuti, & continentiam profeſſi, degunt.

Clerici Seculares, ſunt omnes illi, qui genus aliquod Monaſticæ vitæ non ſunt profeſſi.

Clericorum Secularium, alii in *Majoribus*, alii in *Minoribus* Ordinibus ſunt conſtituti.

Qui in Majoribus Ordinibus conſtituti deprehenduntur, exiſtunt vel in *ſuperiori*, vel in *inferiori gradu*.

In Superiori gradu, ſunt Summus Pontifex, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi ſeu Metropolitani, & Epiſcopi.

In Inferiori gradu ſunt, ſimplex Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus.

In Minoribus Ordinibus conſtituti, ſunt Pſalmiſta, Oſtiarius, Lector, Exorciſta, & Acoluthus.

Titu-

Titulus 4.

De Clericis in Majoribus Ordinibus conſtitutis, ſupremi gradus.

S*Vmmus Pontifex*, eſt B. Petri ſucceſſor, unitatis Eccleſiaſticæ fundamentum, & totius Eccleſiæ caput. Is quæſtiones de fide, majoresq; Eccleſiæ cauſas decidit, Concilia congregat, Epiſcopos transfert, & eorum ſedes mutat; ipſos deponit, depoſitos reſtituit, ceſſiones ab iis accipit; eos, ne cui alii quam Sedi Apoſtolicæ parere teneantur, eximit; Epiſcopatus duos unit; unum partitur; vota commutat; illegitimos dignitatum capaces reddit; appellationes ad ſe, mediis omiſſis, interpoſitas, admittit; de iis cognoſcit; ſententias nulli appellationi ſubjectas fert.

Attamen, ex aliquorum opinione, poteſtas ejus Generali Concilio ſubjacet, ceu in Conſtantienſi, & Baſilenſi Concilio eſt definitum: eaque conſtans eſt ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, omnium Parlamentorum, & Vniverſitatum Galliæ.

Pontifex olim a Clero & Populo, item a Concilio, vel etiam ab omnibus Epiſcopis creabatur. Deinde, propter illorum colligendorum difficultatem, a Cardinalibus, & ex Cardinalibus, eligi cœpit, ac ab Oſtienſi Epiſcopo conſecrari.

Cardinales, ſunt tanquam Senatores Pontificis, ſeu Senatus Eccleſiæ, & ſic dicuntur a *Cardinibus*, id eſt Regionibus, in quibus ſunt inſtituti. Fuerunt ab initio Parochi Vrbis; eorumq; autoritas crevit, poſtquam Nicolaus II. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut illi ſoli eligerent Pontificem.

Cardinales diſtinguuntur in Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos, habita ratione titulorum, quibus in-

quibus insigniuntur: iisq; Innocentius IV. dedit *Vestem rubram*, *rubrumq; Pileum*; Vrbanus vero VIII. ipsis *elogium Eminentissimorum* tribuit.

Cardinales apud Pontificem *in Consistorio* congregantur: ibi omnia, quæ ad cultum divinum, ac fidem Christianam, religionem, & pacem orbis Christiani, ac conservationem temporalem Ecclesiæ Romanæ pertinent, tractantur.

Cardinales, sede Pontificatus vacante, Ecclesiam regunt; illorumq; *numerus* non est definitus.

Patriarchæ sunt, qui primum post Romanum Pontificem tenent locum: quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus. His conceditur, ut suis Metropolitanis Pallium, a Romano Pontifice acceptum, tribuant; ut crucem sibi præferri jubeant ubiq; in suo Patriarchatu: habentq: sub se plures Metropolitas, a quibus ad eos appellatur.

Primates, alii sunt iidem cum Archiepiscopis & Metropolitis, alii sunt illis superiores, ac multarum provinciarum curam gerunt.

Archiepiscopi, totius Provinciæ Episcopis præsunt, eosq; electos & confirmatos consecrant, ac deponunt; Concilia Provincialia convocant. Habent vero Archiepiscopi in Suffraganeos, non in Suffraganeorum subditos, paucis articulis exceptis, potestatem.

Episcopi simplices sunt, qui uni tantum præsunt Diœcesi. Ii soli in Ecclesia Chrisma conficiunt, Altaria & Ecclesias consecrant, pollutas repurgant; Virgines velant; Clericos ordinant, suspendunt, deponunt; delinquentes excommunicant; dispensant; solemnem pœnitentiam imponunt.

In Episcopis instituendis duæ potissimum Regulæ obtinent. Prima est, duos Episcopos in eadem Civitate institui non posse: ne unum corpus Ecclesiæ, quasi monstrum, duo habeat capita, *can. 8. Syn. Nicænæ.* Invaluit tamen, Episcopo seniori aut ægrotanti *Coadjutorem* dare, qui sit Episcopus, & Episcopali munere fungatur, cum futura successione. *Secunda Regula* est, ut Episcopi non instituantur in vicis, in villis, nec in minoribus oppidis. In eam rem multos Canones exscribit Gratianus *dist. 80.* quod ita placuit, ne vilescat nomen Episcopi, si non habeat se dignam frequentiam.

Aucto olim fidelium numero, quia Episcopi, in regenda urbana plebe occupati, in agros excurrere, & Sacramenta rusticis administrare non poterant, ideo hi Vicarios assumebant, in quos magnam partem potestatis transferebant: ii *Chorepiscopi* dicti; illisq; concessum, Subdiaconos, Lectores, Exorcistas ordinare, non autem Diaconos aut Presbyteros, nisi impetrata ab Episcopo potestate.

Titulus 5.
De Electione.

Episcopi, cæteriq; Prælati, ad dignitates, vel Electione, vel Postulatione promoventur.

Electio, est alicujus personæ idoneæ ad prælaturam canonice facta promotio.

Pertinet Prælati Electio ad Collegium, cui Pastor quæritur, & ad eos, qui pacto, vel privilegio, vel consuetudine, hoc jus obtinuerunt; nisi jure eligere prohibeantur.

Prohibentur eligere impuberes, ii, qui sacris ordinibus non sunt decorati, excommunicati, laici sive con-

conversi, qui scientes indignum elegerunt, absentes. Postremi tamen, si juste impediti absint, uni vel pluribus ex Collegio vicem suam, sed in solidum, mandare possunt.

Eligi debent idonei, non jure prohibiti: quales sunt, minor 30. annis, spurius, indoctus, excommunicatus, suspensus, Simoniacus, avarus; qui plura beneficia curata habet; qui a laico antea se eligi passus; qui in sacris ordinibus, saltem Subdiaconatu, non est constitutus; schismaticus, corpore mutilus, neophytus, sive, qui propositum sacræ religionis noviter assumsit, vel, ut alii interpretantur, qui nuper Christianam fidem amplexus est.

Qui sciens inidoneum elegit, per triennium ab electione arcetur.

Non potest fieri Electio, nisi Ecclesia, vel per Episcopi mortem, vel remotionem, vel renunciationem validam, vel ad aliam Ecclesiam transitionem, aut religionis ingressum, vacet.

Facienda est electio *intra tres menses*: cæteroquin jus eligendi amittitur, & ad Superiorem devolvitur.

Institui debet in Ecclesia Cathedrali; & citari debent omnes, qui eligendi jus habent.

Electio fit tribus modis: Per Scrutinium, Compromissum, & Inspirationem.

Electio per Scrutinium est, cum, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumuntur tres de Collegio, qui sigillatim & clam vota omnium exquirant, &, in literas redacta, deinde publicent: atque, tum electus censetur is, in quem omnes, vel major & sanior Capituli pars consentit.

In

In Electione Papæ, id peculiare eſt, quod neq; citatio eſt neceſſaria, neq; abſens votum ſuum alii demandare, neq; a paucioribus, quam a duabus tertiis Cardinalium, electus pro Papa ſe gerere poteſt.

Electio per Compromiſſum, eſt, cum eligendi poteſtas uni, vel pluribus viris idoneis, ſive de Collegio, ſive extra Collegium, ab omnibus, qui jus eligendi habent, committitur, qui, vice omnium, vel loco vacanti proſpiciant, vel alios, qui hoc faciant, eligant.

Electio per Inſpirationem eſt, cum ſimul omnes electores, quaſi divino impulſu commoti, nullo tractatu præcedente, in unius electionem conſentiunt. Ea, ut legitima habeatur, neceſſe eſt, ut citra vitium ſimoniæ, conſpirationis, requiſitionis, vel conſenſus extra capitulum, facta fuerit.

Titulus 6.
De Poſtulatione.

P*Oſtulatio*, eſt concors Capituli petitio, ut is in Prælatum promoveatur, qui non propter animi vel corporis vitium, ſed ob alium defectum, propter quem non eſt inhabilis ad proſpiciendum Eccleſiæ, veluti, quia eſt minor triginta annis, aut laicus, in minoribus ordinibus, illegitimus &c. eligi nequit. Proinde, ſi quis ad Epiſcopatum poſtulandus, Pontifici, ſi ad dignitatem Epiſcopatu inferiorem, ei, qui confirmandi jus habet, poſtulatio porrigi debet, dummodo impedimentum, quod removeri poſtulatur, ille poſſit abolere.

Poſtulatio ſit, vel per ſcrutinium, vel per compromiſſum, &, ut valeat, neceſſe eſt, ut ex tribus partibus, duæ in eam conveniant.

Si Postulatio nondum Superiori porrecta fuerit, invito postulato, ab iis, qui postularunt, revocari potest: non enim ex postulatione, sed ex admissione, postulato jus quæritur.

Titulus 7.

De Confirmatione Electionis.

Electione facta, & scripturæ publicæ credita, *Electo octo dierum spatio offerri*, ejusque consensus peti debet. Hanc, si acceptet, *intra mensem assensum* præstare tenetur.

Assensu præbito, electus *Confirmationem ab eo Prælato petere debet*, cui dignitas, ad quam electus, immediate subest. Hinc Episcopum confirmabit Metropolitanus; hunc, Patriarcha; Patriarcham, Summus Pontifex.

Petenda olim erat Confirmatio *indistincte intra tres menses:* sed postea obtinuit, ut, si *a Summo Pontifice* confirmatio proxime pendeat, electus ad illum intra mensem iter arripiat, intra tempus, pro modo itineris definiendum, eam petiturus.

Prælatus, a quo Confirmatio petitur, quamvis sine legitimo impedimento eam denegare non possit, non tamen temere eam debet concedere, sed vel peremtorium terminum præscribere, intra quem, si quis contra electionem opponere voluerit, id facere possit; vel, si quis simul electus, eum nominatim citare debet. Licet vero nemo se opposuerit, nihilo secius diligenter processum electionis, & electi personam examinare, & indignum rejicere, dignum confirmare oportet.

Confirmatus jurat fidelitatem Pontifici, & de non alienandis bonis Ecclesiæ. Atq; quia per Confirmatio-

tionem matrimonium cum Eccleſia ratificatum eſſe dicitur, hinc nanciſcitur confirmatus ea, quæ ſunt jurisdictionis; puta, poteſtatem judicandi, excommunicandi, corrigendi, juramenta a vaſallis accipiendi: item confirmandi, inveſtiendi, & beneficia conferendi.

Titulus 8.

De Conſecratione.

C*Onſecratio* eſt, quæ fœdus conjugii ſpiritualis, inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod electione fuerat initiatum, confirmatione ratificatum, conſummat. Atq; per Conſecrationem peragit Electus ea, quæ ſunt Ordinis, uti ſunt Clericorum ordinatio, & actualis depoſitio, Chriſmatis confectio, Virginum benedictio, Eccleſiarum & Altarium conſecratio.

Peti & expediri debet Conſecratio, intra tres à Confirmatione menſes, niſi legitimum ſubſit impedimentum.

Epiſcopus conſecratur à tribus minimum ejus provinciæ Epiſcopis, cæteris conſentientibus, præcedente Archiepiſcopi juſſu; aut ab ipſo Archiepiſcopo, una cum Suffraganeis. *Archiepiſcopus* ab omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis conſecratur, in ſede Metropolitana.

Fit conſecratio, unctione capitis & manuum chriſmate, ſolemnibus verbis precibusq;, prævia examinatione. *In Abbatibus* vero, loco conſecrationis, eſt benedictio.

Titulus 9.

De Receptione & Vſu Pallii.

PAtriarchæ, Archiepiſcopi, & quidam Epiſcopi, licet confirmati & conſecrati ſint, tamen non habent pleniſſimam officii adminiſtrationem, Pallio nondum impetrato.

Pallium, eſt ornamentum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & quorundam Epiſcoporum, quod de corpore B. Petri ſumitur, & Paſtoralis officii plenitudinem deſignat. Exiſtit vero Pallium faſcia latitudinis trium digitorum, ex candida lana linoq; confecta, habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ſeu chordulas, ab utraq; parte ante & retro pendentes, item quatuor cruces nigras ſeu purpureas, quarum una ad pectus, altera retro in humeris jacet, cæteræ hinc inde brachia exornant. Fuit id quondam genus Imperatorii indumenti, ad talos usq; demiſſi, cujus uſum, ſibi ſolis reſervatum, Imperatores deinde Patriarchis communicarunt.

Pallium dicitur *ſumtum de corpore B. Petri*, quia Altaria primum erigi cœperunt ſuper ſepulchra Martyrum & Confeſſorum.

Paratur Pallium hac ratione: Die 21. Januarii, quo B. Agnetis feſtum celebratur, in ejus templo, dum in ſacris miniſteriis canitur Agnus Dei, duo candidi agni ſuper ara ſtatuuntur, & Subdiaconis D. Petri traduntur. Agni in paſcua miſſi, verno tempore tondentur: ex ea lana, alii permixta, & a Monialibus S. Marthæ in fila diducta, Pallia texuntur, quæ in extremo firmantur tenuibus laminis plumbeis. Tum ad Aram Beatorum Petri & Pauli deferuntur; ibi ſolemnibus precibus a Papa con-

consecrantur, & per noctem relinquuntur. Mane, illa Subdiaconi recipiunt & servant, donec Archiepiscopis concedantur: & si præsens sit Archipræsul, de Ara Pallium accipit: absentibus magna cum veneratione mittitur, nec deferens ultra unam noctem in eodem loco morari debet.

Pallium cum defuncto Archiepiscopo *sepelitur*. Et quia eminentiam ac superioritatem notat, ideo extra provinciam eodem Archiepiscopus non utitur.

Ad Pallium suscipiendum, intra tres menses, quilibet Metropolitanus electus, confirmatus, & consecratus, ad Apostolicam Sedem mittere debet; eoq; nondum impetrato, ea, quæ sunt Ordinis, peragere nequit.

Summus Pontifex semper & ubiq; in Missarum solemnibus Pallio uti potest: *Metropolitani* vero, non nisi in certis diebus festis; qui sunt: Nativitas Domini, festum S. Stephani, & S. Johannis, cum Circumcisione, & Epiphania; in Ramis palmarum, in Cœna Domini, in octava Paschæ, Pentecostes, in Dedicationibus Ecclesiarum, in Ordinationibus Clericorum, & in consecratione Episcoporum, ac in die anniversariæ Consecrationis Ecclesiæ.

Non licet Pallium alteri commodare. Quin, & si quis permutatione, vel quavis alia ratione fit alterius Ecclesiæ Metropolitanus, novum parare Pallium cogitur; nec minus quisq; cum suo Pallio est sepeliendus.

Titulus 10.
De Translatione, Renunciatione, & Depositione.

TRanslatio, est dissolutio vinculi, quo Episcopus priori Ecclesiæ erat junctus, & ad Ecclesiam

aliam transitio, facta autoritate Summi Pontificis.

Concedit hanc Pontifex, Episcopo etiam invito, vel propter *Utilitatem*, quia verisimile, Episcopum alibi plus profuturum; vel propter *Necessitatem*, quia non potest Episcopus in Ecclesia, in qua residet, ob persecutionem, seu metum hostilem, officio suo defungi.

Qui Ecclesiam suam sponte deserit, amittit utramq;, & propriam, quam arroganter sprevit, & alienam, quam contra jus per avaritiam ambivit.

Renunciatio, est juris in Episcopatu quæsiti spontanea remissio, ex certis causis, & cum autoritate Superioris facta.

Justæ causæ, ob quas Renunciatio recipi debet, sunt: Conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, irregularitas, uti si sit bigamus, aut viduæ maritus.

Depositio seu Degradatio, est de gradu, in quo positus erat Episcopus, præsente certo Episcoporum numero, facta dejectio.

Titulus II.
De Permutatione.

P*Ermutatio* est, cum quis alicui cedit beneficium suum, ut aliud in vicem, ab eo resignandum, consequatur.

Fieri debet Permutatio legitima de causa, in manus Episcopi vel Episcoporum, quorum jurisdictioni beneficia permutanda subsunt.

Potest permutari unum beneficium cum pluribus, & plura cum uno, simplex cum curato, & contra.

Titu-

Titulus 12.

De Officio Archidiaconi, Archipresbyteri, Suffraganei, & Vicarii.

QVia Episcopi grave est & late patens munus, ideo in partem solicitudinis vocantur Archidiaconus, Archipresbyter, & Vicarius.

Archidiaconus, est Vicarius proximus Episcopi, omnem solicitudinem & curam, tam in Clericos, quam in Ecclesias eorum, cognitionemq; & ordinariam jurisdictionem habens. Dignior est Archidiaconus Archipresbytero, quia ille curam habet fori contentiosi, hic tantum exercet curam fori pœnitentialis.

Officium Archidiaconi est, omnia Ecclesiastica officia, ut rite expediantur, providere: Acoluthos ordinare, eorum officia dividere; vasa, usibus Ecclesiæ dicata, custodire; de tertio in tertium annum Diœcesin, & Ecclesias Episcopo subjectas, parochiam propriam singulis annis visitare; quæ emendatione indigent, corrigere; promovendos ad sacros ordines examinare, & postea Episcopo sistere; jurgia singulorum audire, ac cognitionem & jurisdictionem ordinariam exercere.

Archipresbyter, est Prælatus, cæteris Presbyteris eminentior, vicem Episcopi in spiritualibus gerens. Estq; vel *Vrbanus*, domi in cathedrali Ecclesia officio suo fungens; vel *Ruralis*, qui foris partes suas agit.

Vrbanus Archipresbyter, vicem Episcopi absentis gerit, curam præsentis minuit. Quippe, officia sacra, in cantanda Missa, benedictionibus conferendis, Sacramentis administrandis curat; pœnitentem in-

ſirmum reconciliat, pœnitentiam injungit. Habet jurisdictionem voluntariam, non contentioſam, nec territorium ullum, niſi in foro pœnitentiali.

Suffraganeus ſublevat Epiſcopum, ſacros ordines conferendo, baptizatos confirmando, altaria conſecrando, & id genus alia exercendo, quæ ipſi Epiſcopo competunt.

Solet autem Suffraganeo, ne videatur promotus ſine titulo, aſſignari locus in Græcia, vel alia regione per infideles occupata.

Vicarius eſt, qui, abſente aut impedito Epiſcopo, ejus vices gerit.

Conſtituuntur Vicarii, vel ad divina miniſteria celebranda, & nomen retinent: vel ad jurisdictionem exercendam, & *Miſſi Dominici* appellantur. Vtrique tales ſunt, vel in perpetuum, vel ad tempus.

Habent Vicarii facultatem, adminiſtrandi tam ſpiritualia, uti ſunt excommunicare, ſuſpendere, confirmare, eligere, præſentare, viſitare, corrigere, punire, diſpenſare, vota commutare; quam temporalia, uti jurisdictionem tam meri quam mixti imperii, quo pertinet facultas alienandi, exigendi cenſus, reditus, & penſiones.

Gaudent Vicarii jurisdictione non delegata, ſed ordinaria, & eadem, qua Epiſcopi, unde non ad Epiſcopum appellatur a Vicarii ſententia, ſed ad Archiepiſcopum, etſi ab Archidiacono, deinde ad Epiſcopum appellatur.

Si Generalis ſit Vicarius, & ab Epiſcopo in curia ſua conſtituatur, *Officialis* dicitur: qui vero certæ Diœceſeos parti præficiuntur, *Foranei*, hoc eſt, Extranei appellantur.

Titu-

Titulus 13.

De Poteſtate Capituli, Sede vacante.

C*Apitulum*, eſt cœtus Canonicorum alicujus Eccleſiæ; atque Sede vacante, juriſdictio & poteſtas, quæ Epiſcopo competebat, tam in ſpiritualium quam temporalium adminiſtratione, ad Capitulum pertinet.

Sed, quæ Epiſcopalis Ordinis ſunt, non exercet Capitulum; verum ad id vicinum Epiſcopum evocat.

Sede vacante, nihil contra Eccleſiam poteſt novari, nec Capitulum ea poteſt præſcribere, quæ ſibi cæteroqui non competunt.

Titulus 14.

De Officio Legati & Delegati.

L*Egati Pontificis*, alii ſunt de Latere, alii Miſſi ſeu Nuncii Apoſtolici, alii Nati.

Legati de Latere ſunt Cardinales, qui ex latere Summi Pontificis ſumuntur, ejusq; nomine mittuntur in provincias.

Legati Miſſi ſunt, qui, extra ordinem Cardinalium, in provincias cum mandato Pontificis mittuntur.

Legati Nati ſunt, qui ratione privilegii, beneficii poſſeſſi, poteſtatem a Pontifice habent, tanquam ejus Legati.

Pendet horum Legatorum poteſtas, *ex mandati tenore*. Ideoq; non creditur Legato, niſi literas ſuæ legitimationis oſtendat.

Legati a latere ampliſſima eſt poteſtas. Licet enim ei quosvis excommunicatos propter manuum in Clericos injectionem abſolvere; beneficia non va-

vacantia, in Collegiata vel Cathedrali aliqua Ecclesia, suæ collationi reservare; vacantia, licet ad alicujus Clerici præsentationem spectent, conferre: & in summa, omnia fere potest, quæ soli Pontifici sunt reservata. Sed prohibetur tamen, dignitates Ecclesiarum Cathedralium majores post Episcopos, quæ per electionem conferuntur, sibi reservare, nec Episcopatus unire, aut dividere.

Finitur Legatorum officium, lapsu temporis, si ad certum tempus dati; revocatione Pontificis; relatione Pontifici facta; & morte ejus, si res sit adhuc integra.

Delegatus est is, qui sibi demandatam ab alio jurisdictionem exercet. *Differt a Legato*, quod Legatus a Summo Pontifice tantum, Delegatus ab illius Legato, a Delegato, & ab Ordinario delegari potest.

Titulus 15.
De officio Primicerii, Sacristæ, & Custodis.

PRimicerius, sic, ceu volunt, dictus, quod primus in cera, seu psallentium ordine describeretur, præest cæteris Clericis, præcipue in cantu dirigendo.

Sacrista, præter vasorum sacrorum, vestium consecratarum, & id genus aliorum ornamentorum custodiam, etiam luminarium in sacrario præparandorum, thuris incendendi, baptisterii instituendi, curam gerit.

Custodis officium est, ad Horas Canonicas pulsare, lampades accendere & extinguere, oblationes & eleemosynas singulis Clericis distribuere, atq; omni tempore ad Missam habere præparatum panem & vinum.

Titu-

Titulus 16.
De Sacerdote in inferiori gradu constituto.

SAcerdos sive Presbyter, est minister sacratus, cui ex ordine suo licet offerre, prædicare, aliove ministerio sacro fungi.

Est ergo Sacerdotum officium, Dominici corporis & sanguinis consecrationem celebrare, infantes baptizare, benedicere, pœnitentes absolvere, graviter decumbentes sacro oleo delinire. Potest insuper permittente Episcopo, aut extrema necessitate urgente, baptizatos sacro chrismate inungere, Virgines Deo dicare.

Titulus 17.
De iis, qui in Sacris sunt constituti.

IN *Sacris*, etsi Sacerdotes non sunt, constituti dicuntur Diaconi & Subdiaconi.

Diaconi, qui etiam Levitæ dicuntur, sunt Episcoporum & Ecclesiæ Ministri. Debent ergo Episcopum prædicantem, ne lædatur, custodire; Sacerdotibus celebrantibus assistere; Evangelium ad populum prædicare. Quod si vero extrema id postulet necessitas, licebit iis baptizare, & Eucharistiam populo largiri.

Subdiaconi, sic dicti, quia Diaconi præceptis subjacent, debent calicem & patinam ad altare deferre, Diaconis tradere, eis ministrare, urceolum, aquam, mantile, manutergium tenere.

Diaconi & Subdiaconi fiunt per manus impositionem. Atque Diaconi in ordinatione accipiunt librum Evangelii; Subdiaconi vero Calicem vacuum & Pa-

& Patinam vacuam; at Sacerdotes accipiunt Calicem cum vino, & Patinam cum pane,

Titulus 18.

De iis, qui nec in Sacerdotio, nec in Sacris ſunt.

QVi in *Minoribus Ordinibus* agunt, nec ſunt in Sacerdotio, nec in Sacris; quippe, ſine Sacramentali unctione, ſola Epiſcopi benedictione, cum quadam vaſorum vel indumentorum diſtributione, ordinantur. Tales ſunt, qui primam tonſuram tulerunt, uti Acoluthus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius.

Acoluthi, qui *Ceroferarii* alias dicuntur, ſunt, qui lumina cerea, & funalia deferunt, vinumq; pro Euchariſtia præparant. Mancipantur ad hoc officium, per cerei & urceoli vacui traditionem.

Exorciſtæ ſunt, qui catechumenis & energumenis manus imponunt, &, ſolemnibus quibusdam imprecationibus & obſecrationibus, dæmones fugare creduntur; a Salomone, una cum exorcizandi modo, inventi. Traditur his liber, quo exorcismi continentur.

Lectores ſunt, qui ſacras ſcripturas ex ſuggeſtu in Eccleſia populo legunt. Ordinantur per traditionem Codicis Teſtamenti.

Oſtiarii ſunt, ad quos Claves Eccleſiæ pertinent, ut templum Dei claudant & aperiant, & omnia, quæ intus extraq; ſunt, cuſtodiant, fideles recipiant, excommunicatos & infideles ingreſſu arceant. Accipiunt claves in Ordinatione. His omnibus, utut in minoribus Ordinibus conſtitutis, citra excommunicationis pœnam, a ſolo Pontifice, excepto mortis arti-

articulo, relaxandam, manus injuriosas injicere nemo potest.

Cum sic sint certi Clericorum Ordines, fas requirit, ut *majores minoribus dilectionem*, *minores majoribus reverentiam*, & interdum etiam obedientiam præstent.

Hinc *Majoritas*, dicitur prærogativa, qua quis cæteris paribus, vel inferioribus, dignior habetur, majoriq; honore est afficiendus.

Hujus *prælationis multæ possunt esse causæ*, uti, Ordo, Potestas, Tempus ordinationis, Dignitas ordinantis.

Abbas, *Ostiario posterior est*, quia omnes Monachi, qui non sunt Clerici, Clericis sunt inferiores.

Titulus 19.

De Ordinatione Clericorum.

ORdinatio, est personæ idoneæ, ad obeunda Ecclesiastica munera, consecratio. Estq; vel *Major*, quæ ordines Majores, vel *Minor*, quæ Minores confert. Utraq; fit ab Episcopis, in propria, non aliena diœcesi, propriis, non alienis subditis, nisi ordinarii Episcopi præcedente licentia. Minor ordinatio fieri etiam potest a Prælato non Episcopo, si quidem ordinandi non sint irregulares, id est promoveri non prohibeantur.

Prohibitionem Ordinationis infert Ætas, Vitium animi, corporis, vel originis: Vinculum Reale, Personale, Civile.

Ætas affert impedimentum: nec enim infans minoribus Ordinibus; minor 18. annis, Subdiaconatu; minor 28. annis, Sacerdotio; & minor 30. annis, Episcopatu initiari potest. Si tamen minor ordinatus fuerit,

fuerit, ab executione muneris, usq; ad legitimam ætatem, ſuſpenditur. Circa ætatem autem poteſt Epiſcopus, ut quis dignitatem vel perſonatum ſine cura animarum obtineat, diſpenſare.

Ob *vitium animi*, ordinari prohibentur, qui fuit furioſus, aut afflictione diabolica vexatus eſt; qui in ſcena luſit; qui crimini, quod peccatum mortale, cum perpetua infamia, inducit, addictus, ut homicida, adulter, perjurus.

Ob *vitium corporis*, ordinari non poteſt, qui ſibi volens, vel virilia, vel digitum, vel pedem amputavit; ſi autem vi vel medicorum conſilio, id factum ſit, nullum exinde oritur ordinationis impedimentum; quod tamen affert oculus, etiam per caſum tantum excuſſus, maxime, ſi ſiniſter fuit, qui oculus canonis dicitur.

Ob *vitium originis*, ordinari prohibentur, illegitimi, ex quocunq; coitu extra matrimonium procreati. Admittuntur tamen ad minores ordines, cum diſpenſatione Epiſcopi; cum Papæ, ad majores.

Ob *vinculum Reale*, ordinari vetantur, qui, ſive publicam, ſive privatam rem geſſerunt, niſi adminiſtratione finita rationes reddiderint.

Vinculum Perſonale, ordinationem impedit in ſervo, niſi per manumiſſionem libertatem ſit conſecutus; in Monacho, niſi Abbas conſenſerit.

Vinculum Civile, quo quis ita fori ſecularis coërcitioni ſe obſtrinxit, ut inde recedere non poſſit, ſimiliter ab ordinibus quem arcet, ut bigamum, qui, ne quidem uxore mortua, aut cum diſpenſatione, ad eos admitti poteſt.

Dicitur autem *proprie Bigamus*, qui ſecundas nuptias contraxit. *Improprie*, ſed tamen ut irregularitatem

tatem incurrat, Bigamus dicitur, qui ſciens uxorem adulteram cognovit, aut repudiatam duxit, vel viduam. Qui vero ab altero ductam, ſed non cognitam, duxit, irregularitatem non incurrit; uti nec is, qui multas habuit concubinas, ſi quidem pœnitentia impoſita cum eo diſpenſatur.

Non ſufficit, Sacerdotii Candidatum non notari vitio aliquo, quod ordinationem impedit, ſed & neceſſe eſt, ut ſit irreprehenſibilis, ſobrius, prudens, hoſpitalis, literatus, non vinolentus, aut percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non cupidus, ſed ſuæ domui bene præpoſitus, non neophytus.

Vt cognoſcatur, an quis talis ſit, adhibendum eſt *Scrutinium*, quod eſt inquiſitio ſcientiæ, morum, vitæ, fidei, inſtitutionis, patriæ, loci ubi educatus, generis, ætatis, ejus, qui ordines petit, per Archiepiſcopum vel Epiſcopum facta.

Inquiſitione per tres continuos dies facta, ii, qui probantur, *Epiſcopo præſentari debent*, qui Minores Ordines conferet diebus feſtis, Majores vero, non niſi ſtatis temporibus anni, quibus Jejunia ab Eccleſia indicuntur; & Sabbato ſancto, & Sabbato ante Dominicam de Paſſione. Diebus autem Dominicis, & aliis diebus feſtis, & ſabbato Pentecoſtes, ſolus Pontifex Majores Ordines conferre poteſt.

Qui, ſcrutinium ſubterfugiens, *furtive Ordines ſurripuit*, puta, multitudini ordinandorum ſe ingerendo, is & Majorum Ordinum ſuſcipiendorum ſpe, & Ordinis illius, quem ſuſcepit, executione privatur.

Qui *per Saltum*, id eſt, intermiſſis certis gradibus, promotus, ſi id factum per negligentiam, cogitur, quamvis characterem recipiat, tam diu a Majoribus abſtinere, quamdiu congruo tempore omiſſos accipere

pere distulit; si per Superbiam, ab Ecclesia abjici, nec amplius ordinari debet.

Ordinatione semel facta, ea, licet in Ordine quid sit prætermissum, *non iterabitur*: sed quoad fieri potest, id, quod per errorem, vel incaute neglectum, supplebitur; nisi omnino contra Ecclesiæ formam Ordinatio fuerit facta.

Titulus 20.

De Regularibus ac Monachis.

R*Egulares* dicuntur, qui certæ Regulæ, ut religiose, & sub Prælati imperio vivant, sive in clericatu, sive in laicatu, sunt adstricti. Hi, si Canonici sint, Canonici Regulares vocantur, sin minus, Monachi.

Monachus, fit vel paterna devotione, vel propria professione, vel voti emissione.

Ex paterna devotione fit Monachus, cum pater filium impuberem religioni offert. Hoc casu filius, post pubertatis annum, a Prælato monitus, si voluerit, monasterio egredi potest. At, si professionem fecerit, vel factam de se ratam habuerit, pœnitentiæ porro locus non conceditur.

Professio, est certæ religionis solennis promissio, qua se quis ad observationem certæ alicujus monachalis Regulæ obstringit.

Professio fit vel expresse, vel tacite.

Expresse fit Professio, quando quis post annum probationis, coram Abbate, Priore, aliove Prælato, universo Conventu præsente, habitum monachalem suscipiens, in scriptis promittit, se, quantum pro humana imbecillitate poterit, servaturum continentiam,

præ-

præstiturum Prælato obedientiam, & bona omnia repudiaturum.

Monachus nihil proprii habere potest, atq;, si citra licentiam Prælati peculium teneat, ab altaris communione removetur, &, si sic decesserit, sepultura privatur.

Tacite fit professio, cum ea ex sufficientibus conjecturis colligitur; uti si quis, post probationis tempus, in monasterio manens, habitum professorum susceperit.

Tempus Probationis, est anni spatium, ut Prælatus possit mores Novitii spectare, & Novitius experiri, an ea vita sibi placeat, & an eam possit tolerare.

Ætas faciendi professionem, si regula strictior esset, erat quondam ætas 18. annorum; sed ex Concilio Tridentino, ad faciendam in quacunq; religione professionem, anni 16. sufficiunt.

Obligatur quoque quis, ad religionis habitum assumendum, Voti emissione.

Votum, est alicujus rei faciendæ, vel non faciendæ, cum deliberatione animi, Deo facta promissio. Quod enim votum ex facilitate potius animi, quam discretionis arbitrio, emittitur, non est obligatorium.

Votum est vel Necessarium, sive Præcepti, quando quis in baptismo Sathanæ renunciat, &, se Deo fidelem fore promittit; *vel Voluntarium, sive Consilii*, quod quis libera voluntate facit, se ad ea obstringens, ad quæ ante votum non tenebatur: uti ad continendum, peregrinandum.

Vota semel facta obligant jure Divino: proinde ea implere necesse est, nisi vovens liberam voluntatem non habeat; uti si servus voveat sine consensu domini, impubes sine consensu tutoris. Sic, nec obli-

gant vota turpia, item conditionata; nec ea, quæ, ex justa causa, superiorum autoritate fuere redemta, vel mutata.

Religiones præcipue sunt quatuor: Basilii, Benedicti, Augustini, & Francisci; e quibus, tanquam fontibus, reliquæ manarunt.

Ad arctiorem Regulam a laxiore, petita, licet non impetrata, a Prælato venia, *transire Regulari conceditur.* Sed Mendicantes Religiosi, quales sunt, Augustiniani, Dominicani, Franciscani, & Carmelitæ, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, ad ullum Ordinem Monasticum, Carthusiensium excepto, transire, sub pœna excommunicationis vetantur.

Abbas de congregatione Monachorum eligi debet, cui hi obedientiam præstant: is vero diligenter attendere debet, ut Monachi Statum, id est Regulam, observent.

Status consideratur, circa habitum, mores, disciplinam, conversationem, continentiam, obedientiam, paupertatem, abstinentiam ciborum, temperantiam, modestiam.

Titulus 21.

De Abbatissis & Monialibus.

ABbatissa, est fœmina canonice electa, ut Monasterio Sanctimonialium præsit, ne quid illud detrimenti patiatur: præcipue vero, ut sacratarum Virginum diligentem curam habeat, quo in lectione, Psalmorum modulatione, omniq; officio strenuæ sint, atq; ut his, in omnibus operibus bonis, præbeat ducatum. Appellantur Abbatissæ alio nomine *Priorissæ;* Prælatæ tamen proprie vocari nequeunt.

Ele-

Electio Abbatissæ pertinet ad Monasterium, cui illa præfici debet. *Habent jus eligendi*, Moniales omnes, etiam interdum, occasione id flagitante, Conversæ, nisi si quæ jure hoc facere prohibentur. Tales sunt: Moniales minores 12. annis, excommunicatæ, suspensæ ab officio, interdictæ, quæ scientes indignam elegerunt, eæ, quæ non elegerunt intra tempus præscriptum, & irregulares.

Abbatissa eligenda, oportet non sit minor 40. annis, & ut 8. annis post professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus prædita non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi potest. Si hoc quoq; incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex his, quæ in eodem Monasterio annum tricesimum excesserint, & quinq; saltem annis post professionem recte vixerint, eligatur.

Præest Electioni Ordinarius Episcopus, si Monasterium ipsi, aut Sedi Apostolicæ immediate sit subjectum; Prælatus vero Regularis, si Monasterium fuerit exemtum. Atq; illi sive Episcopo, sive Prælato, a Monialibus significandum est tempus, si quæ instituenda est, electionis, ut illo ingruente, minimum duobus testibus comitatus, ad Monasterium se conferat.

Peragitur electio regulariter apud fenestellam Communionis. Ad eam Præses electionis ordine unam post aliam evocat, interrogatq; singulas, quam Monialem in Abbatissam eligant. Vota Præses in chartam describit, eamq; Abbatissam postea declarat, quæ plura ultra medietatem suffragiorum, aut duas ex tribus partibus, tulit.

Quod *si Moniales circa electionem dissentiant*, statuit illis Præses tempus, intra quod a simultate discedere debent; eo elapso, si nec dum convenerint, Præses Abbatissæ designandæ jus habet.

Inauguratio Abbatissæ, fit porrectione Pedi, collocatione in Sedem, & formula: *Accipe plenariam & liberam potestatem, regendi hoc monasterium, & congregationem ejus, & omnia, quæ ad illius regimen interius, & exterius, spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur.*

Abbatissa in Moniales exercet solam potestatem domesticam, qualem habet materfamilias in liberos, &, quæ in hortatione ac correctione consistit. Vnde, si delictum aliquod graviorem pœnam postulet, ad Prælatum proprium recurrere debet. Pariter nec exercet spiritualem jurisdictionem ordinariam. Hinc non potest imperare Monialibus præceptum spirituale, nec obligare eas in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ. Ita nec licet Abbatissæ dispensare circa jejunium, concionem e pulpito habere, aut benedicere Monialibus.

Circa administrationem bonorum temporalium sui Monasterii, liberam habet facultatem Abbatissa, nisi aliud consuetudine fuerit introductum. Itaq; contractus facere, quin & donare potest, dummodo donationes ad remunerandum fiant, & non excedant rationes redituum Monasterii.

Abbatissa Monasterio egredi non debet, nisi aut incendium grave, aut metus hostium, aut pestifera, vel epidemica lues, aut Summi Principis jussio, consentiente Episcopo, eam inde exire cogant. Hinc consequens est, quod *Abbatissa una, pluribus Mona-*

naste-

nasteriis præesse non potest, sed, cum plura ei obtingunt, uno excepto, reliqua intra 6. menses resignare debet; id, nisi fecerit, omnia ipso jure vacabunt.

In Italia communiter receptum est, ut Abbatissa non nisi *per triennium* Monasterio præesse queat, & tantundem temporis priva honore manere debeat, priusquam ei rursus ad hunc pateat aditus. *In Germania & Gallia* plerunque *ad vitæ dies* præfectura Monasterii Abbatissæ conceditur.

Religio Clausuræ Monasterii, nulla ratione temeranda est; ac Monasteria Monialium citra specialem licentiam ingredientes, sive viri, sive fœminæ, sive minores, sive adulti fuerint, non possunt absolvi ab hoc crimine, præterquam a solo Pontifice, citra mortis articulum. Ipse adeo electus Confessarius, nedum Medici, tonsores, & opifices, non aliter jus ingrediendi clausuram habent, nisi præstito juramento, quod sint 40. annorum, quodq; nonnisi claro die ingredi, & ante Solis occasum egredi velint.

Monialis, est virgo, quæ tribus votis, paupertatis scilicet, castitatis, ac obedientiæ, religioni se devovit, & in monasterio degit, Abbatissæ morem gerens.

Inter Moniales, etsi nulla est distinctio laicalium & clericalium, tamen id discriminis inter eas obtinet, quod aliquæ admittuntur tanquam *Choristæ*, ut vacent choro, eæq; recipiunt in professione velum nigrum: aliæ admittuntur solum, ut vacent ministeriis temporalibus Monasterii, & vocantur *Conversæ*.

Puella, quæ ordinem regularem suscipere vult, non debet esse minor 12. annis: atq; debet prius Episcopus, aut alius hujus nomine, diligenter explorare ejus voluntatem, annon coacta aut seducta sit; num sciat, quid agat? num possit legere, scribere, canere?

num fidei Articulos, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ teneat? ac tum, si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisitas juxta monasterii & ordinis regulam, consensum suum indulgebit.

Puellæ admittendæ, non debent esse scandalosæ, petulantes, excommunicatæ, hæreticæ, aut schismaticæ: item, nec morbosæ, dæmoniacæ, aut furiosæ, sed irreprehensibiles, ut sponsas Christi decet. Surdas vero, cæcas, claudas, mutas, & gibbosas, recipere jura non vetant, imo nec illicite corruptas, post pœnitentiam; etsi pro fœminis ejusmodi, repertus est peculiaris ordo, qui mulierum pœnitentiæ, seu S. Mariæ Magdalenæ, aut Convertitarum dicitur.

Non recipiuntur regulariter, nisi *duæ sorores*, in eodem monasterio: unde si tertia velit ingredi, debet secum afferre duplum dotis, & tamdiu carebit suffragio in Capitulo, donec una e sororibus decesserit e vita.

Post sex menses a receptione, datur virgini *habitus regularis*, ejusq; capilli tondentur usq; ad aures, ad indicandum, in religione resecanda esse vitia, & inordinatos carnis affectus, in capillis significatos; item, ut adimatur occasio comendi capillos, & ornandi caput, terendiq; tempus inutiliter. *Solet insuper ejus nomen immutari*, ut agnoscat, se ex præcepto Christi Lucæ XIV. debere renunciare omnibus, quæ in seculo possidebat, etiam proprio nomini. Deinde, ut fiat omnino alia, ne quidem nomine amplius noscenda. Denique quia immutatio nominis in divinis scripturis facta legitur, quando quis ad munus valde dignum fuit electus, uti cum Abrahamus, Pater credentium, Petrus, Christi vicarius, constituerentur.

No-

Novissime, Monialis totam se addicit Dei Ministerio. At, ceu est apud Chrysostomum Hom. 15. in c. 1. Genes. Hominibus mos est, hoc facere in signum dominii, ut, cum servos emerint, ipsorum nomina mutent.

Post receptionem inchoari statim potest annus probationis, quamvis id non sit necessarium; nam Professio usque ad annum 16. completum differri debet. Atq; hic annus est continuus, & computatur de momento in momentum. Quod si Monialis novitia ante professionem resiliat a religione, restituenda ei sunt omnia, quæ ipsa dedit monasterio in ingressu religionis, & quidem una cum fructibus, excepto tamen victu & vestitu.

Professio fit coram Episcopo, aut Prælato Regulari; nec valet, si profecta fuerit ex metu, vel errore, aut ignorantia; uti si novitia profiteatur, putans se non obligari in perpetuum; vel, per professionem se non privari dominio rerum; vel, Regulam sui Ordinis non esse tam asperam.

Vti Pater tenetur constituere *dotem* congruam filiæ nubenti; sic etiam monasterium ingredienti, ut cedat in ejus sustentationem.

Moniali profitenti datur *Velum*, ut agnoscat, se assumi in veram Christi sponsam: nam, apud veteres, sponsa, quando tradebatur viro, solebat velare caput.

Consecratio Monialium, quæ tamen raro peragitur, spectat ad Episcopum, isq; tradit Moniali Virgini, nec alicui Mendicantium Ordinum addictæ, quæq; 25. ætatis annum explevit, Velum Consecrationis: & fit hoc in Epiphania Domini, aut in Albis Paschalibus, vel etiam in natalitiis Apostolorum.

Possunt Moniales, non obstante voto paupertatis, retinere annuos reditus, ex bonis parentum assignatos, permittentibus id Prælatis, si Monasteria non habeant sufficientes reditus, quibus necessaria ad victum & vestitum, tempore sanitatis ac infirmitatis, suppeditentur, & iis non suppetat tantum tempus, ut labore manuum talem defectum possint supplere.

Violant Moniales votum castitatis, si deliberate capiant delectationem ex rebus venereis; si munusculis, literis, aut internunciis, turpes foveant amicitias; si obscœnis sermonibus, cantilenis, librorum amatoriorum lectioni, indulgeant; si osculis & amplexibus se delectent; si retineant obscœnas imagines, vel imaginem amasii; si indebite se ornent ad malum finem.

Clausuram introduxit Bonifacius VIII. & est ille locus, qui continetur clausa monasterii janua, ad quem externi nequeunt accedere, & extra quem Moniales non possunt egredi. *Violatur igitur clausura* duobus modis, quando nimirum monialis præter fas e monasterio egreditur, aut aliis facit ingrediendi potestatem.

Quæq; Monialis debet sola dormire: ideoq; tot cellæ in unoquoque monasterio faciendæ sunt, quot ibi degunt moniales, hisq; bis aut ter in anno assignandus Confessarius extraordinarius.

Visitatio Monialium, est actus, quo legitimus Prælatus, in Monialium statum & mores inquirit, ad corrigendos excessus, & promovendum bonum ipsarum, tam spirituale, quam corporale; idq; ex jurisdictione sibi competente, ad executionem sui pastoralis officii.

Con-

Confessarius Monialium, debet eligi ad tres annos tantum, isq; debet audire confessiones in sede confessionali, collocata in ipsa Ecclesia exteriori. Quod si ingrediatur ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, cellæ janua manet aperta, & ambæ comitatrices ad ejusdem cellæ januam morantur, ita ut confessarius ab eisdem commode cerni possit.

Monialis, communicans mane, vespere ejusdem diei iterum communicare potest, per modum viatici; & communicans paulo ante mediam noctem per modum viatici, iterum communicat jejuna, elapso quadrante post mediam noctem.

Titulus 22.

De Vita & Honestate Clericorum.

ÆQuum est, ut omnes Clerici, quia Domini sors sunt, & a Laicis officiis ac ordinibus sejungunguntur, sic hos vitæ honestate antecellere studeant.

Vitæ honestas Clericorum, vel ad negotia & officia eorundem, vel ad habitum & vestitum, vel ad mores attinet.

Circa negotia & officia incumbit Clericis, ne negotiis & commerciis secularibus se immisceant; ne usuras exerceant; ne mimis, jaculatoribus, & histrionibus operam suam impendant; ne alea aut tesseris ludant; ne chirurgiam, quæ ustionem aut incisionem exigit, exerceant; ne domi suæ accipitres & falcones alant.

Circa habitum corporis & vestitum requiritur, ut Clerici vestes suo Ordini congruentes amiciant, & nec comam, nec barbam nutriant, nec armati incedant.

Circa vitam & mores obſervandum, ut ab avaritia, crapula & temulentia ſint alieni; ne bibendi vel edendi cauſa tabernas intrent, niſi peregrinentur; ne concubinas alant. Matrem tamen, aviam, materteram, amitam, vel ſororem, ſecum tenere poſſunt; quia in talibus perſonis, naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari.

Clerici concubinarii, vel fornicarii, ſi tales ſint notorii, a beneficiis ipſo jure ſunt ſuſpenſi, atq; ſi, moniti ab Epiſcopo, non ſegregent a ſe concubinas, deponendi, ſacriſq; exuendi Ordinibus.

Notorius fornicator dicitur, qui vel palam in judicio fornicationem ſuam confeſſus eſt, *vel talis* eſſe legitime convictus, aut ſententia judicis condemnatus fuit; idq; vocatur notorium juris. Similiter notorius fornicator eſt, cujus crimen eſt publicum per evidentiam rei, ita, ut nulla tergiverſatione poſſit celari; quod vulgo dicitur notorium facti.

Titulus 23.

De Viſitatione per Prælatos facienda.

VT Clerici, quin & Laici, a vitiis abſtineant, debent Prælati, jurisdictionem habentes, loca ſibi ſubjecta *quolibet anno ſemel inviſere*, & diligenter in vitam, Eccleſiis vel piis locis miniſtrantium inquirere, eoſq;, ſi male audiant, ipſorum Ordinariis indicare, aut notoria crimina ulciſci: populus vero de colenda religione, pace, & innocentia monendus eſt.

Habent viſitandi poteſtatem Cardinales Legati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, proprio nomine. Alieno, nimirum Epiſcopi nomine, id peragunt,

agunt,

agunt, Archidiaconi, & Decani. Abbates, Prioresq;, monasteria, aliaq; loca sibi subjecta, similiter proprio nomine visitant.

Titulus 24.

De Privilegiis Clericorum.

CLerici, vitæ honestatem servantes, variis, tam circa Personas, quàm Res, & Actiones, gaudent privilegiis.

Personarum privilegia sunt, quod Clerici Laicis habentur digniores; quod hi illis non debent imperare, nec violentiam inferre; quod Clerici a muneribus personalibus sunt immunes; quod, si peregrinentur, ad verbum faciendum, &, oblationem consecrandam, invitantur.

Ob Res, quas Clerici secum non negotiandi causa deferunt, nulla pedagia, aut vectigalia solvunt: similiter res Deo consecratæ, & a Clericis possessæ, a censu liberantur.

Actiones, sunt vel Criminales, vel Personales. Cum ob Crimen, sive criminaliter, sive civiliter agitur, tantum coram Judice Ecclesiastico, minime vero Seculari, Clericus debet conveniri, adeo, ut a Seculari citatus, ne quidem per se, vel per procuratorem, clericatus exceptionem proponere cogatur.

Nimirum, *habent tantum Ecclesiastici in Clericos jurisdictionem*, nisi Laicis a Summo Pontifice in Clericos certi loci ea sit concessa, vel Clerici sint assassinii, degradati, aut in habitu seculari inventi fuerint delinquentes; vel Ecclesiastici Judices crimini puniendo non sufficiant.

Ob Actiones quoq; Personales, non aliter quam coram Ecclesiastico Judice Clerici conveniendi sunt. Quod

Quod tamen privilegium circa *Actiones Reales* non habent; nam, his debent conveniri, coram Judice loci, ubi res sunt sitæ; quippe, earum respectu, pro laicis habentur.

LIBER II.

Titulus 1.

De Rerum Divisione.

POst Personarum Ecclesiasticarum tractationem, *de Rebus Ecclesiasticis* instituenda disquisitio.

Res Ecclesiasticæ, sunt vel Spirituales, vel Temporales.

Spirituales Res sunt, quæ spiritui inserviunt, & animæ causa sunt institutæ. Suntq; vel *Corporales*, quæ tangi, & humanis sensibus percipi possunt: uti Sacramenta, res sacræ, sanctæ, religiosæ; vel *Incorporales*, quæ solo intellectu percipiuntur, uti virtutes & dona Dei, & ea, quæ in jure consistunt, qualia sunt patronatus, decimarum exactio, immunitas.

Temporales Res sunt, quæ non tam spiritus, quam corporis gratia, pro Ecclesiasticis ministeriis, sacrorumque ministrorum usu, sunt comparatæ.

Titulus 2.

De Sacramentis in genere.

S*Acramenta*, sic definiente Augustino, sunt invisibilis gratiæ visibiles formæ.

Sacramenta sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo sacer, Matrimonium, Extrema Vnctio. Ex his, alia sunt *Voluntaria*, ut Ordo, & Matrimonium: alia *Necessaria*, uti reliqua.

Sacra-

Sacramenta alia *characterem*, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, in anima imprimunt, proinde iterare ea non licet; uti Baptiſmus, Confirmatio, Ordo ſacer. Alia nullum imprimunt characterem, ideoq; poſſunt iterari; uti Euchariſtia, Matrimonium, Extrema unctio. In *Pœnitentia* diſtinguitur, num ſolemnis ea ſit, an non-ſolemnis; illa non iteratur, hæc vero utique.

Sacramenta efficaciam habent a Spiritu S. non a miniſtro, qui ea præbet: unde collata ab Hæretico, aut Simoniaco, ſi forma Eccleſiaſtica obſervata fuerit, virtute ſua non privantur, potiſſimum quoad characterem.

Qui Baptiſmum, Euchariſtiam, & Extremam unctionem conferunt, Pœnitentiam admittunt, & Matrimonium ſacrant, debent eſſe Presbyteri; qui confirmant, & ordinant, Epiſcopi.

Sacramentorum hic effectus eſt, ut gratiam conferant ſanctificantem; primam quidem, ut Baptiſmus & Pœnitentia: ſecundam vero, ſeu primæ augmentum, ut reliqua.

Baptiſmus, eſt Sacramentum intrantium; Confirmatio, tribuit robur pugnantibus; Euchariſtia, eſt viaticum progredientium; Extrema Vnctio, eſt ex hoc ſeculo euntium; Ordo, divinis inſervientium; Matrimonium, generantium.

Titulus 3.

De Baptiſmo.

B*Aptiſmus*, eſt Sacramentum novæ Legis, a Chriſto Domino inſtitutum, quo, per exteriorem corporis

poris ablutionem, interior ablutio animæ ſignificatur, & efficitur.

Baptiſmi ſubſtantia, conſiſtit in verbo & elemento; cætera, ad ſolennitatem ejus pertinent.

Verba ſunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Elementum, ſive materia Baptiſmi, eſt aqua vera & naturalis: nec refert, an calida, aut frigida ſit. Ex glacie vero, nive, aut grandine expreſſa, admittitur.

Baptiſmus minus ſolennis ita peragitur: Sacerdos, ſive alius baptizans, tantum profert verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen! ter fundendo parum aquæ, etiam non conſecratæ, ſuper caput baptizandi.

Solennitates, ab Eccleſia introductæ, ſunt, trina immerſio, triduanam Chriſti ſepulturam, & Trinitatis myſterium repræſentans; item exorciſmus, exſufflationes, ſalis benedicti exhibitio, ſalivæ contactus, chriſma, preces, Patrini.

Baptiſmum ſuſcipere poteſt quiſq;, etiam infantes, ægri, muti, ſurdi, modo pro his, ſi ipſi reſpondere non poſſint, alii adſint, qui reſpondeant; qui patres luſtrici ſeu ſpirituales, item patrini vocantur. Atq;, de jure communi, unus tantum vir, aut una mulier ad hoc officium præſtandum exigitur; vel ad ſummum duo.

Patrini vero eſſe prohibentur, Abbates, Monachi, Moniales, & aliæ perſonæ religioſæ, item, qui non ſunt baptizati, nec non parentes.

Judæi baptizandi, prius 40. dierum pœnitentiam & abſtinentiam agere debent. Dormientes & amentes, niſi ante ſomnum vel amentiam petierint baptizari, hoc ſacramento initiari non debent.

Bapti-

Baptismus debet conferri in Ecclesia, non in Abbatia, aut Monasteriis, ubi baptisteria erigere non licet; nec in ædibus privatis, nisi summa urgente necessitate.

Cum nececessitas cogit, quilibet etiam Laicus, Hæreticus, Paganus, Judæus, fœmina, imo & pater baptizare potest, servata forma & intentione Ecclesiæ. Sed, si adsit Sacerdos, præfertur Diacono; Diaconus, Subdiacono; Vir, Fœminæ; nisi, pudoris gratia, deceat fœminam potius, quam virum baptizare. Seipsum tamen baptizare, nemini conceditur.

Semel baptizatus iterum baptizari non debet: *in casu tamen dubio poterit baptismus iterum conferri*, his verbis: *Si baptizatus es, te non rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Presbyter non baptizatus, etiamsi sacerdotio fuerit initiatus, non tamen recipit Ordinis characterem, sed eum iterum baptizare & consecrare oportet. Si autem ab omnibus credebatur baptizatus, idemq; id credidit de seipso, & post mortem demum constitit, eum non fuisse baptizatum, tum omissio baptismi ei non nocebit, sed perinde id est, quasi baptizatus fuerit, quia, ut ait S. Augustinus, baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemtus religionis, sed terminus necessitatis excludit.

Præter Baptismum Fluminis, sive Baptismum proprie ita dictum, est quoque Baptismus Flaminis, & Baptismus Sanguinis.

Flaminis Baptismus est, quando quis per Spiritum S. mundatur, dum fidem suam coram persecutore confitetur, & dum, justo errore ductus, credit se fuisse baptizatum. Hoc Baptismo Apostolos & Disci-

Discipulos baptizatos fuisse, tradit Cyrillus Hierosolymitanus; etsi Tertullianus Baptismo fluminis eos initiatos esse asseverat.

Sanguinis Baptismus est, cum quis animam cum sanguine, ob Christum, effudit, antequam baptizaretur. Talis fuit Baptismus latronis in cruce, & sanctorum Innocentium.

Titulus 4.

De Confirmatione.

CONfirmatio, est Sacramentum novæ Legis, à Christo Domino institutum, quo, per solemnem Chrismatis in fronte, adhibita certa verborum formula, unctionem, confirmato, Spiritus S. illiusq; donorum plenitudo, ad Christianam fidem constanter tuendam, & perpetuo retinendam, conferuntur.

Formula est: *Ego te consigno signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Olim Confirmatio Infantibus una cum Baptismo conferebantur: sed, quia ad salutem non omnino necessaria est, & tantum prodest ad propugnationem fidei, cujus tuendæ infantes ante usum rationis incapaces sunt, ideo nunc ante hunc non confertur.

Confirmans, debet esse jejunus, & Episcopus; *Confirmandus* excedere debet septennium, & esse confessus, ac jejunus.

Patrini adesse debent, sed alii, quam qui fuere in Baptismo: atq; peragi potest Confirmatio *omni tempore*; solet tamen fieri in Pentecoste.

Titu-

Titulus 5.
De Eucharistia.

EUcharistia, est Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum, in quo, sub speciebus Panis & Vini, verum Christi Corpus, verusq; ejusdem Sanguis, continentur ac sumuntur.

Eucharistia, quatenus viam præbet perveniendi ad futuram Dei fruitionem in patria cœlesti, proprie dicitur *Viaticum*; quatenus per eam communicamus Christo, & unimur ad invicem, vocatur *Synaxis*, sive *Communio*; quatenus Domini passio per eam offertur, dicitur *Sacrificium*, vel *Missa*.

Materia Eucharistiæ, est panis triticeus azymus, (quamvis Græci fermentato utantur, in eoq; tolerentur) & vinum, ex uvis expressum; cui, ex traditione Ecclesiæ, paululum aquæ infunditur, ut declaretur duarum naturarum in Christo hypostasis.

Forma Consecrationis panis, sunt verba: *Hoc est corpus meum*: & consecrationis vini: *Hic est sanguis meus*. Atq; his verbis, tota panis & vini substantia, in corporis & sanguinis Christi substantiam, convertitur: quod *Transubstantiationem* vocant.

Eucharistiæ minister, est solus sacerdos, rite ordinatus, etiam irregularis, interdictus, ab ordine suspensus, depositus, & degradatus, Simoniacus, & publicus peccator; etsi hi omnes consecrare jure prohibentur.

Ætas legitima ad communicandum sacramentaliter est, quæ judicium habet distinguendi & dijudicandi sacramentum hoc corporis & sanguinis Domini, ab alio cibo quotidiano, seq; probandi, sive, uti vulgo loquuntur, cum quis attigit annos discretionis.

Probibentur communicare, ſcenici & hiſtriones, raptores rerum Eccleſiæ, nauſeam vel vomitum patientes, nocte heſterna ex nimia crapula vel cogitatione immunda polluti, infideles, notorie impœnitentes, excommmunicati, interdicti, hæretici. Morientibus tamen, ſi pœniteant, non denegandum hoc ſacramentum, etiamſi fuerint excommunicati.

Qui ſalutifere hoc ſacramentum volunt ſuſcipere, debent *confiteri* peccata, & injunctam implere pœnitentiam; debentq; eſſe jejuni.

Semel tantum die, niſi mortiferum crimen velit contrahere, tam Clericus quam Laicus Euchariſtiam ſumere debet.

Sumenda autem in tribus feſtivitatibus primariis, Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel ſaltem in feſto Paſchæ, a ſeculari; monachis & monialibus ſingulis menſibus ea utendum; qui ſecus faciunt, vivi, Eccleſiæ ingreſſu, & mortui, Eccleſiaſtica ſepultura prohibentur.

Hoc Sacramentum ſumunt Sacerdotes per ſe ipſi, dum Miſſam celebrant; extra eam, non ſecus ac Laicis, ſpecies panis illis tantum porrigitur.

Qui communicavit, & *eucbariſtiam ebrietate, vel voracitate evomuit*, ſi laicus, 40. diebus; ſi monachus aut clericus, 70. ſi Epiſcopus, 90. pœnitere jubetur. Ei, qui ex infirmitate id fecit, 7. dierum pœnitentia imponitur.

Titulus 6.
De Miſſa.

Miſſa, eſt ſacrificium incruentum, corporis & ſanguinis Domini, quod offertur in altari, cum precibus conſuetis, & lectione Evangelii.

Miſſa

Missa varia est, non quidem ratione Sacramenti, sed circumstantiarum, puta vel solennitatis, dum alia alta, alia submissa voce cantatur; vel temporis, dum alia fit quotidie, alia die feriata; vel eorum, pro quibus offertur, dum alia pro vivis, ægrotis, amicis, alia pro mortuis fit; vel eorum in quorum honorem offertur, qua ratione alia de Spiritu S. alia de Trinitate, alia de B. Virgine Maria dicitur.

Missæ partes sunt vel Essentiales, vel Accidentales. *Essentiales*, consistunt in Corporis & Sanguinis Christi consecratione & oblatione. *Accidentales*, sunt ceremoniæ, quibus consecratio & oblatio rite perficiuntur. Tales sunt, orationes, gratiarum actiones, benedictiones, oscula, manuum expansiones, elevationes, complicationes, genu flexiones, crucis signacula, communio, fractio hostiæ in tres partes, memoriæ Sanctorum, & alia his similia.

Missam celebrare possunt tantum Presbyteri; atq; hi quantum frequentius poterunt, id facere debent, sed semel tantum in die; excepto die Nativitatis Domini, quo quisq; Sacerdos tres dicit: unam circa mediam noctem; alteram in aurora; ultimam, hora debita, quæ est tertia, sive nona antemeridiana.

Celebrare debet Sacerdos confessus & jejunus, accenso lumine; amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, casula, indutus, in sacro altari, licet portatili, duobus sibi respondentibus.

Consecratio debet fieri in calicibus aureis, argenteis, aut stanneis; non ligneis, vitreis, aut cereis: & quidem super lineo panno, ab Episcopo consecrato, quem Corporale vocant, quod Pallæ insternitur.

Missam quisque in dominicis & festivis diebus in parochia sua integram tenetur audire, donec finita, & benedictio data.

Titulus 7.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

POenitentia, est Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum, quosdam Hominis pœnitentis & Ministri absolventis actus complectens. Est vero hæc *Externa*, atq; sic distinguitur ab *Interna*, quæ est virtus tantum mentis, & neutiquam Sacramentum.

Pœnitentia alia Publica est, alia Privata. Publica est vel Solennis, vel non Solennis. *Solennis* est, quæ ab Episcopo in capite jejunii, & nonnisi semel, pro criminibus maximis imponebatur. Hac affecti, non possunt communicare nisi in articulo mortis, nec licet eis secularem militiam exercere, in curia accusare, matrimonio jungi, ad sacros ordines adspirare.

Non Solennis, imponitur a Sacerdote publice, extra tempus quadragesimæ, ut quis ante fores Ecclesiæ stet, cum tæda ardente.

Privata Pœnitentia est, quæ in occulto fit, atque eam imponit Sacerdos pro tribunali confessionis, etiam pro peccatis gravioribus, sed occultis; occulta enim peccata, publice non sunt punienda.

Impositio pœnitentiæ est arbitraria: pœna enim imponenda est secundum peccatorum circumstantiam, adhibita contritionis pœnitentis, & qualitatis sexus, & ætatis delinquentis consideratione.

Sacramentum Pœnitentiæ constat partibus quatuor: Cordis contritione, Oris confessione, Operis satisfactione, & Peccati absolutione.

Cor-

Cordis contritio, eſt animi dolor, & peccati commiſſi deteſtatio, cum propoſito emendationis.

Contritio, alia eſt *perfecta*, *proprie Contritio dicta*, quando quis peccatum deteſtatur, propter Deum ſumme diligendum, autorem gratiæ, ac gloriæ: alia eſt *Imperfecta*, quæ dicitur *Attritio*, & eſt deteſtatio peccati, concepta, vel ob ejus turpitudinem, vel ob Gehennæ metum.

Contritionem, ut utilis evadat, ſequi debet *Oris Confeſſio*, quæ eſt plena & legitima peccati per os proprium detectio. Fieri debet Sacerdoti proprio ſeu Parocho, non alii, niſi ex ejus licentia electo, aut ex facultate ab Epiſcopo data. In caſu tamen neceſſitatis, ſi Presbyter haberi non poſſit, etiam laico confiteri licet. Poteſt & ſcripto fieri confeſſio, ſed a præſente tantum, non vero abſente.

Enarranda ſunt in confeſſione omnia & ſingula peccata mortalia, aperte, & diſtincte, quantum poſt diligens conſcientiæ examen fieri poteſt, una cum circumſtantiis, culpam notabiliter aggravantibus, aut minuentibus.

Venialia peccata, citra reatum, ſilentio premere licet: hæc enim recitatione Orationis Dominicæ, aquæ benedictæ aſperſione, generali confeſſione, Euchariſtiæ devota ſumtione, jejuniis, eleemoſynis, percuſſione pectoris, extrema unctione, & Epiſcopali benedictione poſſunt expiari.

Sacerdos, *cui confeſſio facta*, *adſtringitur ad Sigillum ſeu ſecretum Confeſſionis*, per quod religioſe occulere tenetur, non tantum peccata mortalia & venialia, quæ ei fuerunt revelata, ſed omne id, per quod peccatum in confeſſione detectum, directe, vel indirecte, in genere, vel in ſpecie, in notitiam poſſet

 per-

pervenire. Secus qui facit, aut Sacerdotio deponitur, aut intra arctum monasterium, ad agendam perpetuam pœnitentiam, concluditur.

Confessione facta, Sacerdos *imponit Satisfactionem*, quæ est pœnæ peccatis debitæ ac impositæ solutio, ut sic Deo fiat quædam compensatio, pro injuria ei illata.

Impositam Satisfactionem consequitur *Absolutio*, quæ est peccati commissi, & confessi, a Sacerdote remissio. Ea fit verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* præmissa oratione: *Misereatur tui omnipotens Deus, &, dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.*

Non habet quisque Sacerdos potestatem absolvendi a peccatis quibuscunque, sed in casibus tantum sibi commissis, nec aliis per sacros canones reservatis.

Remissiones, sunt *Indulgentiæ*, per quas tollitur pœna temporalis peccati, quæ remanet, sublata per confessionem & contritionem peccati culpa.

Indulgentiæ sunt vel Privatæ, quæ a singulis Sacerdotibus, qui curam habent animarum, dari possunt; vel *Publicæ*, quæ ab Episcopis, aut Summo Pontifice conceduntur. Atq; Episcoporum potestas limitata est ad certum tempus, certumq; numerum dierum: nimirum in consecratione Ecclesiæ ad annum unum, & in anniversario consecrationis est 40. dierum; solisq; subditis hæ indulgentiæ prosunt.

Plenissimam & generalem potestatem, indulgentias in nomine Domini concedendi, habet Romanus Pontifex, easque concedit, verbo, literis, & qualibet scriptura.

Cui conceduntur Indulgentiæ, debet esse Christianus, contritus, & confessus; ac oportet credere, se

illi

illi esse subditum, qui eas concedit, & ut impleat ea, quæ indulgentiæ implere jubent. Si quis tamen morte, aut alia causa impeditus, non possit ea adimplere, nihilo secius remissionem consequitur.

Titulus 8.

De Extrema Unctione.

EXtrema *Unctio*, est Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum, quod a Sacerdote per unctionem olei benedicti, certis precibus adhibitis, infirmo, in extremo discrimine posito, confertur.

Fit Extrema Unctio per unctionem, in modum crucis, pollice Sacerdotis, in partibus sensualibus, ex quibus origo peccati: quales sunt oculi, per visum; aures, per auditum; nares, per odoratum; os, per gustum; manus, per tactum; pectus, per appetitum; & pedes, per motum. Et vero in iis partibus, quæ geminæ sunt, geminatur unctio.

Materia Extremæ Unctionis, est Oleum olivarum, ab Episcopo benedictum, & quotannis, vetere combusto, renovatum. *Forma*, consistit in verbis: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum* (& sic de cæteris corporis partibus) *deliquisti.*

Extremæ Unctionis minister, est Sacerdos. Confertur ratione utentibus, & in vitæ discrimen, morbo naturali, non casu, deductis, idque, si fieri possit, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, aut saltem Contritione, præmissis.

Unctio hæc, delicta, si quæ sunt adhuc expianda, & *peccati reliquias abstergit*, & ægroti animum alleviat & confirmat: potestque iterari, si infirmus un-

ctus convalescat, & postea morbo iterum corripiatur.

Sunt & aliæ Unctiones. Nam, infantes, dum baptizantur, oleo Catechumenorum ante Baptismum, &, eo fere peracto, Chrismate inter scapulas & in pectore unguntur. Atque *Chrisma* ex oleo olivarum & balsamo conficitur, notatque oleum, nitorem conscientiæ, Balsamum vero, bonæ famæ odorem. Episcopi, cum consecrantur, & in capite & manibus, chrismate, Sacerdotes reliqui, simplici oleo olivæ per Episcopum benedicto, in manibus unguntur. Seculares Principes unguntur in brachiis & humeris, ad designandam illorum potestatem.

Titulus 9.
De Ordine.

ORdo, est Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum, per quod homo Deo consecratur, potestatemque recipit, publica munia, quæ ad ejus cultum, fideliumque salutem pertinent, exequendi.

Præter ea, quæ supra ad Ordinem attinentia monentur, quædam porro notanda veniunt. Scilicet, *ex omnibus Ordinibus unum tantum Sacramentum constituitur;* non autem singuli Ordines separatim Sacramentum efficiunt.

Examen Ordinandorum, præ cæteris incumbit Archidiacono, quem ideo Episcopus solet interrogare: An eum, quem exhibet ordinandum, sciat esse dignum? hic vero respondet: Se scire dignum esse, quantum humana fragilitas patitur. Atque ex responso Innocentii III. ad Episcopum Auriensem potest

poteſt Archidiaconus de eo teſtari, quod dignus ſit, quem indignum eſſe neſcit.

Ex decreto Concilii Tridentini, feria quarta ante Ordinationem, ſolent evocari omnes ad civitatem, in qua fit Ordinatio, ut per ipſum Epiſcopum, & alios prudentes ac peritos, quos adſciſcit, *inquiratur in Ordinandorum* genus, perſonam, ætatem, inſtructionem, mores, doctrinam, & fidem.

Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, regulariter Ordines conferre non poteſt. Inſpicienda tamen mens renunciantis: quippe, ſi renunciaverit tantum loco, ſeu diœceſi, non etiam dignitati, recte conferet Ordines vice alterius Epiſcopi, ab eo rogatus. Poteſt enim quis oneri Pontificali renunciare, & honorem Epiſcopalem retinere: quemadmodum & a Principe dignitates interdum conceduntur ſine adminiſtratione, quæ dici ſolent quietæ dignitates, & otioſa cingula.

Tonſuram ſuſcipere poteſt, qui Confirmationem ſuſcepit, ſi modo Chriſtianæ fidei rudis non ſit, ac legere & ſcribere noverit; *Minores Ordines*, qui ſaltem Latinam Linguam intelligit; *Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum*, quotquot probatæ ſunt vitæ & eruditionis, anterioresq; ſuſcepere; nec enim per ſaltum ſuſcipere Ordines licet.

Certa ætas, ſingulis Ordinibus ſuſcipiendis eſt definita. *In Tonſura*, & in aliis tribus minoribus Ordinibus, eadem ætas Concilio Tridentino retenta eſt, quæ jure veteri obtinebat, nimirum 7. anni. Ad *Acoluthatum* requiruntur anni 12. ad *Subdiaconatum* 22. ad *Diaconatum* 24. ad *Presbyteratum* 25. ad *Epiſcopatum* 30. ex Concilii Tridentini definitio-

ne, cum olim ad Subdiaconatum 18. ad Diaconatum anni 20. sufficerent.

Minister Ordinis, est Episcopus: ex dispensatione tamen Pontificis, simplex Sacerdos, quatuor Minores Ordines, quin & Subdiaconatum & Diaconatum conferre potest.

Similiter *Abbates*, *suis monachis*, Minores, quin Abbates Cistertii, ex privilegio Innocentii VIII. Subdiaconatum etiam ac Diaconatum, concedere possunt.

Semel Ordinatus non est iterum ordinandus, ob characterem indelebilem, animæ per ordinationem impressum. Vnde, si constet quidem de actu, sed aliquid solennitatis fuerit intermissum, id quod omissum est, statis temporibus, quibus Ordines conferuntur, caute suppleri debet.

Si quis ab alio, quam a suo Episcopo, ordinetur, iterum ordinandus non est, sed a susceptorum Ordinum executione tamdiu suspenditur, quamdiu Episcopo visum fuerit.

Filii Presbyterorum, vel ex alio illegitimo toro nati, ordinari prohibentur; nisi vitam monasticam amplecti velint, aut Ecclesiæ utilitas id postulet, aut natalibus per subsequens matrimonium, vel rescriptum Pontificis, fuerint restituti.

Filius Presbyteri, cum quo hoc modo dispensatum est, *non potest obtinere beneficium in eadem Ecclesia, in qua pater simile habet*, aut habuit, ne videatur velut hereditario jure Patri succedere: unde, ob hanc causam, etiam ex legitimo matrimonio natus, patri in eadem Ecclesia succedere prohibetur.

Titu-

Titulus 10.
De Sponſalibus.

SPonſalia, ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum. ſive: Sunt mutuus utrinque in matrimonium conſenſus. *Dicuntur a ſpondendo*, quia olim per ſolemnem verborum conceptionem ſpondebantur, hoc modo: *Spondes, te mihi uxorem futuram?* Reſpondente Sponſa: *Spondeo. Spondes, te mihi maritum futurum?* Reſpondente Sponſo: *Spondeo.*

Sponſalia ſunt vel de præſenti, vel de futuro.

Sponſalia de præſenti, ſic dicta, quaſi concepta per verba præſentis temporis, nihil aliud ſunt, quam contractus matrimonii, quippe fiunt per verba exprimentia præſentem conſenſum conjugalem: v. g. *Ego te accipio in uxorem.* Sunt ergo ipſum matrimonium, licet nondum conſummatum, aut benedictione Sacerdotali firmatum.

Sponſalia de futuro, quæ proprie Sponſalia, ſunt promiſſio futurarum nuptiarum, ut: *Ego te uxorem ducam.*

Sponſalia de præſenti contrahens, ſi peregre proficiſcatur, tum ſponſa ejus reditum expectare cogitur, nec prius cum alio contrahere poteſt, niſi certum acceperit de morte ejus nuntium. Secus ſe res habet in Sponſalibus de futuro.

Sponſalia de futuro, ſive proprie ita dicta Sponſalia, ſunt vel *Nuda & Simplicia*, cum ſimpliciter nuptiarum fit repromiſſio: vel *Firmata*, cum annulus, arrhæ, aut pignora dantur, vel juramentum interponitur.

Contrahuntur Sponſalia conſenſu, ſive is verbis, ſive re, ut annuli vel munerum datione, ſive literis, ſive

ſive per procuratorem exprimatur. Atque, poſterioribus modis, abſentes, muti, & ſurdi, ſponſalia recte contrahunt.

Contrahere Sponſalia poſſunt omnes, puta tam puberes, quam impuberes, qui ſeptennium exceſſerunt: quippe voluntas, quæ in naturali conſenſu acquieſcit, in eos, qui ſeptem annorum complerunt ætatem, cadit. Ante id tempus, ſi Sponſalia fuerint contracta, poſt annum ſeptimum, legitimo conſenſu, vel cohabitatione, aut nixu ad coitum, fiunt valida.

Non tantum quis ipſe Sponſalia contrahere poteſt, *ſed & alius pro eo*, ut pater pro filio, mater pro filia, patruus pro nepte, tutores & curatores pro pupillis; & alii. *Sed hæc effectum non habent*, niſi filius, pro quo pater nuptias ſpopondit, pubes factus, tacite; pro quo alii ſpoponderunt, hoc caſu expreſſe, conſenſerint. *Tacite* vero conſentire videntur, qui præſentes ſunt, & tacent.

Contrahi poſſunt Sponſalia, vel pure, vel adjecta die, vel ſub conditione.

Pure contrahuntur Sponſalia, cum vir & mulier, ſimpliciter & abſolute, ſe invicem futuros conjuges, pollicentur.

Dies Sponſalibus adjicitur, cum quis intra certum temporis ſpatium, aliquam ſe uxorem ducturum, promittit.

Sub conditione celebrantur Sponſalia, cum in aliquem caſum, vel eventum differuntur. Hæc, pendente conditione, non ſunt firma, nec ex eis obligatio oritur, niſi carnalis copula ſit ſubſecuta, aut conditio turpis fuerit, vel impoſſibilis.

Rite

Rite contractis Sponſalibus, contrahendi matrimonii neceſſitas Sponſis incumibt, ita ut ad hoc etiam cenſuris Eccleſiaſticis compelli poſſint. Quod tamen ita intelligendum, ſi fieri queat, ut ex nolentibus evadant volentes. Cæteroquin ſumma vi compelli non debent, ne quidem cum juraverunt, ſe matrimonium inituros. Ex duobus enim malis minus eligendum eſt: hinc, fidem frangere ſatius fuerit, quam aliquem cogere, ut eam ducat, quam odio habet.

Si Sponſalia conſequatur carnalis copula, verum efficitur marrimonium. Etſi enim non concubitus, ſed conſenſus, matrimonium facit, tamen hoc ipſo conjunctionis actu, conſenſus ſatis exprimitur: & Eccleſia præſumit, eodem ſponſum potius promisſionem ad effectum deducere, quam fornicationis crimen committere velle.

Si duo Sponſalia contracta ſint, priora præferuntur, etiamſi ſecunda jurata fuerint, non vero, ſi copula carnali firmata.

Oritur ex Sponſalibus juſtitia publicæ honeſtatis, cujus cauſa, conſangninei ſponſi, cum ſponſa, per mortem ſponſi, vel alio modo, ſponſalibus diſſolutis, matrimonium contrahere non poſſunt, & vice verſa.

Diſſolvuntur Sponſalia, mutuo conſenſu, etiamſi fuerint jurata; abſolutione judicis, ſi hanc petat pubes, qui impubes ſponſalia contraxit. Amplius ſolvuntur ſuperveniente affinitate, etiam per illicitam copulam; ingreſſu religionis; fornicatione, ſive corporali, uti ſi ſponſa ab alio, etiam per vim, ſtuprum paſſa fuerit; ſive ſpirituali, uti ſi alteruter in hæreſin inciderit; lapſu temporis, vel diei, ſive conventionalis, in contractu ſponſalium per contrahentes adjecti, ſive legalis, nulla a contrahentibus temporis

facta

facta mentione, puta triennii; defectu conditionis, capitali inimicitia inter sponsos superveniente; morum asperitate alterius; & deformitate, aut morbo contagioso subsequente.

His casibus solvuntur Sponsalia etiam sine autoritate Judicis, si causa notoria, quantum ad veritatem, quia vera, & quantum ad justitiam, quia de jure sufficiens, utpote in eo expressa. Si causa non sit notoria, opus est autoritate judicis, cui ea probanda.

Titulus II.
De Matrimonio.

M*Atrimonium*, est legitima conjunctio maris & fœminæ, individuam vitæ consuetudinem, & divini humaniq; juris communicationem continens. Dicitur *Conjunctio*, scilicet animorum, ut sit initiatum; & corporum, ut sit perfectum matrimonium. Atque *continet matrimonium divini humaniq; juris communicationem*; quia contrahentes debent esse ejusdem religionis: & propterea Christiani cum paganis, Judæis, vel Turcis, sub pœna excommunicationis, matrimonium contrahere non possunt.

Matrimonium aliud Legitimum est, & non ratum; aliud Ratum, & non legitimum; aliud Legitimum & ratum.

Legitimum & non ratum matrimonium est, quod inter Judæos & Infideles, juxta Leges Mosaicas, & forenses cujusq; loci, contrahitur. Dicitur *non ratum*, quia non est firmum, & repudio potest dissolvi.

Ratum & non legitimum matrimonium est, quod Christiani & Fideles, citra solennitates Canonicas, contrahunt. Dicitur *ratum*, quia inter fideles matri-

trimonium, semel inchoatum & completum, non potest dissolvi.

Legitimum & ratum matrimonium est, quod fideles, servatis canonum solennitatibus, celebrant.

Matrimonium porro est vel *Publicum*, quod in præsentia testium, servatis debitis solemnibus, fit; vel *Clandestinum*, quod non in conspectu Ecclesiæ, coram Parocho, adhibitis duobus vel tribus testibus, nec observatis debitis solemnibus, vel trina denunciatione præmissa, est contractum.

Presbyteri, si Clandestinum Matrimonium promoveant, aut ei interfuerint, per triennium suspenduntur, aut, si culpæ qualitas postulaverit, gravius puniuntur. *Liberi* vero, ex hujusmodi matrimonio procreati, non sunt legitimi, nisi postea ab Ecclesia probetur.

Matrimonium legitimum & ratum ut contrahatur, necesse est, ut contrahentes *matrimonii sint capaces*, & ut contrahant *legitimo modo*. Masculi tum matrimonii capaces esse judicantur, cum sunt puberes, hoc est majores annis quatuordecim; fœminæ, cum sunt viri potentes, seu majores annis duodecim.

Legitimo modo contrahunt, qui voluntarie consentiunt, citra vim majorem, metum gravem, & errorem, in persona, & statu personæ intervenientem. Proinde, *errans in persona*, ut, cum quis putat, se ducere Corneliam, quæ erat Sempronia; vel in statu, uti, cum servam ingenuam credit, nisi errore cognito, carnis commixtio sit subsecuta, contraxisse matrimonium non intelligitur. *Error vero in qualitate*, ut si corrupta sit, quam quis virginem putabat, aut *in fortuna*, ut si pauper sit, quæ dives credebatur,

batur, matrimonium non irritum reddit. Quin imo facti meritum habebit, qui publicam meretricem de lupanari extraxerit, & uxorem duxerit: est enim inter opera caritatis non minimum, errantem ab erroris sui semita revocare, *c. 20. inter opera, de Sponsal.*

Si contrahentes parentes habeant, eorum consensum olim ex necessitate requirere cogebantur: sed hodie, ob Concilium Tridentinum, Sess. 24. c. 1. ex honestate tantum adhibetur.

Præter vim, metum, erroremque, *Matrimonium quoq; contractum dirimunt*, cognatio, justitia publicæ honestatis, votum solemne, ordo, crimen, coëundi impotentia, cultus disparitas.

Cognatio est vel Spiritualis, vel Carnalis, vel Legalis.

Spiritualis cognatio, est propinquitas personarum, ex Baptismo vel Confirmatione proveniens. Estq; vel *Compaternitas*, quæ est inter patrem spiritualem & patrem carnalem: uti inter baptizantem, vel suscipientem, & patrem baptizati seu suscepti: vel *Paternitas*, quæ est inter baptizantem & baptizatum, nec non inter suscipientem seu patrinum, & susceptum: vel *Fraternitas*, inter filios baptizantis vel suscipientis, & filios baptizati seu suscepti.

Si tamen maritus aut uxor, filium proprium de sacro fonte susceperit, quamvis, si id consulto faciant, peccent, non idcirco separari, aut a mutuo usu corporum abstinere debent, nisi ad continentiam servandam possint induci.

In Concilio Tridentino, Cognatio Spiritualis est restricta, ut jam non nisi inter susceptores, (quos vel unum tantum, sive virum, sive mulierem, vel ad summum unum & unam esse voluit) ac baptizatum ipsum,

ipsum, vel illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem contrahatur; similiter, uti cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, confirmatiq; patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. Proinde ex Concilio Tridentino *Compaternitas*, quæ ante oriebatur inter uxorem patrini & parentes baptizati, itemque *Fraternitas*, est sublata; adeoq; baptizatus, cum filia patrini recte contrahit matrimonium.

Cognatio Spiritualis, non tantum impedit matrimonium contrahendum, sed etiam *dirimit contractum*, utique inter eas personas, inter quas cognatio spiritualis contrahitur; idq; ob peculiarem reverentiam, quam sibi invicem debent.

Cognatio Carnalis est, quæ Consanguinitate, vel Affinitate contrahitur.

Consanguinitas, est vinculum, propinquitas, seu cohærentia personarum, ex eodem stipite, seu sanguine descendentium, vel ascendentium, carnali propagatione, in matrimonio, vel extra illud contracta.

In Consanguinitate tria potissimum sunt consideranda: nempe Stipes, Linea, Gradus.

Stipes, est persona, a qua aliæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt. Atque ea, ad gradum Lineæ æqualis vel inæqualis constituendum, non computatur.

Linea, est collectio personarum, ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus. Estq; vel *Recta*, eaq; aut *Superior*, quæ est Parentum & Ascendentium; aut *Inferior*, quæ Liberorum seu Descendentium: vel *Transversa*, quæ est inter fratres, cæ-

terosq; cognatos. Atque Transversa Linea est vel *Æqualis*, quando cognati æqualiter a stipite distant; vel *Inæqualis*, quando ab eo distant inæqualiter.

Gradus, est habitudo distantium personarum, qua propinquitatis distantia, inter personas duas, vel diversas, discernitur:

In Linea Recta, tam Superiori quam Inferiori, *Quot generationes numerantur, tot numerantur gradus, demto stipite; a quo numeratio initium habet.* Persona enim addita personæ, ascendendo vel descendendo, per carnis propagationem, addit gradum.

In Linea Transversa Æquali, (hoc est, quando illi de quorum cognatione quæritur, directe in diversis lineis sibi invicem sunt oppositi:) *Quoto gradu unusquisq; eorum distat a stipite, eodem gradu distant inter se.* v.g. Patrueles, & Consobrini, distant gradu secundo a communi stipite; ergo eodem gradu hoc jure inter se distant: & sic duo gradus juris Civilis, unum Canonicum constituunt.

In Linea Transversa inæquali, (hoc est, quando illi, de quorum cognatione quæritur, non directe, sed oblique sibi invicem sunt oppositi:) *Quoto gradu remotior distat a stipite, eodem distant inter se.* v.g. Fratris filius a Patruo distat gradu secundo, quia eodem distat ab Avo, communi stipite.

Inter Ascendentes & Descendentes, nuptiæ prohibentur, tam jure Canonico quam Civili, *in infinitum*: contractæ solvuntur: & quia hæc prohibitio juris est naturæ, quod mutari nequit, ideo a Summo Pontifice dispensatio impetrari non potest.

Inter eos, qui a latere juncti sunt sanguine, jure Civili usque ad quartum gradum exclusive prohibentur nuptiæ, ita ut quarto gradu sint permissæ; jure

vero

vero Canonico ad quartum gradum inclusive sunt prohibitæ. Atque quia prohibitio hæc est juris positivi, ideo *Summus Pontifex*, inter personas a latere sibi junctas, potest & solet dispensare.

Matrimonium intra quartum gradum, *ab Infidelibus* contractum, si conversi fuerint, non est dissolvendum.

Affinitas, est vinculum, resultans ex unione duorum in unam carnem, per carnalem copulam, omni carens sanguinis parentela.

Affinitatem igitur parit commixtio corporum, tam licita, quam illicita, aut coacta: non autem extenditur ad affines personæ conjunctæ; uti nec cognatos viri & mulieris inter se.

Gradus Affinitatis, per se, & proprie nulli sunt, quia gradus ratione cognationis naturalis, quæ hic nulla subest, dicuntur. Veruntamen, quia Affinitas in cognatione naturali fundatur, ad illius imitationem etiam gradus habere dicitur, qui eadem ratione computantur, qua gradus consanguinitatis. Sic quoto gradu consanguinitatis aliquis junctus est marito, eodem affinitatis gradu erit junctus ejus uxori. Veluti, frater mihi junctus est primo gradu consanguinitatis, ergo & uxori meæ erit junctus primo gradu affinitatis.

Genera Affinitatis tria sunt: *Primum* est, quod per primam carnis copulam, seu mediante una persona contrahitur. *Secundum* est, quod per personam, primo generi additam, copula carnali interveniente, contrahitur. *Tertium* est, quod per tertiam personam, personæ secundi generis additam, copula carnali interveniente, contrahitur: atque ita copula addita copulæ, efficit hæc diversa genera affinitatis. v. g. Si Sempronius, consanguineus meus, ducat uxo-

rem Cajam, hæc mihi meisq; consanguineis erit adfinis in primo genere adfinitatis, atq; in eodem gradu, quo mihi junctus est consanguineus meus. Si, consanguineo meo mortuo, superstes Caja affinis mea alii nubat, tum ille, cui nubet, mihi meisq; consanguineis erit affinis in secundo genere affinitatis, eodem gradu, quo mihi erat junctus consanguineus meus mortuus. Rursus, si Caja, affine mea mortua, ille secundus ejus maritus, in secundo genere affinitatis mihi junctus, aliam ducat, hæc mihi erit affinis in tertio genere affinitatis.

Ex Affinitatis impedimento, prohibentur utroque jure matrimonium in linea recta contrahere, Socer & Nurus, Socrus & Gener, Vitricus & Privigna, Noverca & Privignus.

In linea collaterali, jure civili, cum Glore, sive quæ quondam fratris uxor fuit, & Leviro, sive cum fratre mariti, itemq; sorore uxoris, matrimonium prohibetur. At Jure Canonico, ratione Affinitatis, eodem gradu, quo ratione cognationis, matrimonium prohibetur.

Etsi vero *Jure Civili*, ex legitimis tantum nuptiis affinitas oritur, tamen *Jure Canonico*, ex illegitima quoque conjunctione resultat, ac intra quartum gradum jure Decretalium, intra secundum autem jure Concilii Tridentini, nuptiis est impedimento.

Cognatio Legalis, est proximitas personarum, quæ ex *adoptione* oritur. Hæc, Matrimonio *in recta linea*, tam durante, quam soluta adoptione, perpetuo impedimento est, illudq; contrahi prohibet, & contractum dissolvit: *in collaterali* vero, impedimentum affert, quamdiu adoptio durat; soluta vero ea, potest quis sororem adoptivam uxorem ducere.

Justi-

Justitia publicæ honestatis, quæ ad Affinitatem proxime accedit, est necessitudo quædam, vel ex Sponsalibus pure, legitime, vel illegitime contractis; vel ex matrimonio rato, necdum consummato, legitime, aut illegitime contracto, inter Sponsum & consanguineos Sponsæ, & vice versa, constituta. Hoc impedimentum, jure Decretalium intra quartum gradum circumscribitur. *Ex Concilio* vero *Tridentino*, ex utilibus tantum Sponsalibus oritur, nec ultra primum gradum extenditur.

Votum Castitatis solenne, quod religionis approbatæ professione expressa vel tacita, vel sacri ordinis susceptione celebratur, matrimonium impedit & dirimit. Hinc matrimonium contrahere prohibentur, tum solemniter religionem monasticam professi, tum, qui in sacris ac majoribus ordinibus sunt constituti: uti Presbyteri seu Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi; atque ab his contractum matrimonium, ipso jure est nullum: qui autem minoribus tantum Ordinibus initiati sunt, matrimonium contrahere possunt.

Crimen Adulterii, etiam impedit matrimonium, & contractum dirimit, si nimirum quis cognoverit aliam adulterio, & insuper ei fidem dederit, de contrahendo matrimonio, vel ipso facto contraxerit, conjuge sua legitima adhuc vivente. Quippe, ob solum adulterium contractum cum adultera, postquam legitima conjux mortua est, rescindi non debet.

Amplius, impedit crimen adulterii matrimonium, & contractum dirimit, *si aliquid in mortem prioris suæ conjugis* maritus adulter, vel uxor adultera, in mortem mariti fuerint machinati, animo contrahendi cum adultero vel adultera matrimonium, sive

fidem dederint, ſive non, modo machinatio morte ſecuta ſuum habuerit effectum.

Impotentia coëundi perpetua & immedicabilis dirimit matrimonium, quæ ſcilicet non ſine miraculo, aut gravi læſione corporis, vel probabili periculo animæ, tolli poteſt: ſive ea ex naturali cauſa contingat, puta ex frigiditate, aliove naturæ defectu vel exceſſu; ſive ex cauſa accidentali & adventitia, veluti ex maleficio ſeu veneficio, aliterve vi adhibita: ſi nimirum alter conjugum hoc petat, & impotentia probetur.

Cum quis ſciens cum impotente contrahit, non ſeparatur matrimonium; verum, ſi non poteſt alter alterum habere ut maritum aut uxorem, habeat ut fratrem aut ſororem.

Conjugato, adſerenti ſe aut conjugem impotentem, ſtatim credi non debet, ſed probatione opus eſt: quæ, ſi ſtatim ex ſolo aſpectu corporis, per evidentia ſigna haberi poſſit, tunc confeſtim fit ſeparatio conjugatorum, judicio Eccleſiæ: vel, ſi non poſſit haberi probatio, jubentur per integrum triennium cohabitare. Hoc elapſo, ſi ambo jurent, una cum ſeptima manu propinquorum, id eſt, cum ſeptem propinquis, vel, in horum defectu, cum ſeptima manu vicinorum bonæ famæ, ſe fruſtra expertos eſſe, poterit ille, qui impotentem duxit, illa dimiſſa, aliam adſciſcere, vel ea, quæ impotenti nupſit, alii nubere.

Quod ſi poſtea deprehendatur, eum, qui probatus & judicatus fuit impotens, *non fuiſſe impotentem*, tunc is, qui fuit abſolutus per ſententiam, & ſolutus vinculo conjugii prioris, cogitur ad priorem conjugem redire, & illi, qui impotentiam ejus juraverant, rei ſunt perjurii, non obſtante exceptione rei judicatæ. Quoniam ſententia in cauſa matrimonii lata, nun-

nunquam transit in rem judicatam, & ideo, quandocunq; constat de ejus iniquitate, retractari potest.

Lepra superveniens, non est causa dissolvendi matrimonii; nec aliter ob lepram permitti debet separatio conjugum, quam ut uterq;, altero vivente, perpetuo contineat.

Impedimenta, quæ impediunt, non dirimunt matrimonium, sunt Furor, Interdictum, Feriæ, Sponsalia, Catechismus, Votum simplex, Crimen.

Furor, quia consensus in nuptiis requiritur, impedit futuras nuptias. Si tamen furiosus dilucida intervalla habeat, eo tempore recte nuptias contrahit.

Interdictum Ecclesiæ est, cum Episcopus, aut alius judex Ecclesiasticus, aut Parochus, alicui, ne matrimonium cum aliqua contrahat, ob aliquod impedimentum, interdicit, donec de causa cognoscatur; uti, quia forte dubitatur, annon contrahere volentes, sanguine vel affinitate juncti sint in gradu prohibito, vel aliud impedimentum subsit.

Matrimonium, contra interdictum contractum, valet, licet contrahentes peccent, & ideo pœnitere debeant; quoad vero de impedimento cognoscitur, separandi sunt. Si impedimentum probetur, dissolvendum matrimonium, non ob interdictum, sed ob impedimentum.

Feriarum tempore, quod olim erat ab Adventu usque ad Epiphaniam, a Septuagesima, usq; ad octavam Paschæ, & a primo die Rogationum, usque ad octavam Pentecostes, nunc vero ex Concilio Tridentino est ab Adventu usq; in diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschatis, non quidem matrimonium contrahere, sed contractum celebrare, & eidem benedicere nefas est.

Catechismus, eſt inſtructio baptizandi, ſolenniter a Sacerdote in janua Eccleſiæ facta, antequam baptizetur puer, de articulis fidei Catholicæ Romanæ credendis. Per hanc inſtructionem oritur ſpiritualis cognatio, ſive compaternitas, & impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum. *c. per catechismum 2. de Cognat. ſpirit. in 6.*

Votum ſimplex, quod religionis approbatæ profeſſione, tacita, vel expreſſa, nec ſacri Ordinis ſuſceptione eſt ſolennizatum, non dirimit, ſed impedit matrimonium.

Crimina, quæ impediunt, non vero dirimunt matrimonium, ſunt: Inceſtus, Vxoricidium, Raptus, Suſceptio proprii filii de fonte, Presbytericidium, Pœnitentia ſolennis.

Titulus 12.

Qui Matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari.

M*Atrimonium probatur* per teſtes, at, non ſuſpectos, ſed omni exceptione majores; per inſtrumenta ſuper ipſo matrimonio confecta; per ſolennem deductionem & pompam in Eccleſiam vel domum; per confeſſionem Conjugum; per judiciale juramentum, quod, cum plus quam ſemiplene probatum eſt, pro, non contra matrimonium eſt deferendum.

Accuſatio matrimonii, eſt impedimenti matrimonii, ob quod illud conſiſtere non poteſt, coram competente judice legitime facta allegatio.

Accuſatio, ſi delictum non contineat, puta, ſi fiat ob impedimentum aliquod, uti, quod vir ſit frigidus, vel maleficiatus, fœmina admiſſionis incapax, ad

ſolos

ſolos ſpectat conjuges, quorum intereſt, minime vero ad extraneos.

Quod ſi delictum contineat accuſatio, uti, quod in gradu prohibito contractum eſſe dicitur, quilibet admittitur ad accuſandum; hoc tamen ſervato ordine, ut poſt parentes, conſanguinei, &, his deficientibus, extranei, ita, ut inter hos præſtantiores præferantur, demum locum inveniant.

Accuſator matrimonii, qui, cum publice matrimonium ex ſuggeſtu denunciaretur, tacuit, poſtea contracto matrimonio non auditur; niſi veriſimiliter denunciationem ignoraverit, vel jurare paratus ſit, ſe hactenus impedimentum ignoraſſe, atque recenter id didiciſſe.

Teſtes, de impedimento teſtimonium dicturi, ipſi coram judice comparere debent; atque admittuntur non tantum extranei, ſed & proximi conſanguinei, & parentes. Etſi enim cæteroquin teſtimonium domeſticum rejicitur, tamen hoc caſu, proxime conjuncti, omnium optime noſſe præſumuntur conſanguinitatem & affinitatem.

Titulus 13.

De Effectibus matrimonii contracti.

E*ffectus matrimonii contracti*, ſunt quatuor: *Primus* eſt, quod liberi eo procreati, vel ſunt legitimi, vel fiunt. *Sunt legitimi*, qui ſtante matrimonio ſunt ſuſcepti; ſive illud ſit clandeſtinum, ſed ab Eccleſia poſtea approbatum; ſive jure non valeat, modo, alterutro conjugum impedimentum ignorante, in facie Eccleſiæ ſit contractum. *Fiunt legitimi*, id eſt, per matrimonium ſubſequens legitimantur, qui antea nati; modo eo tempore, quo procreati, nuptiæ inter eorum parentes potuiſſent celebrari.

Secundus Effectus est, quod conjuges simul habitant, ita tamen, ut vir caput sit uxoris, & hæc illi serviat; & alter alteri exigenti, debitum matrimoniale præstare tenentur. Hæc redditio tamen debiti declinatur, si mulier sit in puerperio, vel infantem nondum ablactaverit; si morbo consueto laboret, vel conceperit: si tempus sit orationis, processionis, aut benedictionis. Si alter conjugum adulterium commisit, & insons eum retineat, cessat per triennium pœnitentiæ.

Tertius Effectus est, quod simplex donatio inter virum & uxorem regulariter non valet; donatio vero propter nuptias, a viro in mulierem collata, ad virum soluto matrimonio redit; nisi is propter adulterium ab uxore separetur, aut pactum de lucranda re donata intercesserit.

Quartus Effectus est, ut dos valeat, quæ tamen soluto matrimonio mulieri reddi debet; nisi ejus culpa matrimonium sit solutum, aut pactum de lucranda dote intercesserit.

Titulus 14.
De Divortiis.

DIvortium, est legitima mariti & uxoris separatio, apud competentem judicem, cum causæ cognitione, & sufficiente ejus probatione, facta.

Divortium, est vel Tori, cum usus matrimonii, puta conjugum cohabitatio ad tempus, aut nulla temporis habita ratione, interdicitur: *vel Vinculi matrimonialis*, cum matrimonium, quoad substantiam, penitus & in perpetuum rescinditur.

Quoad Torum fit divortium, propter adulterium alterutrius conjugum: nisi uterq; adulterium commise-

miſerit, aut maritus, poſt adulterium, uxorem ſibi reconciliaverit, vel uxor animum adulterii committendi non habuerit: puta, quod per errorem ab eo, quem maritum putabat, aut per vim cognita, aut, maritum credens eſſe mortuum, alii nupſerit. Fit amplius ſeparatio, quoad torum, ob vehementem furorem, hæreſin, in quam alter conjugum prolabitur, & ſævitiam, cum alter conjugum, vel veneno, vel fuſtibus, vel gladio vitæ alterius inſidiatur.

Quoad Vinculum fit divortium, propter Infidelitatem, cum ſcilicet alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertitur, & fidelis, ne qua injuria Eccleſiæ, aut ſcandalum continuum proveniat, cum eo non vult cohabitare. Atq; ſolvi poteſt hoc matrimonium, quia, etſi verum extitit, non tamen ratum fuit, quippe haud in fide Eccleſiæ Catholicæ celebratum.

Matrimonio quoad vinculum diſſoluto, conjuges libere ad ſecunda vota tranſire, vel religionem, altera parte invita, poſſunt intrare: non, ſi quoad torum tantum fiat ſeparatio, hoc enim caſu, conjuges manent.

Quæ ob cauſam juſtam deceſſit, repetenti viro reſtituitur, ſi reæ de ſecuritate caverit. Si vero tanta ſit viri ſævitia, ut nulla ei ſufficiat cautio, usq; ad cauſæ deciſionem, honeſtæ mulieri cuſtodienda committitur.

Titulus 15.
De Secundis Nuptiis.

S*Ecundæ nuptiæ* dicuntur, quæ contrahuntur poſt primas, etiamſi ſint tertiæ, vel quartæ, vel ulteriores.

Abro-

Abrogant ſacri Canones leges civiles, quæ *fœminam, intra annum luctus a morte mariti alteri nubentem*, notant infamia, damnantq; errorem Origenis, ſecundas nuptias prohibitas aſſerentis.

Habent ſecundæ nuptiæ quædam propria, uti, quod eis non benedicitur a Parocho vel Sacerdote, *c.1. Extra h. t.* Benedictio enim in primis nuptiis impertita, ſemper durat, nec eſt iteranda. Si tamen aliud conſuetudine introductum fuerit, id ſervandum; hæc enim conſtitutio eſt juris poſitivi, quæ contraria conſuetudine tollitur. Amplius, Presbyter non debet intereſſe nuptiis ſecundis, *can. 8. de his 31. q. 1.* &, qui eas contraxit, ad dignitates Eccleſiaſticas non poteſt aſpirare.

Non debent contrahi ſecundæ nuptiæ, niſi prius *de morte prioris conjugis* conſtet.

LIBER III.

Titulus 1.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

POſt Sacramenta, videndum de rebus Sacris & Religioſis.

Res Sacræ, quæ & Sanctæ dicuntur, ſunt, quæ principaliter ad cultum divinum ſunt comparatæ; uti Eccleſiæ, Altaria, Sanctorum Reliquiæ, Vaſa, Veſtes.

Res Religioſæ ſunt, quæ piis uſibus ſunt deſtinatæ; uti religioſæ domus, Xenodochia, Orphanotrophia, Noſocomia, Gerontocomia, Cœmeteria, Sepulturæ.

Eccle-

Ecclesia, est domus Deo dicata, ad Sacramenta & officia divina celebranda; appellatur alias *Templum*. Atq; hæc nomina ædi sacræ conveniunt tantum post consecrationem, nam ante eam dicitur *Basilica*: *c. 2. de Consecrat. dist. 1.*

Circa Ecclesiam tria sunt observanda: 1. Constructio. 2. Consecratio. 3. Immunitas.

Constructio Ecclesiæ, est duplex: aut enim novæ ædificantur, aut veteres restaurantur.

Novæ Ecclesiæ ædificantur, si justa id causa suadeat: uti si fructus unius Ecclesiæ sint sufficientes ad duas, & parochia latiores habeat fines, quam ut tempore hiberno possit fieri conventus; si notabile populi sit incrementum.

Ædificare potest Episcopus, licet juraverit de rebus Ecclesiæ non alienandis. At alius nemo, sine consensu Episcopi loci, Ecclesiam ædificare potest; qui secus fecerit, jure Patronatus privatur.

Antequam Ecclesia construatur, *Episcopus ad locum debet accedere*, in eo crucem figere, publice atrium designare, & illud aqua lustrali adspergere. Debet amplius dispicere, an is, qui ædificare decrevit, id pietatis, an quæstus causa, facere instituat, item, num proventus ad luminaria, custodumq; stipendia, & onera Episcopalia sufficiant. Ad hæc enim fundatores tenentur, aut Episcopus ipse, si sine donatione ædificari permisit; exemplo ordinatorum sine titulo, quos vel alere tenetur, vel de beneficio eis providere.

Ecclesiæ Orientem spectare debent. Atque forma antiqua erat, ut primo pararetur Porticus seu *Atrium*, ubi essent Pœnitentes & Catechumeni. Deinde erat pars Ecclesiæ, quæ *Cella* seu *Navis* dicebatur, ad populum recipiendum. Tertia pars dicebatur *Sancta*, ut

ut seorsim sederent Sacerdotes a Laicis. Succedebant deniq; *Sancta Sanctorum*, ad oblationem Sacrificii.

Reparantur Ecclesiæ, cum vetustate, vel aliam ob causam, ruinosæ sunt.

Titulus 2.

De consecratione Ecclesiæ & Altaris.

E*Cclesia ædificata*, non ante sacris ministeriis inservire potest, quam fuerit consecrata.

Ecclesiam consecrat Episcopus. Is primo aquam benedicit, cui sal admiscetur, & hac aqua, Ecclesiam, ter eam circumiens, aspergit; ea aspersio imaginem baptismi habet, cum trina immersio hic adhiberi non possit. In circuitu dedicandæ Ecclesiæ, 12. sunt luminaria accensa, notæ lucentis Apostolicæ doctrinæ.

Ad singulos circuitus, accedit Episcopus ad ostium Basilicæ, & percutit superliminare virga pastorali, cantando Antiphonam: *Attollite portas Principes vestras* &c. atq; trina hæc percussio notat, Cœlum, Terram, & Inferos potestati Episcopali cedere.

Post trinam percussionem *ostium aperitur*, ac intrat Episcopus, dicens: *Pax huic Domui*; deinde, ad orationem se confert. Mox, incipiendo a sinistro angulo Orientis, describit *Alphabetum* usq; in dextrum angulum Occidentis, atque iterum a dextro angulo Orientis, usque in sinistrum angulum Occidentis. Alphabetum, rudimentorum doctrinæ sacræ index est.

Sequitur postea *benedictio aquæ*, cui sal, cinis, & vinum admiscentur, eaq; interiores parietes consperguntur. In eandem Episcopus digitum intingens, facit crucem per quatuor cornua altaris, & asper-

aſpergit illud ſeptem vicibus. Deniq; effundit ad baſin Altaris, quod de aqua purificationis remanſit.

Dehinc, *extergitur ab Epiſcopo Altare* linteo, ac fit poſtea incenſum, nec minus crux ex chriſmate in medio Altaris, & quatuor angulis ejus deſcribitur. Mox aperitur in medio altaris, vel in dextro cornu, *feneſtella*, ibi conduntur Reliquiæ Sanctorum, cum nomine illius Sancti, cui altare dicatur; & Epiſcopi, qui ſacrum facit. Feneſtella deinde parvo lapide obtegitur, quem *Sigillum* appellant.

Conſecrato Altari, chriſmantur in parietibus 12. cruces, quæ imaginem gerunt Apoſtolorum, & albis velaminibus tegitur altare, ſuper quo noviſſime fit Miſſæ celebratio.

Altari amoto, vel Sigillo fracto & diminuto, conſecratio denuo adhibetur.

Solennitates Conſecrationum Eccleſiarum, ſingulis annis debent celebrari.

Conſecratio regulariter non iteratur. Excipiendi tamen caſus, cum Eccleſia deſtructa reſtauratur, aut, cum homicidio, adulterio, in ea perpetrato, aut excommunicati corpore ibi humato, fuit polluta.

Polluta Eccleſia, pollutum quoque cenſetur cœmeterium contiguum; non autem, polluto cœmeterio, polluta quoque cenſetur Eccleſia.

Titulus 3.

De Effectibus Conſecrationis Eccleſiæ.

C*onſecrationis Effectus* ſunt varii.

Principio, in Eccleſia conſecrata, & ſuper Altari conſecrato, *Miſſæ celebrantur*, non in aliis locis. Si Eccleſia deſit, in Capellis, ſub dio, vel in tentoriis, ſi ta-

si tabula altaris consecrata, & alia ad officium Missæ pertinentia adsint, Missa celebrari potest.

Porro, in Ecclesia consecrata, *fidelibus Sacramentum Eucharistiæ præbetur*, & Baptismus celebratur: ibiq; Eucharistia, Chrisma, & Sanctorum Reliquiæ custodiuntur.

Lege Mosaica *mulier post partum* immunda habebatur, & ideo, si masculum peperisset, quadraginta, si vero fœminam, octoginta diebus, a templi ingressu arcebatur. Sed ea lex abrogata est, & statim post partum mulieri templum ingredi licet, etsi pie facit, si aliquantisper ab hoc ingressu abstineat.

Gaudent quoq; Ecclesiæ consecratæ Immunitate, sive muneris vacatione, quæ est vel Personalis, vel Realis.

Immunitas Personalis est, quæ personis, puta Clericis, tribuitur, ut scilicet a jurisdictione Laicorum, & muneribus personalibus sint liberi; nisi aut pietas, ut in tutela & cura miserabilium personarum; aut necessitas, ut in murorum custodia, belli, tumultus, seditionis tempore, aliud suadeant.

Immunitas Realis est, quæ Ecclesiæ & Cœmeterio tribuitur: quod scilicet in iis causæ criminales, civiles, vel canonicæ exerceri non possunt; quod ab iis, si liber homo huc confugit, ad mortem aut aliam pœnam corpoream, quodcunq; crimen patrarit, extrahi non possit, nisi vel publicus latro sit, vel nocturnus agrorum depopulator, vel, spe impunitatis, homicidium, aut membri mutilationem, in Ecclesiis ipsis patrare ausus fuit. Ad Ecclesiam autem, aut cœmeterium fugientem, abstrahens, excommunicationi, aliisq; pœnis subjacet.

Hæc

Hæc *Immunitas, non tantum Ecclesiis consecratis, sed & non consecratis*, imo & loco adjacenti convenit. Quin imo, secundum jura vetera, Ecclesia major, seu matrix, in circuitu habere debet passus integros 40. minor vero Ecclesia, passus 30. asyli jure gaudentes. Id tamen hodierna consuetudine receptum non est; nisi tam late pateat ipsum cœmeterium.

Rebus Ecclesiasticis immunitas tribuitur, ut ab onere tributorum, aliarumq; exactionum, quæ a potestate seculari imponuntur, sint exemtæ; adeo, ut qui iis ea imponunt, aut exiguunt, excommunicentur. Si tamen magna sit Reipublicæ necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas, possunt, non coguntur, Clerici, consulto Pontifice, Laicis subvenire.

Titulus 4.

De Ecclesiarum Vnionibus.

SI *Necessitas aut Vtilitas suadeant, possunt plures Ecclesiæ, in unam conjungi. Necessitas* id suadet, si, ob paupertatem, singulæ singulos Sacerdotes alere nequeant; si, ob hostium incursus, aut crebras hospitationes, altera Ecclesia sit desolata. *Vtilitas* id suadet, si locorum opportunitas, vel temporum qualitas, id exposcat; uti, si Ecclesiæ tam sint vicinæ, ut facile unus Sacerdos iis possit sufficere; vel, si unius populus sit infrequens factus.

Summus Pontifex, ubiq; terrarum, ejusq; Legatus a latere, in sua legatione sitas quascunq; Ecclesias, unire possunt; at in diœcesi propria existentes; & ipsis subjectas, Episcopi.

Fit unio vel ad tempus, vel in perpetuum. Illa, tempore, ad quod concessa, elapso, vel, extincto eo, ad cujus vitam concessa, dissolvitur.

Titulus 5.

De Religiosis Domibus, Monasteriis, & Sepulturis.

RES Sanctas excipiunt *Religiosæ*, quæ piis usibus sunt destinatæ; uti Religiosæ domus, Monasteria, Sepulturæ.

Religiosæ Domus sunt, quæcunq; religionis, vel pietatis intuitu, sunt constructæ. Tales sunt *Xenodochia*, ubi peregrini pauperes recipiuntur; *Brephotrophia*, ubi pauperum & expositi infantes aluntur; *Nosocomia*, in quibus ægroti pauperes a morbo curantur; *Gerontocomia*, ubi Senes & Valetudinarii sustentantur.

Hæ omnes Domus sub ejus Episcopi potestate sunt, in cujus territorio sitæ; nisi singulari privilegio se exemtas docere possint.

Monasterium, seu *Claustrum*, est species religiosæ domus, & pari ratione ei Episcopo est subjectum, in cujus diœcesi est situm, nisi exemtionem probet. Hoc casu, Monasterium quidem est exemtum, capellæ vero ei subjectæ, non item. Possunt etiam Episcopi, quamvis Monasteria sint exemta aut privilegiata, si Abbates & Præpositi sint negligentes, ad morum, secundum eorum Regulam, reformationem, procedere.

Rebus Religiosis accensentur Sepulturæ. Eæ, regulariter debentur Ecclesiæ Parœciali, in qua quis recipere consuevit Sacramenta, & audire divina: in eaq;, vel ejus cœmeterio, vel, si quis sepulcrum majorum habeat, nec aliam elegerit sepulturam, in eo debet sepeliri.

Est

Est cuiq; libera sepulturæ electio, sive sit vir, sive mulier nupta, quia in electione sepulturæ, uxor soluta est lege viri. Alias, si sepulturam non elegerit, sepelienda in sepulcro mariti, ut quos conjunxit unum conjugium, sepultura non separet. Si plures fœmina habuerit maritos, nec sepulturam elegerit, cum ultimo, cujus domicilium & honorem retinet, est tumulanda. Filio impuberi, sepulturam, quo voluerit loco, pater eligere potest, si id consuetudo ferat.

Ob Sepulturam debetur *portio canonica* parœcialis: Ea, de jure, est ejus, quod pro anima sua Ecclesiæ, in qua sepeliri quis voluit, relictum, quarta, unde & *quarta funeralium* dicitur: ex consuetudine vero, modo tertia, modo dimidia.

Fieri debet sepultura Ecclesiastica, more & solennitatibus consuetis; puta, cum lumine, psalmis, & orationibus; oblatione quoque, in qua fit defuncti commemoratio. Mandatur sic defunctus terræ, in loco consecrato, accedente aqua benedicta.

Denegatur Sepultura Ecclesiastica Judæis, Paganis, Hæreticis, eorumq; fautoribus & receptatoribus, cæterisque excommunicatis, in excommunicatione mortuis. Imo, homo ejusmodi, sepultus in loco sacro, si internosci possit, effodi jubetur, & extra locum sacrum projici. Denegatur & Ecclesiastica sepultura usurariis publicis, nisi pœnituerint, & caverint, de restituendo; cæterisq; omnibus, quos in gravioribus peccatis decessisse constat.

Titulus 6.

De Parœciis, & alienis Parœcianis.

P*Aræcia*, sive, uti vulgo enunciant, Parochia, sic dicta, quasi cohabitatio, est vicinorum, qui unum

aliquod commune templum accolunt, & Sacramenta percipiunt, conventus.

Parœcianus eſt, qui intra Parœciæ limites habitat, animo ibidem manendi, ſive audierit ibi divina, ſive non.

Eccleſia Parœcialis eſt, quæ populum habet certis finibus & limitibus diſtinctum, cum poteſtate fori pœnitentialis, id eſt ligandi & ſolvendi, ſubditis Sacramenta adminiſtrandi, idq; ex neceſſitate oneris Eccleſiæ impoſiti. Dicitur eadem *Curata*, nomine *Curæ* proprie & ſtricte accepto, pro poteſtate ligandi & ſolvendi in foro pœnitentiali: item *Plebanalis*, & *Baptiſmalis*.

Eccleſia Matrix, late dicitur Eccleſia parochialis, in qua parochiani recipiunt Sacramenta, & quæ alias Eccleſias minores, vel Capellas, ſub ſe habet, pro parochianorum vicinorum commoditate, ut ibidem commodius ſacra audiant, & non teneantur ſemper, ex loco diſtantiori, venire ad matricem Eccleſiam. Proprie Eccleſia Matrix vocatur Eccleſia Cathedralis, ſeu Epiſcopalis, in qua Epiſcopus, cum ſuo Collegio ſeu Capitulo, Cathedram ſeu Sedem habet. Nam, & Epiſcopo cura incumbit animarum, per totam diœceſin, & adeo magis, quam ipſi Parocho.

Eccleſia Collegiata, conſtituitur ex Collegio Canonicorum, id eſt hominum Eccleſiaſticorum, inſtar Regularium, certis ſtatutis, canonibus ſeu regulis, viventium, idq; numero plerunq; certo, quandoq; etiam incerto. Illam, vocant Eccleſiam *Numeratam*, hanc, *Non-numeratam*, vel *Receptivam*, in qua, ſecundum fructuum excreſcentiam, Canonici, aut alii Beneficiati, creſcunt, vel decreſcunt.

No-

Notandum, *Canonicatus seu Beneficia in Ecclesia Non-numerata nunquam posse dici vacare*: sed, quemadmodum Canonicis assumptis jus quoddam nascitur, ita, iisdem decedentibus, mox desinit, & cessat beneficium. Vnde neque devolutio ad Superiorem, ex causa negligentiæ, intra semestre beneficio non providentis, neq; etiam reservatio de beneficiis vacaturis, hic locum habere potest.

Vt evitetur confusio jurisdictionum inter Episcopos & alios Presbyteros, & ne alter alterius jurisdictionem invadat, veluti alienum Parochianum ordinando, vel judicando &c. cum extra territorium jus dicere non liceat, Parochias suis limitibus distinctas esse oportet.

De jure veteri Canonico, *c. pen. Extra h.t. Parochianus tenetur Dominicis & Festivis diebus suam frequentare Parochiam*, & ibidem rem divinam audire; sed ea necessitas, consuetudine est sublata.

Titulus 7.
De Canonizatione.

SAncti dicuntur, qui vitæ sanctitate, & miraculis editis excelluerunt. Non omnes tamen, qui miracula faciunt, sunt venerandi, quia quandoq; etiam per malos miracula fieri possunt, *c. 56. teneamus, 1. q. 1.* sed ii tantum, qui autoritate approbati, & in numerum Sanctorum relati, vel canonizati sunt.

Canonizare, est canonice & regulariter statuere, ut aliquis Sanctus honoretur pro sancto: puta, ut solenne officium pro eo fiat, sicut fit pro aliis Sanctis, qui ejusdem conditionis sunt; ut, si canonizetur Confessor, fiat pro eo officium Confessorum; si Martyr, officium Martyrum.

Fit Canonizatio, inquiſitione prius facta, in canonizandi vitam, mores, res geſtas, & miracula in vita, & poſt mortem edita.

In Miraculis quatuor ſunt neceſſaria: 1. Vt a Deo, non ex arte quadam, procedant. 2. Vt ſint contra naturam. 3. Vt non ex vi verborum, ſed ex pietate hominis, contingant. 4. Vt fiant ad confirmationem fidei.

Canonizatione facta, *Sanctorum feſtivitates celebrantur*, & in earum feſtivitatum vigiliis jejunatur.

Titulus 8.

De Jejunio.

J*Ejunium*, eſt parſimonia victus, & ciborum abſtinentia.

Jejunium, eſt vel Generale, vel Conſuetudinarium, vel Votivum, vel Pœnale.

Jejunium Generale eſt, quod, certis ab Eccleſia inſtitutis diebus, omnibus hominibus, niſi cum ipſis ex juſta cauſa diſpenſetur, ex neceſſitate eſt obſervandum. *Tale eſt Quadrageſima:* Jejunium *Quatuor temporum* anni, videlicet in Martio, hebdomade prima; in Junio, ſecunda; in Septembri, tertia; in Decembri, quarta. Amplius, Jejunium *in quarta & ſexta feria*, ab initio noctis, usq; in diem ſequentem, ſcilicet in quartam & ſextam feriam: Jejunium in vigiliis Apoſtolorum, Adventu Domini, & Vigiliis Sanctorum, ſive feſtorum dierum veſperis, quæ ſic dicuntur, quia olim Chriſtiani, in orationibus, ob majorem diei feſti ſolennitatem, pernoctabant.

Qui annum ætatis vigeſimum nec dum attigerunt, ſexageſimum vero exceſſere, *excuſantur a jejuniis*,

junius. Non subjacet quoque legi paupertas, aut debilitas ex morbo.

Jejunium Consuetudinarium est, quod non generaliter observandum, sed tantum certis in locis, & certis in Ecclesiis, secundum earum consuetudinem, uti in vigilia Bartholomæi Apostoli, *c. consilium 2. §. de festivitate, de observat. jejun.*

Jejunium Votivum est, cum quis non propter Ecclesiæ præceptum, sed suum votum, jejunare tenetur.

Jejunium Pœnitentiale est, quod Confessis, a Canone vel Sacerdote imponitur.

Jejunium Voluntarium est, cum quis, ut se ad opera spiritualia reddat aptiorem, sponte sua jejunat.

Ratio jejunandi, a Pontificibus hæc præscripta est, ut vel semel tantum in die cibus sumatur, sive mane, sive vesperi, uti in Quadragesima, & Quatuor temporibus; vel, ut a cibis lautioribus, uti carne, vino, abstineatur, & aridiores tantum adhibeantur.

Titulus 9.

De Præbendis & Dignitatibus.

P*Ræbenda*, est jus percipiendi reditus Ecclesiasticos, ratione divini officii, cui quis insistit. Seu, est Canonica portio, quæ de communi bonorum proventuumq; Ecclesiasticorum massa sumitur, & præbetur singulis, pro sua cuiq; portione.

Differt Præbenda a Canonia, quod Canonia est titulus ipsius beneficii, & quoddam jus spirituale, ac proinde in commercium non cadit: Præbenda vero, in abstracto considerata, temporale quid significat.

Potest igitur Præbenda conferri sine Canonicatu, &, vice versa, Canonicatus sine Præbenda, cum expectantia tamen proxime vacantis: atque Canonici,

quibus quidem competit ſtallum in choro, & vox in Capitulo, antequam præbendam conſequuntur, ſive de communibus reditibus, fructibus ac juribus canonicalibus participant, *Canonici Honorarii*, itemque *Canonici in Herbis*; qui vero præbendati ſunt, *Canonici in Floribus* appellantur.

Introductus eſt Præbendæ uſus, ut, qui in Eccleſia debitum ſervitium præſtat, ab eadem Eccleſia, pro dignitate & officio, ſufficienter ſuſtentetur. Qui enim altari ſervit, de altari vivere debet.

Is, cui Præbenda data, aliquando in dignitate eſſe dicitur. Eſt autem *Dignitas*, quæ & alio nomine *Perſonatus* vocatur, prærogativa perſonæ Eccleſiaſticæ, qua præditi, Prælati appellantur, & habent juriſdictionem Eccleſiaſticam; ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatia, Prioratus.

Præbenda, *tribus modis erigitur*: *Fundatione*, cum de novo fundatur; *Reſtitutione*, cum beneficium extinctum in priſtinum ſtatum reſtituitur: *Immutatione*, cum forma beneficii, & qualitas immutatur: uti, ſi Abbatia fiat Epiſcopatus, Epiſcopatus fiat Archiepiſcopatus.

Erigere Beneficia poſſunt, Summus Pontifex, Epiſcopus, Capitulum, Privatus.

Summus Pontifex, ſolus erigit beneficia majora, uti Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & ſimilia: idem, in Eccleſiis collegiatis, novas & inuſitatas dignitates ponit, ex regularibus beneficiis ſecularia facit, Canonicatum ſupernumerarium creat.

Epiſcopus, in ſua diœceſi, omnia minora beneficia, Capituli ſui conſilio adhibito, creat, ex ſeculari regula-

gulare facit; non tamen contra, nisi Papæ autoritas accedat.

Capitulum, tantum præbendam in specie dictam, creat, & suppressam dignitatem restaurat.

Privatus, beneficium erigit, non per se, sed Episcopi autoritate accedente: ea si deficiat, privata oratoria construit, & dotat.

Beneficia Ecclesiastica varie dividuntur: nempe, in Secularia, & Regularia, Curata, & non Curata, Manualia, & non-Manualia, Patrimonialia,& non-Patrimonialia; sunt item quædam Consistorialia, de Mensa, nec non de Pertica, ac Monocula.

Beneficia Secularia sunt, quæ Clericis Secularibus, id est nullam religionem professis, conferri solent: uti sunt, Præposituræ, Decanatus, Canonicatus, Capellania in Ecclesia seculari. *Notandum* vero, Beneficium omne præsumi seculare, nisi contrarium probetur.

Beneficia Regularia sunt, quæ per Regulares, seu Religiosos, regi consueverunt: idq; vel ex institutione Ordinarii seu Superioris, vel ex fundatione, vel ex consuetudine, & præscriptione 40. aut plurium annorum; uti sunt Abbatiæ, Prioratus.

Beneficia Curata sunt, quibus incumbit cura & regimen animarum, cum potestate ligandi & solvendi in foro pœnitentiali.

Beneficia Manualia sunt, quæ ad nutum conferentis, seu Superioris, vel certo modo sunt revocabilia, occurrente nimirum legitima causa. *Non-Manualia*, revocari nequeunt.

Beneficia Patrimonialia sunt, quæ conferri non possunt, nisi Clericis patriæ, sive loci, vel parochiæ alicujus, originariis. *Non-Patrimonialia* sunt, quæ

quibus quidem compet... a, ſive aliunde oriundi... in Capitulo, antequa... ſive de communibus ... de quibus Pa... canonicalibus par... Cardinaliu... itemque *Canonic*... p... ſunt, *Canonici* ...

Introductu... debitum ſer... e in tali dignitate ... viſionem. altari ſer...

...*rtica* eſt, quod ſecund... ad effectum permutationis facie...

Is, ...; ut quando beneficium pingue, cum te... dicit ... macilento, nulliusq; fere momenti, adeoque Pe... non beneficio, ficte & imaginarie permutatur.

Beneficium Monoculum eſt, quod Prælatus, ſeu Collator, unicum tantum habet conferendum.

Beneficii Eccleſiaſtici nomine veniunt interdum *præſtimonia*, ſeu portiones Præſtimoniales, quæ ſunt fructus, cenſus, ſeu emolumenta, quæ detrahuntur a beneficio, & ſeorſim dantur perſonæ alicui Eccleſiaſticæ, ſine Eccleſia.

Inter Beneficia Eccleſiaſtica, referunt aliqui etiam *Coadjutoriam*, quia Coadjutor etiam vocatur Prælatus: isq; plenam habet curam animarum, ſimulq; plenam & liberam adminiſtrationem, non tantum in temporalibus, ſed & in ſpiritualibus, proindeq; beneficia Eccleſiaſtica conferre, & beneficiorum reſignationes admittere poteſt.

Titulus 10.
De Commendis.

COmmenda *duplex* eſt, una Eccleſiæ, altera Militiæ Sacræ. *Commenda Eccleſiæ*, eſt Eccleſiæ ali-

alicujus, ob evident ... vacantis adsignatio gratuita,
... mpus commissa ... qui jus conferendi habet.
... mmenda Mil ... untur pactiones Simonia-
... , propt ... neficia Simplicia, sive,
... Magist ... ersonatus, ipsaq; col-
... Or ... beneficio. Per Ele-
... cclesiasticæ, in qui-
..., & po ... rmatione.
... ed etiam dom ... n-Libera.
... bitet reservatio juris a ... ndi potestatem

Vt Ordinis autoritas com ... vel præsenta-
Domibus sive Prædiis ad Ordine ... Non-Libe-
bus, quosdam præficere, qui *Præcep* ... rre ei co-
ger / item Commendatores, Commen ... s nomi-
cantur. ... nt Re-

Sunt inter Commendatores varii gradus hon... hoc ordine: Qui in Ordinem assumitur, voca... fex, *Novitius*, eique unus equus cum famulo assignatur ... us Postmodum fit *Conventualis*; dehinc Kuchenmei... ster; porro Baumeister / qui res tam domi quam ruri curat; deinde Überreiter / qui est constitutus super census & feuda, sive bona censitica. Vlteriores honores sunt, der Trappierer / qui curat rem domesticam, damit in Kuchen und Keller alle Nothdurfft vorhanden sey. Der Haus-Commenthur / qui curat jurisdictionalia, audit causas rusticorum, minores decidit, majores vero remittit. Commenthur simplex: is gaudet Commenda prout potest, adhibito decenti moderamine: Dann er muß Rechnung leisten / hat sein gewisses Deputat, und Regalia, und so dessen Commenda weitläufftig / hat er einen Haus-Commenthur oder Trappierer pro Assistente. Sequitur Commenthur-Consiliarius, Rathsgebietiger.

Horum

quibuslibet aliis, sive ex patria, sive aliunde oriundis, recte conferuntur.

Beneficia Consistorialia sunt, de quibus Papa in suo Consistorio, cum interventu Cardinalium, providere solet.

Beneficium de Mensa est, quod perpetuo incorporatum est mensæ Episcopali, sive Abbatiali: atq; hoc, nunquam vacare dicitur, nec in tali beneficio datur negligentia quoad provisionem.

Beneficium de Pertica est, quod secundum consuetudinem, ad effectum permutationis faciendæ, fingi solet; ut quando beneficium pingue, cum tenui ac macilento, nulliusq; fere momenti, adeoque cum non beneficio, ficte & imaginarie permutatur.

Beneficium Monoculum est, quod Prælatus, seu Collator, unicum tantum habet conferendum.

Beneficii Ecclesiastici nomine veniunt interdum *Præstimonia*, seu portiones Præstimoniales, quæ sunt fructus, census, seu emolumenta, quæ detrahuntur a beneficio, & seorsim dantur personæ alicui Ecclesiasticæ, sine Ecclesia.

Inter Beneficia Ecclesiastica, referunt aliqui etiam *Coadjutoriam*, quia Coadjutor etiam vocatur Prælatus: isq; plenam habet curam animarum, simulq; plenam & liberam administrationem, non tantum in temporalibus, sed & in spiritualibus, proindeq; beneficia Ecclesiastica conferre, & beneficiorum resignationes admittere potest.

Titulus 10.
De Commendis.

Commenda duplex est, una Ecclesiæ, altera Militiæ Sacræ. *Commenda Ecclesiæ*, est Ecclesiæ ali-

alicujus, ob evidentem necessitatem & utilitatem, ad tempus commissa custodia.

Commenda Militiæ Sacræ est, cum Militi sacro & emerito, propter exantlatos labores, & pericula in militia, Magister Ordinis beneficium confert.

Magister Ordinis, velut Rector & Princeps quidam militiæ Sacræ, exercet omne imperium, jurisdictionem, & potestatem, non tantum in milites sacros, sed etiam domos, & prædia sibi subjecta; nisi obstet reservatio juris a Domino territorii.

Vt Ordinis autoritas conservetur, solet Magister Domibus sive Prædiis ad Ordinem suum pertinentibus, quosdam præficere, qui *Præceptores*, Gebietiger / item Commendatores, Commenthurer / vocantur.

Sunt inter Commendatores varii gradus honorum, hoc ordine: Qui in Ordinem assumitur, vocatur *Novitius*, eique unus equus cum famulo assignatur. Postmodum fit *Conventualis*; dehinc Kuchenmeister; porro Baumeister / qui res tam domi quam ruri curat; deinde Überreiter / qui est constitutus super census & feuda, sive bona censitica. Vlteriores honores sunt, der Trappierer / qui curat rem domesticam, damit in Kuchen und Keller alle Nothdurfft vorhanden sey. Der Haus-Commenthur / qui curat jurisdictionalia, audit causas rusticorum, minores decidit, majores vero remittit. Commenthur simplex: is gaudet Commenda prout potest, adhibito decenti moderamine: Dann er muß Rechnung leisten / hat sein gewisses Deputat, und Regalia, und so dessen Commenda weitläufftig / hat er einen Haus-Commenthur oder Trappierer pro Assistente. Sequitur Commenthur-Consiliarius, Rathsgebietiger.

Horum

Horum regulariter ſex eſſe ſolent, qui tam Magiſtro, quam Provinciali, in arduis conſiliis aſſiſtunt. Tandem eſt der Land-Commenthur: is curat omnes Commendas ejus Provinciæ, cui præeſt, viſitat illas, in rationes inquirit, eſt quoque Capitularis, ſive unus ex electoribus Magiſtri.

Milites Sacri, referuntur inter Perſonas Eccleſiaſticas: ſunt enim capaces juris ſpiritualis, percipiunt decimas, profitentur caſtitatem, paupertatem, & obedientiam; quæ tria ſunt ſubſtantialia Regularis religionis: tenentur officium dicere, & matrimonium absq; conſenſu Magiſtri contrahere prohibentur; denique, quicquid iis relinquitur, piæ cauſæ relictum dicitur.

Titulus II.
De Collationibus.

B*Eneficium aliquod vacat tribus modis:* Vel enim vacat de Jure & de facto; vel, de jure tantum, vel, de facto tantum.

De jure & de facto vacat beneficium, beneficiati morte, renunciatione, & degradatione. *De jure tantum* vacat, electione ad Epiſcopatum, & confirmatione ejus, qui Epiſcopatum habebat; acquiſitione beneficii, curam vel dignitatem annexam habentis; negligentia, intra annum Sacerdotales Ordines accipiendi, ab eo, cui Parochialis Eccleſia commiſſa; Simonia, hæreſi. *De Facto tantum* vacat, Spoliatione; ſed tum beneficium ſpoliato debet reſtitui, non in alium conferri.

Beneficium duobus modis acquiritur: Collatione, & Electione: unde & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, alia dicuntur Collectiva, alia Electiva.

Col-

Collatio, est beneficii vacantis adsignatio gratuita, facta alicui Clerico ab eo, qui jus cônferendi habet. Dicitur gratuita, ut excludantur pactiones Simoniacæ. Conferuntur autem Beneficia Simplicia, sive, quæ non sunt dignitates, aut personatus, ipsaq; collatione tribuitur plenum jus in beneficio. Per Electionem mandantur Dignitates Ecclesiasticæ, in quibus, post electionem, opus est confirmatione.

Collatio duplex est, Libera, & Non-Libera.

Libera est, in qua is, qui conferendi potestatem habet, omnino liber est, non alligatus vel præsentationi, vel ulli nominationi ab alio factæ. *Non-Libera*, qua is, qui jus conferendi habet, conferre ei cogitur, quem Patronus præsentaverit, vel alius nominaverit. Ejusmodi præsentandi jus sæpe habent Reges, Principes, & Vniversitates studiorum.

Conferendi Beneficia jus habet Summus Pontifex, qui, in Beneficiis Ecclesiasticis, quæ Christi, cujus ipse Vicarius est, patrimonium appellantur, plenam habet potestatem, etsi ea regulariter non utitur. Habent porro idem jus, alii ordinarii collatores, idq; varie, pro alia atque alia in singulis Ecclesiis consuetudine. Quædam enim a solis Prælatis, quædam a Capitulis, quædam etiam a singulis Canonicis, in turno existentibus, conferuntur.

Collatio Beneficii Ecclesiastici, quia juris est spiritualis, ideo nullo modo laicis competit, nihilo secius jus quoddam conferendi, jam olim exercuerunt Reges & Principes quidam, ac etiamnum exercent, simplici nudoq; jure præsentandi, Patronis omnibus communi, non contenti.

Beneficia conferenda sunt Clericis, ordine, ætate, sapientia, vitæ morumq; probitate idoneis, qui vo-

lunt

ſunt & valent, Deo ac Eccleſiæ gratum impendere famulitium, ſive nobiles ſint, ſive ignobiles, modo non minores 17. annis deprehendantur.

Ei, qui dignitatem, vel perſonatum, vel curam animarum habet, non poteſt alia dignitas, perſonatus, vel cura conferri, neque in eadem, neque etiam in diverſis Eccleſiis: adeo, ut beneficium non-ſimplex obtinens, per receptionem alterius ſimiliter non ſimplicis, ipſo jure amittat primum, altero etiam ſpoliandus, ſi primum retinere voluerit. In his tamen diſpenſare ſolet Papa, cum ſublimibus & literatis perſonis.

Sed *nec plura beneficia Simplicia*, quia & hæc reſidentiam requirunt perſonarum, unus idemq; citra diſpenſationem, ſecundum canones, tenere debebat; aliud tamen paſſim conſuetudine eſt introductum.

Conferri debent Beneficia, intra ſex menſes, ab eo tempore, quo vacare cœperunt. Beneficia tamen, quæ in Curia Romana vacant, ſolus Pontifex, intra menſem a die vacationis, conferre debet; quod ſi facere diſtulerit, Ordinarius conferendi poteſtatem habet.

In Curia Romana vacare intelliguntur ea beneficia, quæ, Sedi Apoſtolicæ reſervantur: uti ſunt eorum, qui ratione officii, vel ex cauſa legitima, in Curia Romana morantes, ibi, vel in locis vicinis, aut a Curia ad negotia Sedis Apoſtolicæ curanda emiſſi, moriuntur: qui ad Curiam Romanam accedentes, vel ab ea recedentes, in loco, ubi Curia reſidet, aut in locis, a Curia itinere duorum dierum non remotioribus, decedunt, aliiq;.

Clericus ægrotans, vel debilitatus, non eſt privandus fructibus, aut beneficii diſtributionibus quotidianis,

nis, quæ illi cedunt, perinde ac si sanus esset, & residens in Ecclesia. Quia, ceu ait Summus Pontifex, *c. pen. de cler. ægrot. & debilit.* afflicto afflictio non est addenda, sed potius ipsius miseriæ miserendum.

Rectori Ecclesiæ, lepra, aut morbo incurabili alio laboranti, dandus est Coadjutor, qui vices ejus suppleat, alendus ex fructibus beneficii ægrotantis, si sit opulentum; sin minus, ab Ecclesia, cui servit.

Provisio, de Beneficio necdum vacante, non valet, quia continet votum mortis alterius, & est ipso jure nulla. Proinde, qui se patitur in beneficium viventis institui, jubetur deponi, id est, ordinibus, quibus est initiatus, deponi.

Titulus 12.

De Institutionibus.

VOcabulum Institutionis sumitur vel late, vel stricte.

Late accepta Institutio, est receptio ad beneficium Ecclesiasticum, juxta præscriptum sacrorum canonum.

Stricte accepta Institutio, est collatio vel translatio juris Ecclesiastici non libera, a Superiore ad præsentationem Patroni facta. *Dicitur non-libera*, quia Superior, velit nolit, tenetur jus illud conferre in præsentatum, quando idoneus deprehenditur.

Titulus 13.

De Jure Patronatus.

J*Vs Patronatus*, est jus quoddam ecclesiasticum, spirituali annexum, præsentandi Clericum, seu ministrum Ecclesiæ, ad beneficium vacans.

Com-

Competit jus Patronatus illis, qui vel fundarunt, vel constrüxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, sive ipsi hoc fecerunt, sive alii, a quibus causam habent. Atq; competit hoc jus, non tantum Clericis & Monasteriis, sed interdum etiam Laicis, & adeo fœminis.

Concessum est Jus Patronatus Laicis, ex benignitate quadam Canonica, in vicem cujusdam remunerationis, ut hac ratione magis excitentur, ad fundandas & dotandas Ecclesias, cultumq; religionis promovendum. Hinc Patrono Laico, honor & primus locus in consessu vel processu debetur, inter Clericos ejusdem Ecclesiæ, eiq;, si ad inopiam redigatur, succurritur ab Ecclesia, quam fundavit.

Fieri debet præsentatio, a Laico Patrono, intra menses quatuor, *ab Ecclesiastico*, intra menses sex, licet jus Patronatus a Laico acquisiverit.

Patronus Ecclesiasticus, præsentando aliquem idoneum, non potest intra semestre postea alium præsentare: *Laicus* vero, uno aliquo etiam idoneo præsentato, potest adhuc, intra quadrimestre, præsentare alium tertium, & sic porro.

Legatus a Latere, Ecclesias & beneficia, quæ Patronos habent Ecclesiasticos, conferre potest, sine consensu Patroni Ecclesiastici: sed beneficia, quæ ad Patronos Laicos pertinent, non item; quia hi jurisdictioni Legati non subsunt.

Patronus, etiam Ecclesiasticus, seipsum præsentare non potest, quamvis sit idoneus: nemo enim se ingerere debet ministeriis ecclesiasticis, aut quicquam sibi donare potest; cum inter accipientem & donantem, personalis exigatur distinctio.

Si plures ejusdem Ecclesiæ vel beneficii sint Patroni, jus Patronatus spectat ad eos ut singulos; veluti si Pa-

si Patronus, qui fundavit, vel dotavit, plures reliquerit liberos, vel heredes, transibit jus illud in solidum, & singuli separatim præsentare poterunt, aliis non vocatis, vel requisitis. Est enim jus Patronatus jus individuum; quale etiam jure civili sunt servitutes. *Quod si inter heredes non conveniat*, & alii hunc, alii illum præsentent, interponet partes suas Episcopus, ad scandalum evitandum. Quippe dum, propter Patronorum discordiam, Ecclesia administratore caret; cessatur in ea a divinis, tolluntur reliquiæ, & ostia clauduntur.

Facta Præsentatione, institutio debet subsequi; etsi ejus tempus legibus non est definitum, sed arbitrio Judicis relinquitur.

An præsentatus sit idoneus, Episcopi est examinare. Excipiuntur tamen præsentati ab Vniversitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, qui non sunt examinandi.

Amittitur jus Patronatus 1. si Patronus Rectorem Ecclesiæ, vel alium Clericum ejusdem Ecclesiæ, per se, vel per alios, occidere vel mutilare præsumserit; & hoc casu cedit jus Patronatus ei Ecclesiæ, cui injuria illata. 2. Confiscatione bonorum ex causa hæreseos, vel læsæ majestatis, vel ob crimen aliud; quo casu jus Patronatus transit in Fiscum. 3. Emens aut vendens jus Patronatus, eo excidit, fitque Ecclesia sic libera.

Notandum ergo, *per se non vendi posse jus Patronatus*: foret enim hoc Simonia, & daretur temporale pro spirituali, vel quod spirituali annexum est. Interim, cum ipsa rerum universitate, veluti si villa aliqua vendatur, vel in emphyteusin detur, cui jus Patronatus adhæret, etiam

jus patronatus ad emtorem transit, nisi nominatim in contractu fiat exceptio.

Titulus 14.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

CEnsus, *generali notione*, significat, quicquid annuatim penditur: sed hoc loco *stricte* notat onus reale, ipsi Ecclesiæ impositum, sive in pecunia numerata, sive in alia qualibet re subsistat. Vel, est annuus canon, qui ex proventibus Ecclesiæ, vel Monasterii, aliorumve piorum locorum, debetur: solviturq; aut Superioribus, uti Episcopo, in signum subjectionis; aut etiam Inferioribus, uti Patronis, sive Clericis, sive Laicis, ob protectionem.

Census debet esse moderatus, nec tertiam partem redituum excedere: quin, nec augere illum, nec novum Ecclesiis imponere licet.

Exactio, est gravamen, quod extra ordinem, ratione personæ, facultatum, negotii, vel alterius cujusdam rei gratia, ex justa causa, imponitur. Nempe, permissum est Episcopo, si subsidio aliquo opus sit, postulare a subditis moderatum cum charitate auxilium; quod ideo *charitativum subsidium* appellatur.

Procurationes, sunt expensæ necessariæ, quas Ecclesia, vel Monasterium suppeditare debet illi Prælato, cui ex officio incumbit visitare Ecclesiam, vel Monasterium; sive sit Episcopus, sive Archidiaconus, sive Decanus, sive etiam Legatus Summi Pontificis. Non debentur vero, nisi cum ipsi Prælati visitant, minime autem, cum alios substituunt.

Tene-

Tenetur qualibet Ecclesia, vel Monasterium, visitationem admittere, & solvere procurationes, nisi speciale privilegium exemtionis a Papa indultum alleget: non obstante, quod Ecclesia aliqua diu stetit, nec unquam procurationes visitanti exhibuit. Quin, nulla præscriptione hæ tolli possunt: penduntur enim in testimonium subjectionis & obedientiæ, quam contra Prælatum subditus nequit præscribere.

Procurationes debent esse moderatæ, habita personæ visitantis, opum ejus qui visitatur, & consuetudinis ratione.

Si Ecclesia visitata procurationi solvendæ sola non sufficiat, vicinarum Ecclesiarum suppetiis, pro cujusq; Ecclesiæ reditibus, utetur.

Titulus 15.

De Testamentis, & Canonica portione.

T*Estamentum Jure Canonico valet*, quod factum coram duobus vel tribus testibus, & Parocho: quamvis non fiat principaliter ad pias causas, & laicus heres instituatur. Sed, attendendum, num hoc genus testamenti moribus receptum sit.

Filius, gravatus Fideicommisso, detrahit & legitimam, ut debitum naturale, & insuper Trebellianicam, pro præmio aditionis, quod *c. 16. & 18. de Testam.* Pontifex sic definivit: atque idem de jure civili quoque valere, receptior sententia est.

Testamentum facere possunt omnes, qui non prohibentur. Atque, *Clerici* recte testantur de bonis patrimonialibus, & quasi-patrimonialibus, item de bonis, quæ sua industria acquisiverunt, quæq;, parcius

do, ex proventibus ſui beneficii, congruæ ſuſtentationi ſubtraxerunt. At, de bonis intuitu Eccleſiæ ſuæ, cui ſerviunt, acquiſitis, uti de fructibus ſuorum beneficiorum, teſtamentum facere non debent; ſive bona hæc ſint mobilia, ſive immobilia. Bona enim, intuitu Eccleſiæ a Clericis acquiſita, poſt mortem illorum, ipſo jure Eccleſiæ cedunt, in ejusdem dominio manſura. Vnde, ne quidem ad pias cauſas Clerici de his fructibus teſtari valent, etſi de iisdem donare inter vivos pauperibus, & convertere in pios uſus poſſunt, quantum collibitum. Nihilo ſecius paſſim recepta eſt conſuetudo, ut Clerici de fructibus beneficiorum ſuorum libere teſtentur, etiam ad uſus profanos; quod valere dicendum eſt. Quia enim prohibitio e mero jure poſitivo proficiſcitur, ideo contrario jure poſitivo, & contraria conſuetudine, tolli potuit.

Executio teſtamenti, ab Executoribus, iisq; vel heredibus ipſis, vel per teſtatorem datis, vel per judicem aut magiſtratum conſtitutis, fieri debet: idq; intra tempus a teſtatore definitum, numerandum a die aditæ hereditatis, vel, nullo tempore definito, intra anni ſpatium. Quo elapſo, jus exequendi devolvitur ad Epiſcopum.

Si ab inteſtato decedat Clericus, bona patrimonialia deferuntur cognatis, ſecundum legitimæ ſucceſſionis ordinem, jure civili definitum; in quo jus Canonicum nihil immutavit.

Si defunctus Clericus nullos habeat Cognatos, vel Agnatos, bona ejus Eccleſiæ addicuntur.

Religioſis, qui votum paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis profeſſi ſunt, quamvis Abbates fuerint, teſta-

testamentum condere nefas est, quia qui monasterium ingrediuntur, se & sua Deo dedicant.

Canonica Portio est, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus, detrahitur, & Prælatis debetur: estq; vel Parochialis, vel Episcopalis.

Parochialis est, quæ Parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Curato & Rectori debetur, detrahiturq; ex rebus sive corporalibus, sive incorporalibus, mobilibus, sive immobilibus, quæ quis ægritudine correptus, in alia Ecclesia, quam in qua divina officia audit, & Ecclesiastica percipit Sacramenta, sepulturam sibi deligens, huic reliquit. Estq; vel quarta pars ejus, quod relictum, vel tertia, vel dimidia; prout hanc legitima consuetudo definivit.

Episcopalis, est quarta pars, quam Episcopus detrahit, de legatis pietatis causa relictis Ecclesiæ, in sua diœcesi sitæ. Hæc tamen portio non deducitur ex legatis relictis Ecclesiæ, pro ornamentis, cereis, fabrica & rebus similibus; quia favor divini cultus id prohibet.

Titulus 16.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

DEcimæ, sunt decima vel quota pars bonorum mobilium, seu jure quæsitorum omnium, Ministris Ecclesiæ debita, & quotannis persolvenda. Dicitur *quota pars*: nec enim semper decima pars solvitur, sed interdum duodecima, vigesima, vel alia; etsi portio illa semper vocatur & habetur pro decima.

Decimas jure Divino Clericis deberi, communis est Canonistarum sententia. Rationem allegant, quod

quod ab ipſo Deo decimæ ſint inſtitutæ, quas ſibi is in ſignum univerſalis dominii reſervaverit. Sed, Theologi, quibus Covarruvias *l. 1. Var. c. 17.* quoque accedit, Decimas, a temporibus Apoſtolorum, ſolo jure Eccleſiaſtico deberi, contendunt: tum, quia nullum de iis in lege Evangelica extat præceptum; tum, quia, ſi decimæ eſſent juris divini, contraria conſuetudine tolli aut minui non potuiſſent.

Decimæ ſunt vel Prædiales, vel Perſonales, vel Mixtæ: item vel Majores, vel Minores.

Prædiales decimæ ſunt, quæ debentur ex fructibus prædiorum, arborum, pecorum, apum, columbarum, ex obventionibus molendinorum, rerumq; ſimilium.

Perſonales decimæ ſunt, quæ ſolvuntur de rebus, quas quis ſua induſtria & opera acquiſivit: veluti ex negotiatione, venatione, militia, aliave profeſſione.

Mixtæ decimæ, ſunt partim prædiales, partim perſonales, ut quæ ex fructibus pecorum, aliorumve animalium, veluti fœtu, lana, lacte colliguntur.

Majores decimæ ſunt, quæ percipiuntur ex frumento, ſiligine, avena, hordeo, & rebus ſimilibus. Dicuntur Majores, quia uberiores, magisq; certæ deprehenduntur.

Minores, ſive parvæ decimæ ſunt, quæ percipiuntur ex fructibus hortorum, agnellorum, porcellorum, & ſimilibus: ſuntq; leviores, & minoris momenti.

Inter Decimas Prædiales, & Perſonales, hoc intercedit diſcriminis, quod prædiales decimæ ſolvendæ ſunt integræ, non deductis expenſis, quæ fieri ſolent in prædia colenda, in quærendos & colligendos fructus, ac quoque ſine deductione cenſuum & tributorum.

torum. Personales vero decimæ non solvuntur, nisi deductis expensis, quæ negotiationis causa fiunt: In hac enim nihil censetur acquisitum, nisi quod superest, deductis expensis.

Personales decimæ, debentur Ecclesiæ Parochiali, in qua quis Ecclesiastica percipit, vel percipere debet Sacramenta, quamvis alibi lucrum sit factum.

Prædiales decimæ, debentur ei Ecclesiæ, in cujus territorio ipsa prædia sita sunt; nisi consuetudine aliud fuerit introductum.

Debentur Decimæ, Parochiæ immediate: verum, ea mediante, etiam Cathedrali, aut Collegiali Ecclesiæ deberi possunt: quæ proinde, licet Ecclesia sit principalior, decimas recipiens, haudquaquam tamen eas alio titulo recipit, quam Parochiæ.

Regulariter *ad solvendas decimas tenentur omnes*, nisi qui docere possunt, se ab illarum præstatione singulari privilegio esse liberos. Etiam Pagani & Judæi, quia onus rerum sunt, si ad illos hæ pervenerint, decimas præstare coguntur. Nec aliter res se habet de Clericis, si prædia, titulo patrimonii, aut non spirituali alio, possideant: imo nec de Monachis, nisi prædia suis manibus excolant.

Decimarum Personalium obligatio, plerisq; in locis abiit in desuetudinem, ut & earum, quas Mixtas vocant. Ipsæ Prædiales quoque decimæ, alibi aut sublatæ, aut saltem mutilatæ deprehenduntur.

A præstatione Decimarum immunes sunt, qui privilegio Summi Pontificis muniti deprehenduntur: is enim, etsi universum jus decimarum abolere non potest, saltem quibusdam personis, immunitatem concedere non prohibetur. Nec minus consuetudo,

 do,

do, præſcriptio 40. annorum, & compoſitiones, ac transactiones, conſenſu Epiſcopi factæ, robur habent.

Laicis nullo modo permittitur, ut ſive donatione, ſive remiſſione, ſive præſcriptione, jus percipiendarum decimarum ſibi vindicent. Etenim decimæ ſolvuntur propter miniſterium Eccleſiaſticum, & ſunt jus ſpirituale; ac ideo in laicos non cadunt. *Excipiuntur*, quibus nominatim decimæ a Summo Pontifice, non vero ab Imperatore, aut Principe aliquo, fuere conceſſæ. *Amplius excipiuntur* decimæ, quæ olim, ante Concilium Lateranenſe, Laicis de Eccleſia bene meritis, in feudum aut beneficium conceſſæ fuerunt; quæ ideo vocantur *Decimatio antiqua.*

Decimæ Novales debentur ex agro, de novo ad culturam redacto, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, &, qui ante culturam, vel modicum, vel nullum fructum adferebat. Atq; decimæ novales debentur de jure communi Eccleſiæ Parœciali, in cujus finibus exurgunt.

Primitiæ, ſunt primi fructus agrorum & arborum, Deo, ut bonorum omnium largitori, vel ejus Eccleſiæ debiti, in miniſtrorum Eccleſiæ uſum. Hujusmodi Primitiæ *olim ter in anno offerebantur*, nempe in Paſchate, de frumento novo; in Pentecoſte, de pane novo; & Menſe Septembri, de vino novo.

Quantitas Primitiarum, olim definita non erat, ſed magis ex voluntate & devotione pendebat offerentis, quam juris aliqua neceſſitate. Poſtea in conſuetudinem & neceſſitatem ea res abiit, modusq; certus præſcriptus eſt, puta, ut de centum vitulis, (& ſic de aliis animantibus) unus, de cæteris fructibus, uti vino, frumento, non minor quam ſexageſima, nec amplior quam quadrageſima pars, offerretur; Parocho

rocho autem non amplius quam quartam partem exigere liceret.

Oblationes, ſunt voluntariæ & ſpontaneæ præſtationes, quæ de propriis & licitis rebus, ad altare, Deo & Eccleſiæ, a fidelibus, pro peccatis offeruntur. Numerantur Oblationes (ut & Decimæ ac Primitiæ) in ſolis Eccleſiarum bonis, ceduntq; vel Parocho, ſi fiant in Eccleſia Parochiali; aut aliis Sacerdotibus, qui pro populo orare tenentur: minime vero Laicis; nam, qui eas accipit laicus, aut eas tradit laico, raptor & ſacrilegus judicatur.

Titulus 17.

De Rebus Eccleſiæ non alienandis.

CLerici, in bonis ſeu rebus Eccleſiæ, ex quibus fructus percipiunt, ratione beneficii ſui, quæq; Eccleſiæ ipſius dominio continentur, *præter adminiſtrationem, nihil juris ſibi vindicare poſſunt:* unde minime jus habent eas alienandi.

Per Alienationem, hoc loco intelligitur, actus omnis, quo vel rei dominium, vel jus aliquod reale transfertur, quod fit donando, vendendo, permutando, locando, ad longum tempus in emphyteuſin, vel in feudum dando, pignori vel hypothecæ obligando.

Alienatio rei, quæ ad Eccleſiam pertinet, ipſo jure eſt nulla, & tam qui alienavit rem Eccleſiæ, quam qui eam accipit, excommunicatur: ipſeq; alienans, & quilibet alius ejusdem Eccleſiæ Clericus, eam vindicare a quolibet poſſeſſore poteſt; quia ſingulorum Clericorum intereſt, ne quid rerum Eccleſiæ, cui inſerviunt, pereat.

Certis casibus, res Ecclesiæ etiam immobiles licite alienantur. si nimirum justa causa subsit, & solemnitates requisitæ adhibeantur.

Justæ causæ, sunt, 1. *Necessitas* æris alieni, quod ex fructibus Ecclesiæ non potest dissolvi. 2. *Pietas*, uti si redimendi sint captivi, aut tempore caritatis annonæ alendi pauperes. 3. *Utilitas*, uti si alienetur res, quæ magis oneri est, quam emolumento.

Solemnitates requisitæ sunt, ut alienatio fiat a Prælato, cum Capitulo, vel Clero, prius habito desuper tractatu, id est, re prius in deliberationem deducta, an eam expediat alienari, & cum consensu expresso ac subscriptione totius Capituli, vel majoris ejus partis.

Hæ solemnitates, si non observentur, alienatio est nullius momenti: & alienans officio privatur, ac damnum Ecclesiæ illatum restituere compellitur. Recipiens rem, cum omnibus fructibus perceptis, restituit, pretium non recipit; regressum tamen adversus alienantem habet.

Res, quæ servari non possunt, sine ullis solemnitatibus alienantur. Quæ servari quidem possunt, sed sunt exiguæ, eas solus Episcopus, sine Cleri consensu, alienat.

Titulus 18.

De Precariis.

P*Recariæ*, sunt contractus, quo veluti precarius ususfructus prædii Ecclesiastici, alicui ad vitam, vel in perpetuum, aut ad longum tempus, vel gratuito, vel certa mercede numerata, conceditur, ea lege, ut de quinquennio in quinquennium renovetur, in perpetuam rei memoriam.

Dis-

Differunt Precariæ, a Precario, quod est contractus, quo alicujus rei usus cuiquam gratis conceditur, revocandus pro arbitrio ipsius concedentis: Precariæ vero, non possunt ad arbitrium concedentis revocari.

LIBER IV.

Titulus I.

De Judiciis.

J*Vdicium*, est causæ apud judicem competentem legitima tractatio, & dijudicatio.

Judicium aliud est Ecclesiasticum, vel Seculare; aliud Civile, vel Criminale; aliud Ordinarium, vel Extraordinarium, seu Summarium.

Judicium Ecclesiasticum est, quod coram Judice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra personam Ecclesiasticam, (cum Actor sequatur forum Rei) aut de causa Ecclesiastica agitatur.

Judicium Seculare est, quod coram judice Laico, inter personas seculares, de causa seculari exercetur.

Judicium Civile est, quo agitur vel in rem, vel in personam, civiliter, commodi privati gratia.

Judicium Criminale est, quod publicum commodum, & publicam vindictam respicit.

Judicium Ordinarium est, in quo omnia peragi debent, certo juris servato ordine, & solenniter.

Judicium Extraordinarium, seu Summarium est, quando non in figura judicii, sed ex judicis officio, per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel alias de plano, ex æquitate proceditur.

Judi-

Judicium constituunt Actor, Reus, & Judex. *Actor*, intentionem suam proponendo, agere dicitur in judicio. *Reus*, exceptiones suas opponendo, se tuetur & defendit. *Judex* inter Actorem & Reum sententia sua litem dirimit. Ipsæ disceptationes appellantur *Judicia*.

Titulus 2.

De Judice.

JVdex, est persona, quæ jurisdictioni præest, ac populo, juxta legis præscriptum, lociq; consuetudinem, jus dicit.

Officium Judicis duplex est; Nobile, & Mercenarium.

Officium Nobile Judicis dicitur, quod per se stat, & imploratur, nec ulli actioni ex præscripto subservit. Veluti, dum sponte sua Judex, ne turbetur Respubl. inquirit, & punit malefactores. Item, dum non sponte, sed ad petitionem, nobili suo officio, minorem ætate lapsum, aut Ecclesiam, per suos administratores aut procuratores ejus nomine contrahentes læsam, in integrum restituit.

Mercenarium Judicis officium dicitur, quod actioni propositæ subservit, ut scilicet instituta actio melius procedat, & exitum suum habere possit. Ita ex mercenario judicis officio pendet, ut jubeat judex reum satisdare, judicatum solvi: item alieno nomine experiri judicio volentem, cogere, ut satisdet dominum ratum habiturum, quicquid ejus nomine in judicio egerit.

Judex, est vel Ordinarius, vel Extraordinarius, sive Delegatus.

Judex

Judex Ordinarius eſt, qui jure ſuo, vel Superioris beneficio, Jurisdictionem poteſt univerſaliter exercere: uti Epiſcopus, Archiepiſcopus.

Judex Extraordinarius eſt, qui non jure ſuo, vel Superioris beneficio, ſed, vel ex partium conſenſu, ut Arbiter, vel ex Superioris commiſſione, ut Delegatus, alicujus cauſæ judicialem cognitionem ſuſcipit.

Delegare Judicem poſſunt, & Ordinarii, & Papæ Delegati; non Delegati Ordinariorum, niſi cauſarum univerſitas delegetur. Delegari quidam impediuntur Natura, quidam Lege, quidam Moribus.

Natura delegari impediuntur, ſurdi, muti, perpetuo furioſi, & minores 25. annis.

Lege delegari impediuntur, Senatu moti, & infames. Sunt autem infames, hæretici, fures, ſacrilegi, capitalibus criminibus irretiti, ſepulcrorum violatores, &, qui ſe Epiſcopis opponunt, inceſtuoſi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, anathematizati, & omnes, quos Eccleſiaſticæ & civiles leges infames pronunciant.

Moribus delegari impediuntur, fœminæ, & ſervi; quia receptum, ne civilibus officiis fungantur.

Non tantum unus, ſed & duo, tres, vel plures, ad eandem cauſam judices dari poſſunt; idq; vel ſimpliciter, vel clauſula aliqua adjecta.

Si ſimpliciter facta ſit delegatio, tum unus, vel aliqui ex ipſis, ſine aliis, vel horum, quæ permittitur, ſubdelegatione, in delegatæ cauſæ cognitione, procedere & ſententiam ferre non poſſunt; ſi fecerint, illa ipſo jure erit nulla.

Si delegatio pluribus facta, cum clauſula: *Si non omnes intereſſe potuerint, reliqui nihilominus exequantur*; vel, cum clauſula: *Si ambo intereſſe nequive-*

quiverint, unus ex illis cognoscat: tum, si unus, vel plures interesse non possint, vel nolint, cæteris ad causæ cognitionem procedere licet.

Fieri potest delegatio, circa principium, medium, & finem causæ.

Debet delegatus *mandati formam*, si præscripta, sin minus, formam juris, diligenter servare.

Delegati jurisdictio exspirat, Revocatione, Morte, Impedimento, temporis lapsu, contrario rescripto: Recusatione item, cum judex datus, ab altero litigatorum, ob justam causam removeri postulatur: denique, cum sententia definitiva executioni mandata. Hanc autem non exequitur delegatus, sed ipse Judex Ordinarius.

Titulus 3.
De in Jus vocando.

C*Irca Judicium consideranda*, ejus Præparatoria, Principium, Medium, & Finis.

Præparatoria Judicii futuri sunt: In jus vocatio, Libelli oblatio, Reconventio, seu mutua petitio.

In jus vocatio, seu Citatio, est actus judicialis, seu judicii præparatorius, quo is, quem coram sisti opus est, judicis mandato legitime vocatur, juris experiundi gratia. *Partes ejus tres sunt:* Præceptio judicis, Verbalis citatio, quam Nuncius exequitur; & ejusdem Nuncii Relatio; cui in hac re creditur, utpote jurato, & de suo officio testificanti, nisi contrarium probetur.

Citatio, est vel Juris, cum Lex, vel Canon, certum dierum terminum, intra quem quis ad actum aliquem exercendum, se judicio debeat sistere, statuit: *Vel est Hominis*, cum quis mandato judicis in jus

jus vocatur. *Utraq; est vel Generalis*, qua, quicunq; sua interesse putaverit, negotio ut adsit, & in jus veniat, admonetur: *vel Specialis*, qua persona certa, & vocandi causa exprimitur.

Specialis citatio, est vel Verbalis, eaq; aut Publica, aut Privata; vel Realis.

Verbalis est, quæ fit verbo. *Publica*, quæ fit publice, affixis citationis literis, quam *Edictalem* vocant, aut per præconem, campanam, vel tubam. *Privata* est, cum quis privatim per nuncium, partem, vel Notarium, ad domum citatur. *Realis*, est personæ citandæ apprehensio.

Edictalis citatio, tum demum fieri potest, si quis alio modo citari nequeat; uti, si citandus per se, vel per alios efficiat, ne citatio possit ad se pervenire: si locus, ubi citari debet, non est tutus: si citentur omnes, quorum interest.

Fieri debet citatio in locis vicinis, hoc est, iis, quæ domicilio citandi ita propinqua sunt, ut verisimiliter citationis notitiam habere possit.

Fit citatio, jussu Judicis, per apparitorem, ad instantiam litigatoris, citra quam Judex neminem citare debet, nisi causa sit publica.

Citare possunt, sed non extra locum, ubi judicare tenentur, Judices Ordinarii, & Delegati; non tamen ni per edictum, sine speciali concessione.

Citari debent omnes, quorum interest, quorumcunq; causa agitur, præsentes personaliter, absentes d domum habitationis; personæ vero, quibus reveentia debetur, non, nisi venia prius impetrata, citanæ sunt, sub pœna quinquaginta aureorum.

Citatio facienda non modo in singulis causis, sed iam in singulis causarum actibus; nisi ad totam causam,

ſam, cum citandus in loco remoto degit, facta fuerit citatio.

Edictalis citatio continere debet 1. Nomen judicis citantis. 2. Nomen & cognomen ejus, qui citatur. 3. Illius, ad cujus petitionem fit. 4. Cauſam, propter quam fit citatio. 5. Locum judicii, ſi quidem judex fuerit Delegatus. 6. Diem & terminum comparendi.

Fieri debet citatio tribus Edictis, intervallo decem dierum diſcriminatis; vel uno peremtorio, tantum temporis, quantum tria Edicta, continente. Nec licet hoc tempus abbreviare, niſi ob juſtam cauſam, in citatione exprimendam.

Citatione legitime facta, reus in judicio debet comparere, non autem, ſi illegitime fuerit citatus. Sed nec ad legitimam citationem comparere tenetur ſpoliatus, nec reſtitutus; facto adverſarii impeditus; ad majus tribunal vocatus; vinculis, aut infirmitate detentus; vel aliis ſimilibus cauſis implicatus, quoad impedimentum ceſſat.

Citatio operatur præventionem, perpetuat jurisdictionem, inducit litis pendentiam.

Lis pendere dicitur, poſtquam a Judice competente citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quo minus ad notitiam ejus pervenerit.

Titulus 4.

De Foro Competente.

VOcari Reus debet ad Judicem competentem: Actor enim ſequi debet forum Rei.

Forum, eſt locus vel ſedes, ubi lites & controverſiæ judiciales exercentur.

Forum

Forum Reus sortitur quinq; modis. Nimirum ratione Domicilii, Rei sitæ, Contractus, Delicti, & Privilegii. Hoc est: Ejus judicis jurisdictioni reus subest, in cujus territorio, vel domicilium habet; vel res, de qua controvertitur, sita est; vel in quo contraxit, licet alibi domicilium habeat; vel ubi deliquit. Ex privilegio vero, *Clericus* non nisi coram Judice Ecclesiastico conveniri potest.

Potest is, qui, extra domicilii locum, alibi ex aliis caussis forum sortitur, *in loco domicilii* ab Actore conveniri: etsi enim quis est extra territorium sui Judicis, non tamen per id desinit esse subditus suo Judici.

Domicilium quis habere dicitur, ubi larem, rerumq; ac fortunarum summam constituit; vel saltem, ubi majorem bonorum suorum partem possidet.

Potest quis renunciare foro, & prorogare jurisdictionem judicis non sui, etiam absq; consensu sui judicis; quia cuilibet licet renunciare favori suo, ergo & exceptioni declinatoriæ fori competentis. *Clericus* tamen non potest in se prorogare jurisdictionem judicis laici: quoniam hoc privilegium datum est Clericis, in favorem totius Ordinis clericalis, atq; sic publicum evasit, cui pacta privatorum derogare nequeunt.

Titulus 5.

De Pactis, Transactionibus, & Arbitris.

QUia fere semper litis eventus dubius est, *solent litigantes, controversias privatas inter se componere* per Pacta, & Transactiones, aut ad Arbitros declinare.

Pactum, est duorum, vel plurium, in idem placitum consensus, ad aliquid dandum, vel faciendum.

Pacta varie dividuntur. Præcipua, quæq; huc pertinet, divisio est: quod pacta alia sunt *Nuda*, quæ in puris placiti seu conventionis stant terminis, neq; causam aliquam habent obligandi, quippe nullo facto interveniente ; itaq; jure civili non pariunt actionem. Alia Pacta *non Nuda*, sed *Vestita* sunt, quæ in specificum nomen contractus abeunt, ut Emtionis, Locationis, Pignoris &c. atq; hæc causam obligationis habent, & pariunt actionem, seu jus petendi validum, utroq; jure.

Licet Jure Canonico pacisci de dignitatibus, prælaturis, & omnibus beneficiis, tam curatis, quam non curatis; item, de rebus, quæ in commercio sunt, modo ex earum conventione, nec periculum animæ, nec turpitudo, nec impossibilitas, nec Ecclesiæ damnum inferatur. Secus enim pacta non valent.

Transactio, est rei dubiæ, & litis incertæ, neq; finitæ, aliquo dato vel remisso, conventa decisio.

Super beneficio Ecclesiastico, vel alia re spirituali, transigere non licet. Cum enim transactio fiat aliquo dato vel accepto, si super beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus, transigere liceret, incideret ea res in crimen Simoniæ: pro rebus enim spiritualibus, nec pretium, nec aliam rem pretio æstimabilem, dare vel accipere conceditur. *Licet tamen tale quid facere, ob redimendam vexam:* quia tum non illud agitur, ut numerato pretio, beneficium, vel alia res spritualis, acquiratur, sed ut bonum jam acquisitum, ne litibus a potenti adversario vexemur, aliqua re data, illæsum retineamus.

Lis semel transactione finita, non potest amplius resuscitari, ne quidem sub prætextu novorum instrumentorum, post ab actore repertorum.

Arbi-

Arbitri ſunt, qui, nullam poteſtatem in litigantes habentes, conſenſu litigantium, in judices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum ſententia ſtetur.

Differunt Arbiter & Judex, quod Judex habet autoritatem judicandi publicam, quam jurisdictionem appellamus: ſed Arbiter, nullam habet jurisdictionem, utpote conſenſu privatorum aſſumtus, ad litem dirimendam; privati vero publicam autoritatem, quam non habent, impertiri non poſſunt.

Inter *Arbitros & Arbitratores* verum diſcrimen non intercedit, & vulgo hæc vocabula promiſcue uſurpantur. Volunt tamen quidam, *Arbitrum* eum proprie eſſe, qui, tanquam vir bonus, inter aliquos ſub pœna eligitur, ut finem ſua ſententia controverſiis imponat. *Arbitratorem* eum dicunt, qui ſine pœna ad hoc eligitur, ut totis animi viribus exploret jus controvertentium, & æqua compoſitione definiat. *Alii ſic diſtinguunt*, quod *Arbiter*, qui & Judex Compromiſſarius dicitur, adinſtar judicum, ordine judiciario, auditis hinc inde partibus, procedat ad ſententiam; *Arbitrator* vero, ſeu Amicabilis compoſitor, controverſiam, prout æquum ei videtur, ſine aliquo juris ordine definiat.

Arbitri eligi poſſunt, qui neq; legibus, neq; Canonibus prohibentur. *Prohibentur*, pupilli, minores 20. annis, muti, ſurdi, mulieres, & laici in rebus ſpiritualibus.

Poſſunt Arbitri eligi, vel unus, vel plures. Quod ſi plures adſumantur, ſatius eſt, impari numero eligi, ut, ſi diſſenſio oriatur, judicio majoris partis arbitrium finiatur. Poteſt tamen in plures pari numero compromitti, verum non ita, ut, ſi convenire non poſſint, ipſi tertium eligant.

Arbitri assumi possunt in controversiis omnibus, nisi si quæ nominatim excipiuntur. Tales sunt beneficia Ecclesiastica, nisi id fiat autoritate Superioris, itemq; causæ matrimoniales, & exemptionis.

Quia Arbitri assumuntur, ut per eos lites tollantur, ideo *coguntur dicere sententiam*, atque cogit eos Prætor, ut officium, quod susceperunt, impleant. *Standum* autem *sententia Abitri*, sive æqua ea sit, sive iniqua: quia sibi debet imputare, qui compromisit: unde sequitur, non licere a sententia Arbitri appellare.

Arbitrorum potestas finitur, morte omnium, vel alterius ipsorum; morte litigantium, aut alterius; lapsu temporis compromisso inserti, & prolatione sententiæ definitivæ.

Titulus 6.

De Postulando.

QVod si neque pactionibus, neque transactionibus, neque compromissis lis componi queat, Partes vel per se, vel per Patronum, *Judicem accedunt*, & desideria sua exponunt, quod dicitur postulare.

Est ergo *Postulare*, desiderium suum, vel amici sui, in jure, apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.

Postulare possunt omnes, qui aut Edicto, aut Lege, aut sententia Judicis, aut Canone non prohibentur.

Canone prohibentur postulare, Clerici Regulares, nisi pro utilitate Ecclesiæ, vel sui Monasterii, & præcepto Abbatis. Sic nec excommunicatis postulare licet.

Titu-

Titulus 7.
De Procuratoribus, & Syndico.

PRocurator est, qui aliena negotia, mandato Domini, aut Prælati, alteriusve Clerici, Domini vicem gerentis, administrat: atque alii ad negotia, alii ad lites, ut in judicio alieno nomine versentur, constituuntur.

Procuratores esse prohibentur, excommunicati, infames, si dentur clericis, non laicis; Monachi & Clerici, tam Regulares quam Seculares; & minores viginti quinq; annis.

Constitui potest Procurator, tam in causa spirituali, quam civili, imo & criminali, si civiliter ad pœnam agatur, non criminaliter.

Constituitur Procurator, vel unus, vel plures, idq; Domini consensu expresso, aut tacito, si nimirum Dominus præsens patiatur, aliquem rem suam agere in judicio, aut extra illud.

In judicio constituitur Procurator, cum Dominus mandatum actis insinuat, aut coram judice Procuratorem eligit. *Extra judicium*, coram Notario & Testibus, aut, si hi haberi non possint, literis, privato vel publico sigillo consignatis.

Mandatum Procuratorium continere debet nomen Judicis, coram quo litigatur, constituentis, constituti, & ejus, contra quem, in qua causa, & ad quid, puta, an ad agendum, an vero defendendum constituatur, & quod Dominus id, quod cum eo erit actum, ratum habebit, & potissimum, si a Reo detur, satisdationem, qua Dominus, sub hypotheca rerum suarum, procuratoris fidejussorem, judicatum solvi, se constituit.

Procurator ad lites constitutus, alium substituere non potest, nisi litem sit contestatus, vel id mandato suo contineatur.

Procurator revocari ante litem contestatam semper potest; postea, cum jam dominus litis factus, non nisi volens, nisi justa causa revocationem suadeat: quales sunt, si procurator sit suspectus, affinis, heres adversarii, aut valetudine, vel alia re impediatur.

Revocatio Judici vel Adversario insinuari debet; alioqui, si hi eam ignorant, quæ gesta sunt, rata habentur.

Præter Revocationem, *exspirat quoq; potestas procuratoria*, sententia lata, nisi appellationem interposuerit, quam tamen invitus prosequi non tenetur. Amplius, exspirat morte constituentis, etiam quoad negotia jam cœpta, vel causas, in quibus ante mortem fuerat lis contestata.

Syndicus a Procuratore differt : quod Procurator est persona privata, quodq; a domino ac privato constituitur; Syndicus vero est persona publica, autoritatem habens agendi vel defendendi causas in judicio, ab universitate, collegio, vel corpore aliquo.

Titulus 8.

De Libelli oblatione.

SIve per se, sive per Procuratorem compareat Reus, *Actor, a Reo quid petat, coram Judice exponere debet.* Facere id potest, *in causis summariis*, & aliis nonnullis, verbo tantum, sine scriptura, per se, vel per Advocatum, factum & quæstionem proponendo; *in plenariis* causis, scriptura, quæ libellus dicitur, opus est.

Libel-

Libellus est brevis scriptura, claram Actoris petitionem continens, & contra Reum concludens.

Libellus, est vel Conventionalis, seu Postulatorius, qui in negotiis Civilibus; vel Accusatorius, seu Querimonialis, qui in Criminalibus adhibetur.

Accusatorius libellus, sive crimen publicum prosequatur, sive privatum; sive civiliter, sive criminaliter agatur, *continere debet* diem, & annum; nomen & cognomen accusantis & accusati, & judicis, coram quo accusatio fit; crimen, & tempus, quo commissum fuit; cum inscriptione interdum.

Libellus Conventionalis eadem fere continere debet; nempe, non solum agentis & conventi nomen, sed & jus dicentis, & petitæ rei, & actionis qualitatem, atq; si personali actione agatur, petendi causam.

His cautionibus opus est, tum Rei, tum Judicis gratia. *Rei*, ut deliberare queat, num contendere, an cedere malit. *Judicis*, ut sciat, qualiter debeat formare sententiam, quippe quæ secundum petitionis formam ferenda est.

Si libellus recte sit conceptus, & Reo oblatus, ubi is respondet, vel partem negat, partem autem defendendo confitetur, *lis censetur contestata.*

Titulus 9.

De Mutuis Petitionibus.

Reus conventus, si ei nulla suppetat exceptio, qua judicium differat, *potest Actorem*, quem vel ratione rei, vel alicujus negotii, obligatum habet, *vicissim apud eundem Judicem reconvenire.* Cujus enim in agendo quis observat arbitrium, eundem habere contra se judicem, in eodem negotio, recusare non debet.

Reconventio est mutua petitio, contra convenientem vel agentem, in eodem judicio constituta.

Proponi debet Reconventio, libello comprehensa, ante litem contestatam, vel statim post, & deinde cum conventione simultaneo processu, eodemq; judiciorum ordine & figura procedere. Nempe, oblato libello Conventionis ex parte Actoris, & libello Reconventionis ex parte Rei, prius Reus ad libellum Actoris, deinde Actor ad libellum Rei respondebit, & sic deinceps utriusq; causæ singuli actus judiciales, vicissim ac simultanee, ad finem usque litis, decurrent, judexq; , causa utrinq: cognita, si de utraq: pariter liqueat, utramq; una eademq; sententia definiet.

Reconventio Actoris etiam coram judice alias incompetente locum invenit: Veluti, Clericus, qui Reum convenit coram judice laico, reconvenitur coram eodem judice; quia reconventio tollit exceptionem incompetentiæ.

Reconventio locum habet in omnibus causis, jure non prohibitis, sive in rem, sive in personam agatur. Prohibetur autem in causis criminalibus, in causis spiritualibus coram laico; in causa spoliationis, depositi, momentaneæ possessionis.

Titulus 10.
De Litis contestatione.

L*Itis Contestatio*, est Rei, ad petitionem Actoris, vel contra, (ceu fit in reconventione) Actoris, ad Rei petitionem, negando vel affirmando, responsio, animo litem contestandi. Proinde non necesse est, ut Reus respondendo dicat, se respondere animo litem contestandi; facere enim id præsumitur: nisi respon-

deat

deat cum proteſtatione,de non conteſtando; hæc enim proteſtatio impedit litis conteſtationem.

Nuda facti narratio, & reſponſio, in negando non conſiſtens, non inducit litis conteſtationem.

Litem conteſtantur, vel ipſæ perſonæ principales, ſi habent perſonam ſtandi in judicio; vel eorum nomine Procuratores, Tutores, Curatores, Syndici, Actores, Advocati. Idq; facere debent coram judice competente, tempore ad agendum legitimo.

In omni cauſa judicii ordinarii, neceſſaria eſt litis conteſtatio, & adeo de ejus ſubſtantia, ita ut ſine ea judicium ordinarium ſit ipſo jure nullum. In judicio vero extraordinario & ſummario, hæc omitti poteſt, ut judex, audita utrinq; facti narratione, judicet, quod æquum ei videbitur.

Litis conteſtationis effectus, alii ſunt a parte Judicis, alii a parte Actoris, alii a parte Rei, alii Communes.

Effectus a parte Judicis ſunt, quod litis conteſtatio jurisdictionem ipſi demandatam perpetuat; quod in præjudicium unius litigantis nihil innovare poteſt.

Effectus a parte Actoris ſunt, quod litis conteſtatio actiones temporales perpetuat, quamlibet præſcriptionem interrumpit, quod rem petitam litigioſam facit, quod actor libellum mutare nequit.

Effectus ex parte Rei ſunt, quod res petita, poſt litis conteſtationem, Reo perit, puta, ſi fur ſit, aut prædo; quod poſt eam poſſeſſores in mala fide conſtituuntur.

Communis Effectus eſt, quod litis conteſtatio novationem inducit, quodq; ab ea judicium incipit.

Lite non conteſtata, non procedi poteſt ad teſtium receptionem, aut ſententiam definitivam. Etenim, lite non conteſtata, nihil adhuc extat in judicio, ſuper

quo teſtes produci poſſint; nihil adhuc petitum, de quo ſententia queat ferri.

Si Reus, ter, vel ſemel peremtorie, citatus, non compareat, atque ita impediatur conteſtatio, neque hoc caſu recipi teſtes poſſunt, ſed Reus habebitur pro contumace, Actorq; mittetur in poſſeſſionem rerum petitarum, cuſtodiæ cauſa, ut hac ratione cogatur tandem Reus comparere in judicio, litemq; conteſtari.

Sunt nihilo ſecius *caſus aliqui, in quibus, citra litis conteſtationem, recipi teſtes poſſunt.* Vti in cauſa *matrimonii*, ſive Spiritualis, (quale eſt inter Prælatum & Eccleſiam) ſive carnalis, an illud valeat, vel non; ne Eccleſia, deſtituta Paſtore, detrimentum patiatur, aut alterutri conjugum detur occaſio fornicationis. Idem licet, quando agitur *per viam Inquiſitionis*; aut quando *teſtes petuntur audiri, ad perpetuam rei memoriam*, veluti, ſi teſtes ſint valetudinarii, ſi ſenes, ſi peregrini, ne, ob mortem, vel abſentiam teſtium, poſt litem conteſtatam, veritas poſſit elidi. Id quod hodie fieri ſolet, Reſcripto impetrato a Principe.

Titulus II.
De Juramento Calumniæ.

LIte conteſtata, ne vel Actor vexandi tantum cauſa, vel Reus tantum differendæ ſolutionis gratia, litem inſtituere fovereq; videantur, ſuccedit juramentum calumniæ, utrinq; præſtandum.

Calumniari dicitur, qui ſciens & prudens, vel falſum defendit, vel verum oppugnat, ac tergiverſatur. Eſt igitur *Juramentum calumniæ*, juramentum, a litigantibus, ſuper cauſa bona fide ſuſcepta, & deinceps proſequenda, præſtandum.

Jurab

Jurat nimirum *Actor*, quod non calumniandi animo litem moverit, ſed quod exiſtimet ac credat, ſe juſtam habere cauſam litigandi. *Reus jurat*, quod putet ſe juſte reſiſtere, opinione juris ſui.

Jurat uterq;, quod nullam ab adverſario ſuperfluam exiget probationem, extrahendæ litis cauſa; quodq; nihil dederit aut promiſerit Judici, ejus corrumpendi gratia. Si hoc juramentum non petitum ſit, *Judex illud partibus imponere tenetur.* Impoſitum ſi quis præſtare recuſaverit, Actor ab inſtituta cadet actione, Reus pro confeſſo habetur.

Præſtant hoc juramentum, litigantes omnes, etiam Vniverſitas, Municipium, perſonæ Eccleſiaſticæ in cauſis propriis, non in cauſis Eccleſiæ, ſive ſuo, ſive alieno nomine judicium ſuſcipiant. Nihil intereſt, ſive quis in propria perſona, ſive per procuratorem illud præſtet.

Sed *Procurator*, quando hoc juramentum præſtat, debet ad hoc ſpeciale habere mandatum, & tum in animam Domini ſui jurat.

Præſtatur hoc juramentum in omnibus cauſis, in quibus neceſſitas probationis incumbit, tam in prima, quam ſecunda appellationis inſtantia, etiam in cauſis criminalibus, & ſpiritualibus.

Titulus 12.

De Dilationibus.

D*ilatio*, eſt juſtum temporis ſpatium, quod, ad actum aliquem judicialem perficiendum, conceditur Actori, vel Reo, a Lege, Judice, vel ex Conventione partium.

Dilatio Legalis eſt, quam ipſa lex concedit, citra judicis aut litigantium operam. *Judicialis* eſt, quam dat Judex, ex præcepto ſeu permiſſione legis. *Conventionalis*, ex conventione partium oritur.

Dilationum Judicialium aliæ ſunt Citatoriæ, aliæ Deliberatoriæ, aliæ Probatoriæ.

Dilationes Citatoriæ ſunt, quæ dantur citatis, & in jus vocatis, ut commode pervenire poſſint ad judicium, idque tribus vicibus, juſto temporis intervallo, inter ſingulas citationes. Tempus hoc variat ex conſuetudine cujusq; Curiæ, & fere eſt arbitrarium.

Pro ternis citationibus, poteſt Judex, ſi cauſa juſta ſubſit, uti *unica peremtoria*; quo caſu, peremtorie citatus ſi non veniat, perinde habetur ac punitur, ut contumax, & quaſi ter citatus fuiſſet.

Dilationes Deliberatoriæ ſunt, quæ dantur Reo, ut, viſo Actoris libello, ſecum deliberet, cedere ne, an judicio experiri velit, & ut cogitet, quid Actori in judicio reſpondendum ſit. Tempus hujus dilationis, olim fuit 24. dierum, a porrecto per Actorem libello. Hodie eſt arbitrarium.

Dilationes Probatoriæ ſunt, quæ dantur Actori, ad ſuam intentionem, Reo, ad exceptionem probandam. Et, ne in his modum excederent Judices, definitum eſt ſpatium trium menſium, ſi in eadem provincia, ſex menſium, ſi trans mare teſtes fuerint, ad eos producendos; etſi nunc hîc quoq; Judicis ſtandum eſt arbitrio. Judex dilationes non debet concedere, niſi ſedens pro tribunali, prævia cauſæ cognitione, & utraq; parte præſente.

Titu-

Titulus 13.
De Feriis.

QVemadmodum dilatione durante Judicis officium interim quiescit, ita quiescit idem hoc, durantibus Feriis.

Feriæ, sunt dies ab actibus judicialibus vacui, quibus scilicet forensis strepitus, & exercitium jurisdictionis conquiescere jubetur.

Feriæ, aliæ sunt Solennes & Ordinariæ, aliæ Repentinæ seu Extraordinariæ. Solennes & Ordinariæ, sunt vel Sacræ vel Profanæ.

Solennes Sacræ feriæ, sunt dies cultui Dei, & Sanctorum honori dicati, easq; ferias, singulis diebus Dominicis, Parochus populo significare debet.

Profanæ Feriæ sunt, quæ propter utilitatem vel necessitatem hominum sunt institutæ, quales sunt feriæ messis & vindemiarum.

Repentinæ Feriæ sunt, quas Princeps aut Magistratus, ob inaugurationem, triumphum, rem prospere gestam, aut causam similem, indicit.

Hisce feriatis diebus expediri non possunt, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ; uti est citatio ad causam dicendam, respondendum, jurandum, sententiam audiendam, damnatio ad mortem, vel aliam pœnam. Expediri tamen possunt, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, ut tutorum vel curatorum datio, emancipatio, testamenti, aut donationis, aut contractus confirmatio.

Actus Judicialis, die festo, sive feriis ad divinum cultum institutis, licet ex utriusq; partis consensu, celebratus, est ipso jure nullus. Actus vero judicialis, tempore feriarum ob messem & vindemiam, mutuo litigantium

tium consensu, celebratus, non item. Feriæ enim Sacræ juris sunt publici, non tam in singulorum gratiam, quam totius Reip. causa introductæ, & mandatæ autoritate Ecclesiæ: igitur his privata pactione renunciare non licet. At, de profanis feriis secus se res habet.

Titulus 14.
De Ordine Cognitionum.

INterdum accidit, ut aliqua cognitio differatur, donec altera terminetur: proinde *servandus est Ordo Judiciorum*, seu Cognitionum, hoc est, dispositio, qua unum judicium alteri anteponitur.

Quod si igitur *quæstio præjudicialis* v. c. an quis sit filius, vel proximus cognatus, incidat in judicium petitionis hereditatis, prius definiendum erit, quem esse filium legitimum, vel cognatum proximum, quam, an hereditas ei restituenda sit, vel non? Causa enim major, qualis est quæstio natalium, trahit ad se causam minorem, id est de hereditate restituenda: sive coram eodem judice agatur, sive coram diversis; veluti de causa natalium coram judice Ecclesiastico, & causa hereditatis, coram laico.

Si utraq; causa sit Principalis, & civilis prius proposita, prius erit tractanda; si sint criminales, major minori præponetur; si una civilis, altera criminalis, posterior prius tractari debet.

Titulus 15.
De plus Petitionibus.

INter incidentes Quæstiones sæpe illa se offert, *an Actor plus petierit, quam oporteat?*

Plus

Plus quis petere dicitur *quatuor modis*, Re, Tempore, Loco, & Caufa.

Tempore plus petere dicitur, qui petit ante diem, vel conditione; obligationi adjecta, nondum exiftente.

Re plus petere dicitur, qui majorem fummam vel quantitatem petit, quam debetur.

Loco plus petere dicitur, qui petit alio loco, quam ubi convenit, ut folveretur.

Caufa plus petere dicitur, qui id, quod in genere vel alternatim debetur, in fpecie vel præcife petit.

Re plus petens, fine dolo malo, condemnatur adverfario in expenfas litis.

Tempore plus petente Actore, duplicantur Reo induciæ: nec cogitur poftea Reus litem excipere, nifi expenfæ ipfi folvantur litis prioris, ante diem motæ.

Loco plus petens, tenetur, quanti Rei intereft, alio loco peti, quam ubi oportebat.

Caufa plus petens, in expenfas omnes, & damnum, quod Reus occafione inftitutæ actionis tulit, condemnatur.

Titulus 16.

De Caufa Poffeffionis & Proprietatis.

INcidit frequenter quæftio, inter Actorem & Reum, *de caufa poffeffionis & proprietatis* inftituenda, utrum fimul in eodem judicio proponi poffint, an vero fingulæ caufæ fingulis judiciis tractandæ fint.

Caufa Proprietatis eft, in qua principaliter agitur de proprietate feu dominio, vel quafi dominio, quando fcilicet Actor contendit, fe effe dominum rei controverfæ, Reus vero e contrario negat: & hoc appellatur *Judicium Petitorium*.

Causa Possessionis est, in qua principaliter agitur de possessione, vel quasi; veluti, cum Actor contendit, possessionem rei sibi esse restituendam, & Reus negat: quod vocatur *Judicium Possessorium*.

Possessio, est jus reale, insistendi vel incumbendi rei corporali, sive mobili, sive immobili, tanquam suæ, non prohibitæ possideri. Dicitur *Jus reale insistendi*, quia non statim, qui rem aliquam detinet, ejus possessor dicendus est: nam, & commodatarius, & depositarius, & inquilinus, ac colonus, quamvis rem detineant & occupent, non tamen dicuntur possidere: quia non habent jus aliquod insistendi rei, sed tantum jus personale ex contractu. Est vero *jus insistendi vel incumbendi rei*, ut excludatur dominium, quod per se & formaliter est tantum jus disponendi de re: cum interim hoc jus in eo consistat, ut possessor possit rem pacifice tenere, & juris remediis, subinde etiam armis, se tueri, adversus turbantes. Dicitur, *Rei corporali*, quia rei incorporalis, proprie loquendo, nulla est vera possessio; sed res hujusmodi dicuntur tantum quasi-possideri. Dicitur, *tanquam suæ*, quia, si quis insistat rei, nomine alterius, non erit vera possessio. Et hinc rursus commodatarius, depositarius, inquilinus, & colonus, non dicuntur possidere, sed ipse dominus per eos. Dicitur, *non prohibitæ possideri*, quia nulli potest competere jus possidendi contra juris dispositionem, sed tantum potest detinere rem, puta, rem sacram, religiosam, locum publicum.

Possessio triplex est, Civilis tantum, Naturalis tantum, & Naturalis ac Civilis simul.

Possessio Civilis est, quæ in jure consistit, & solo animo retinetur. Etsi enim ad acquirendam possessionem, requiritur adminiculum corporis & animi, nempe

nempe, ut quis rem apprehendat & occupet, animumq; & affectum possidendi habeat: tamen, ut postea retineatur, & continuetur ejus possessio, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi a possessione ejus, idque, ne per singula horarum momenta rebus nostris insistere necesse sit. Hoc modo possidet, & retinet animo possessionem, qui a re, quam possidet, corpore discedit, nullo in possessione relicto. *Nec obstat* quod solo animo non acquiritur possessio; quippe, facilius retinetur, quam acquiritur.

Possessio Naturalis est, quæ corpore & animo simul retinetur, atq; sic fit per corporalem insistentiam, uti, quando quis occupat rem ut suam.

Potest Naturalis Possessio conjungi cum Civili, uti, quando quis est præsens per se, vel per alium, rebus, quas civiliter possidet; & tum dicitur naturaliter & civiliter possidere.

De Possessione agitur tribus modis, atq; sic judicium Possessorium triplex est: scilicet Adipiscendæ, Retinendæ, & Recuperandæ Possessionis. Nam, omnis controversia de possessione, instituitur, vel ad adipiscendam possessionem, quam actor nunquam habuit; vel ad retinendam, quam habet; vel ad recuperandam, quam amisit.

Judicium Possessorium retinendæ & recuperandæ Possessionis, ad Judicem Secularem spectare videtur, etiam cum de possessorio beneficiorum Ecclesiasticorum, juris decimarum, & juris patronatus agitur. Possessorium enim rei spiritualis, non est spirituale, sed temporale, & potius in facto, quam in jure, consistit.

Judicium Possessorium & Petitorium cumulari possunt, hoc est, potest utrumq; hoc judicium, ab initio

ſimul proponi, tractari deinde, & finiri, coram uno eodemq; judice, & adverſus eundem adverſarium. Nec minus cumulari poſſunt cauſa proprietatis, ſeu petitorium, cum poſſeſſorio retinendæ. Neque obſtat Regula, quod, quando alicui competunt plures actiones ejuſdem rei nomine, una aliqua eligenda ſit, & una tantum experiri oporteat. Etenim Regula illa accipienda, quando plures actiones competunt, ad unam & eandem prorſus rem. Hic autem duæ quidem ſunt actiones, ſed quæ competunt ad diverſa, nimirum poſſeſſorium, ad poſſeſſionem, & petitorium, ad proprietatem, ſeu dominium: atqui poſſeſſio & dominium, nihil commune habent.

Titulus 17.
De Reſtitutione Spoliatorum.

S*Poliatus* eſt, qui vel vi, vel clam, de poſſeſſione rei alicujus corporalis, vel incorporalis, veluti beneficii Eccleſiaſtici, aut alterius juris, ejectus eſt, vel alias injuſte privatus.

Spoliatio. fit vel per vim Expulſivam, vel Ablativam, vel Compulſivam. Spoliaſſe etiam dicitur, tùm Judex, qui, prætermiſſo juris ordine, vel cum non eſſet competens, aliquem jure ſuo, aut re ſua privat: tum, qui ſpolium mandat, ſuo nomine factum, ratum habet, aut rem a ſpoliatore accipit.

Actio de Spoliatione datur ei, qui dejectus eſt, ſive dominus rei fuerit, ſive non, puta uſufructuarius, item heredibus, eorumq: ſucceſſoribus, adverſus eum, qui per ſe, aut per alium dejeci., aut dejici mandavit.

Spoliatus ante omnia reſtituendus, atque reſtitutio facienda una cum fructibus.

Titu-

Titulus 18.

De Contumacia.

C*Ontumax* fieri dicitur, qui tribus edictis, vel uno pro tribus, juridice citatus, & nulla justa causa impeditus, nec per se, nec per procuratorem, comparet; vel, qui comparet quidem, sed non obedit, aut recedit sine Judicis licentia.

Reo facto contumace ante litem contestatam, mittitur Actor in possessionem bonorum ipsius Rei, pro modo declarati debiti. *Post litem vero contestatam*, si Judici ex actis liqueat de rei veritate, poterit sententia sua litem terminare. Neque tunc licebit condemnato appellare, saltem de jure civili, cum non de Judice, sed de seipso, queri debeat. Æquitas tamen Canonica nonnihil hunc rigorem personis Ecclesiasticis remittit. Quod si de causa non liqueat Judici, tunc veram rei possessionem Actori adjudicabit, Reo absenti sola proprietatis relicta quæstione.

Actor, si contumax sit, nec compareat in termino, ad quem Reum citavit, damnatur Reo in expensas, nec ad novam citationem admittitur, nisi caveat, se in assignato termino compariturum. Potest etiam Reus, adversus Actorem legitime citatum, probare Exceptionem suam, atque Judex, si ei constat ex Actis de veritate, Reum absolvet ab Actoris petitione. *Quod si Actor lite contestata contumaciter absit*, & tempus instantiæ, puta triennium, usque ad semestre præterlapsum sit, potest similiter Judex, si causa liquida fuerit, ad definitivam sententiam progredi, etiam in favorem Actoris, si eum meliorem causam fovere videat: alioqui Reum absolvet, Actore in expensas condemnato.

Titulus 19.
De missione in Possessionem.

Reus *Contumax*, missionem in bona patitur, quæ duplex est, ex Primo nempe, & ex Secundo decreto.

Missione in bonorum possessionem ex primo decreto, neque dominium rei, neque etiam veram possessionem Actor consequitur, sed tantum detentionem. Fit enim hæc missio, non nisi rei servandæ causa, ut eam custodiat Actor, dum interim veniat Reus responsurus, idque obtinet tam in actione in rem, quam in personam.

Fit missio, primo in possessionem rerum mobilium, post immobilium, deniq; incorporalium.

In Secundo Decreto, distingendum inter Actionem Realem, & Personalem.

In Reali actione, opus non est secundo decreto, scilicet Reo post missionem non comparente intra annum: nam, tunc Actor, anno elapso, statim, hoc est, citra aliud judicis decretum, consequitur veram rei possessionem, in quam missus est. *In Actione Personali*, Reo contumace intra annum non comparente, anno illo elapso, non illico acquiritur Actori possessio rei, in quam missus fuit, sed opus est secundo Judicis decreto, ad hoc, ut veram rei possessionem consequatur.

Secundum Decretum, Judex pro circumstantiarum varietate, varie interponit. Modo enim bona contumacis distrahi jubet, modo in solutum dat, modo Actorem rei possessæ dominum facit, modo solum possessorem. *Bona distrahi jubet*, si ad æs alienum, hoc est, ad quantitatem debitam, agatur. *In solutum dat*, si res possessa, publicæ distractioni exposita, em-

torem

torem non invenit: & tum creditor, cui res in solutum data, justam habet possidendi & præscribendi causam, sive debitor illius fuerit dominus, sive non. *Actorem rei possessæ dominum facit*, potissimum in materia damni infecti, propter periculum sumtus, & molestias ædium ruinosarum, quæ non facile emtorem inveniunt. *Actorem* deniq; *possessorem solum facit* rei possessæ, Reo jus suum rei repetendæ etiam post annum reservans, cum defensionis causa, qua contumacia purgari & excusari potest, subest.

Titulus 20.

Vt lite pendente nil innovetur.

IN ea quisq; possessione vel quasi manere debet, quam initio litis habuit, adeoq; lite pendente nihil est innovandum, id est, nihil fieri debet, quo litis qualitas statusve aliquo modo immutetur.

Lis pendere dicitur, non solum post contestationem, sed etiam post citationem reo intimatam, usque ad sententiam definitivam.

Citatio ut litis pendentiam inducat, sex omnino requiruntur: 1. Vt citatio emanarit. 2. A judice competente. 3. Ad citatum pervenerit, aut per eum steterit, quo minus perveniret. 4. Citatus, ex citationis tenore, plene cognoscere potuerit, qua de re controversia sit futura. 5. Citatio sit apta. 6. Nuncius eam legitime & sufficienter insinuaverit.

Lite pendente, nec Judici, nec adversario, sive propria, sive etiam Principis autoritate, sine causæ cognitione, *aliquid innovare* licet. Hinc, non permissum est in jus vocato super aliqua re, eam alienare.

Quod lite pendente innovatur, nullum eſt, & qui innovavit, in expenſas damnatur, & jure ſibi competente privatus, infamis effi.itur.

Titulus 21.

De Sequeſtratione poſſeſſionum & fructuum.

S*Equeſtratio*, eſt rei controverſæ, vel fructuum ejus, apud Sequeſtrum depoſitio, ut ab eo cuſtodiatur, & lite finita victori reſtituatur.

Sequeſtratio duplex eſt: una *Conventionalis ſeu Voluntaria*, quæ fit partis utriusq; conſenſu. Alia *Judicialis ſeu Neceſſaria*, quæ fit per Judicem: idque vel *ex officio*, dum rem litigioſam mandat ſequeſtrari, uti, ſi vereatur, ne partes ad arma & rixas procedant: vel *ad petitionem* partis unius, altera contradicente, quæ regulariter eſt prohibita; nec enim oportet judicium ab executione inchoare, aut poſſeſſorem, durante lite, privare commodo ſuæ poſſeſſionis.

Permittitur tamen hæc ſequeſtratio certis caſibus: uti, ſi miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto fructus, quos ex bonis percepit, diſtrahat & diſſipet. Item, ſi Reus poſſeſſor condemnatus a ſententia contra ſe lata appellaverit, & fructus ex re poſſeſſa dilapidet.

Titulus 22.

De Confeſſis.

C*Ertiſſima probatio, eſt ipſius Rei confeſſio.* Non tamen omnis confeſſio nocet confitenti, nec relevat Actorem ab onere probandi, ſed tantum ea, quæ a domino litis, majore 25. annis, ſanæ mentis, contra ſe,

ſe, in jure, coram competente judice & adverſario, aut ejus procuratore, libere, ſponte, & ſcienter facta. *Fit hæc confeſſio etiam tacite;* nam, qui tacet, conſentire videtur: puta, ſi in jure id faciat, & Judici interroganti contumaciter nolit reſpondere; vel ab adverſario allata non neget.

Confeſſio Judicialis revocari nequit, niſi ſtatim id fiat, aut niſi quis probet, ſe iracundia, aut aliter lapſum, erraviſſe in facto, quod ei facere licet, usque ad ſententiam.

Confeſſio Extrajudicialis vim probationis plenam non inducit, ſed tantum in cauſa criminali indicium facit ad torturam, contra confitentem, non alium; in cauſa civili, ſi ex aliqua certa cauſa, coram adverſario & teſtibus facta, vim pacti obtinet.

Reus, in judicio conventus, confeſſionem edere ſolet, præſtito prius juramento calumniæ, vel de veritate dicenda, ad Actoris ſub ſimili juramento propoſitas poſitiones, per verbum *Credo*, vel, *Non credo:* atque eas, ad quas reſpondet per verbum Credo, probandi, Actori non incumbit neceſſitas.

Quod ſi Reus in judicio ſimpliciter quid confiteatur, non tantum id relevat Actorem ab onere probandi, verum etiam facit, ut confeſſus pro judicato habeatur, etiamſi nullam cauſam adjecerit, cur id, quod confeſſus eſt, ita ſe habeat. Nemo enim præſumitur in judicio temere quid confiteri.

Titulus 23.
De Probationibus.

S*I Reus non confiteatur* de intentione Actoris, ſed ad aliquas ejus poſitiones reſpondeat per verbum Non credo, neceſſitas eas probandi incumbit Actori.

Probare, est judici fidem facere de facto aliquo dubio, de quo in judicio est disceptatio.

Probatio alia est Artificialis, alia Inartificialis: item Plena, vel Semiplena.

Probatio Artificialis est, quæ, ex ipsa causa, argumentis & indiciis deducitur. *Inartificialis* probatio est, quæ, extra causam, desumitur, vel a legibus, testibus, tabulis, confessione, juramento, aut rebus ejusmodi aliis.

Probatio Plena est, quæ plenam fidem Judici de eo, quod propositum est, facit. Talis fit per duos testes, instrumenta publica, partium confessiones judiciales. *Semiplena probatio* est, quæ Judici non facit plenam fidem, sed tantum opinionem generat, non tantam tamen, ut inde moveri possit ad ferendam sententiam. Talis fit per unum testem omni exceptione majorem, instrumentum privatum, comparationem literarum, confessionem extrajudicialem, famam, & similia. Possunt tamen plures probationes semiplenæ conjungi, ut faciant plenam, si tendant ad unum finem.

Probandi onus regulariter incumbit Actori, cujus est probare suam intentionem, nimirum ejus, qui ait, non qui negat. Negantis enim factum, per rerum naturam nulla est probatio, c. quoniam contra 11. de probat. *Reus* tamen, qui excipit, & in eo quid asserit, probare debet, cum hactenus censeatur Actor. Per indirectum etiam potest admitti, *ut factum negantis, admittatur probatio*, dum a negativa in affirmativam quodammodo fit transitus.

Actore laborante in sua probatione, Reus cogi non potest ei propria edere documenta: debet enim Actor proprias afferre probationes, non eas petere ab Adversario: qui etiam urgeri nequit, ad exhibitionem eorum

rum, per quæ sibi negotium fiat: Actoreq; non probante, absolvendus est Reus, etiamsi nihil ille præstiterit.

In judicio de communi dividundo, familiæ herciscundæ, finium regundorum, item in interdicto retinendæ possessionis, quia uterq; litigantium velut Actor & Reus est, probandi onus utriq; parti incumbit. Quod si igitur uterq; probet, tunc judex dispiciet, uter melius probet, & utrius testes sint magis idonei; vel in possessione, uter antiquiorem possessionem, & justiorem titulum probaverit.

Fit probatio, per testes, confessionem partium, instrumenta debita solennitate confecta, evidentiam facti, famam, per libros antiquos, & scripturas antiquas, in lapidibus vel columnis scriptas, literas sigillo Episcopi sigillatas, & alia adminicula. *Fama*, veluti publicum testimonium, auget quidem & confirmat rei, de qua quæritur, fidem, non tamen cedit in vicem justæ probationis.

Titulus 24.

De Testibus & Attestationibus.

T*Estis* est, qui de aliquo facto controverso testimonium dicit.

Testis esse potest, non omnis, sed tantum idoneus, & fidelis, hoc est, qui omni exceptione major, sive, qui jure non potest rejici.

Testes aliqui rejiciuntur in totum, aliqui pro certis personis, aliqui contra certas personas, aliqui in certis causis.

In totum rejiciuntur, Impubes, præterquam in crimine læsæ majestatis; furiosus, mente captus, infamis,

 sive

ſive publico judicio damnatus; hæreticus, niſi contra hæreticum; perjurus, mulier quæ corpore quæſtum facit.

Pro certis Perſonis probibentur teſtimonium dicere, domeſticus, familiaris, cognatus, affinis, is, cui imperari poteſt, ut teſtis fiat, amicus pro amico, ſocius pro ſocio, ſive ejusdem criminis, ſive contractus.

Contra certas perſonas teſtari probibentur, Reus de ſe crimen confeſſus, contra ſocios criminis, exceptis quibusdam occultis & gravioribus criminibus, ut læſæ Majeſtatis, hæreſeos, Simoniæ: inimicus contra inimicum; libertus contra patronum; filius contra patrem; pater contra filium, niſi in cauſa matrimoniali; hæreticus & judæus contra Chriſtianum; Laicus contra Clericum in cauſa Criminali.

In certis cauſis teſtimonium ferre probibentur, mulier in teſtamento, & in criminali cauſa, quæ criminaliter intentatur; Procurator, in cauſa quam defendit; Judex, in cauſa, in qua Judex; quisq; in ſua cauſa.

Produci debent teſtes ad minimum duo, etiam ab homine in dignitate poſito, ſive de cauſa civili, ſive de criminali agatur; niſi jus nominatim plures requirat: uti in Cardinali Epiſcopo convincendo, opus eſt 72. Cardinali Presbytero 42. Cardinali Diacono 24. Subdiacono, Acolutho, Exorciſta, Lectore, Oſtiario ſeptem.

Vnus vel ſingularis teſtis, cujuscunq; ſit dignitatis, regulariter nihil probat. *Excipiendi tamen caſus*, cum alicui non ſit præjudicium: uti cum dubitatur, an quis ſit conſecratus; an Eccleſia ſit conſecrata; cum dubitatur de voluntate morientis; cum dicit Sacerdos aliquem pœnituiſſe; cum de crimine læſæ Majeſtatis agitur.

Judex

Judex non plures admittere debet teſtes, quam ad probandam cauſam ſunt neceſſarii. *Quia dmittuntur*, non ſe ultro offerre, ſed vocari, & velut inviti deponere debent: qui enim ultro ſe offert, pro ſubornato & ſuſpecto habetur.

Produci & recipi debent teſtes, regulariter poſt litem conteſtatam; niſi forte de morte teſtium, vel abſentia diuturna timeatur, vel de cauſa matrimonii, inquiſitionis, denunciationis agatur.

Fieri debet productio, coram eo judice, qui de cauſa cognoſcit, niſi teſtes ſint valetudinarii, ſenes, debilitate confecti; tum enim ad ipſos examinandos, perſonæ idoneæ & diſcretæ mittuntur.

Teſtes antequam examinet Judex, debet & partem citare, ut videat teſtes produci, & jurare, non tamen trina, ſed una citatione: poſtea, a teſtibus de veritate dicenda, prævia admonitione ſuper perjurio facta, jusjurandum exigendum.

Juramentum hoc, niſi a partibus remittatur, præſtare debent teſtes omnes, tam Regulares, quam Seculares.

Juramento præſtito, quemq; teſtem, Judex, aut is, cui examen commiſſum, examinat; clam partibus, ſeparatim, adhibito Notario, qui dicta conſignet: tam ſuper articulis ab Adverſario exhibitis, quam ſuper interrogatoriis, ab eo, contra quem teſtes producuntur, propoſitis, omnibusq; circumſtantiis, videlicet cauſis ſcientiæ, perſona, loco, tempore, viſu, auditu, credulitate, fama, certitudine. Debet enim teſtis, ſi id petatur, ſcientiæ rationem reddere; ſola enim atteſtatione, nec aliis legitimis adminiculis probata cauſa, nullius eſt momenti.

Teſtis

Testis debet interrogatoriis respondere, non absens per scripturam, sed præsens, verbis, veram depositionis causam continentibus, non ex credulitate, aut auditu alieno.

Depositione facta, judex diligenter annotari curabit, quid testis, tam super interrogatoriis, quam articulis, deposuerit: annotata testi præleget, ut sic se corrigere, & dictis suis addere, vel demere possit. Postea, facta de silentio servando admonitione, dimittendus est.

Examinatione peracta, operam judex dare debet, *ut partes ulteriori productioni renuncient*. Possunt nihilo secius litigantes, intra terminum a Judice productionibus præstitum, usque ad tertiam super iisdem articulis testium productionem, progredi, quartam vero non item, nisi, qui hanc postulat, juret, se eam dolo malo non petere, neque testificata aliquo modo didicisse, id est, testimonia intellexisse, sed, quia, quos producere de novo desiderat, prius habere nequiverit.

Cognitis testificationibus, earum copia litigatoribus a Judice communicari debet, quo contra excipere possint.

Exceptionem probare Reus, contra quem testes sunt producti, potest intra terminum ad reprobandum datum, per testes alios, qui reprobatorii dicuntur; quos Actor rursus per alios reprobare potest; ultra vero, neutra pars audietur.

Exceptione proposita & probata, judex cognoscit, *quibus plus fidei debeat tribuere*. Quod non ex testium sola multitudine, aut testimoniorum verisimilitudine, sed ex testium fide, dignitate, moribus, fortuna, constantia, religione ponderat.

Si testes Actoris & Rei, autoritate & conditione pares sint, pro Reo judicandum; semper enim promtiores ad absolvendum esse debemus, quam ad condemnandum, nisi Actoris causa sit favorabilior. Tales sunt, quæ instituuntur pro re aut persona favorabili; uti pro libertate, dote, testamento, legitimatione, pupillo, vidua, orphano, fisco, Ecclesia.

Testes, si vocati, sponte noluerint veritati testimonium perhibere, a Judice Ordinario, vel ejus Delegato, etiamsi juraverint, se testimonium non dicturos, cogi possunt. Publice enim interest, ne veritas occultetur; tum vero testimonium perhibere, est muneris publici, ad quod etiam invitus quis compellitur.

Cogi non potest quis testimonium dicere, contra socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinove natum, eosque qui priore gradu sunt: item, nec libertus contra patronum, nec senex, valetudinarius, miles, qui cum Magistratu abest, aut cui venire non licet, Episcopus, Clericus, aliaq; Ecclesiastica persona: nisi aliter de veritate constare nequeat.

Sumtus, evocatis testibus, a producente suppeditantur, alioqui venire non tenentur.

Titulus 25.

De Fide Instrumentorum.

I*Nstrumenta*, sunt scripturæ, rei controversæ fidem facientes. Suntq. vel Publica, vel Privata.

Publica Instrumenta sunt, quæ a publica persona, veluti a tabellione vel Notario publico, solemni ac debita forma sunt conscripta, aut publico & authentico Sigillo Principis, Episcopi, vel Capituli signata, vel

auto-

autoritate Magiſtratus interveniente, publicata; quæ ex archivis publicis extracta; quæ a ſcribente, licet privato, & duobus teſtibus ſubſcripta, quamdiu teſtes vitam agunt ſuperſtites.

Privata Inſtrumenta ſunt, quæ autoritate privata fiunt a privatis perſonis, nullis adhibitis teſtibus; uti ſunt rationes, privatæ annotationes, apochæ, antapochæ, epiſtolæ, cautiones.

Privata Inſtrumenta non probant, niſi contra ſcribentem, & non inficiantem, aut eum, qui ea acceptavit.

Inſtrumenta coram judice facta, plenam fidem faciunt, ut nulla in contrarium probatio admittatur. Si a Notario facta ſint, itidem plenam fidem faciunt, ſi omnia ſolennia in eorum confectione obſervari ſolita, intervenerint; ita tamen, ut probationem in contrarium admittant.

Solennia, quæ Notarii in inſtrumentis conficiendis obſervare debent, ſunt: Invocatio nominis Domini, annus, indictio, dies, nomen Imperatoris, vel Papæ, vel Regis, locus, teſtes, nomen & ſignum Notarii. Oportet quoque, integra ſint hæc Inſtrumenta, non cancellata, innovata, raſa, ſuſpecta, aut ſcripta literis, quæ legi non poſſunt.

Eduntur Inſtrumenta interdum, ſi producenti ita videatur, non in totum, ſed in tantum, quantum cauſæ convenit.

Reus non tenetur Actori Inſtrumenta ſua edere, vel in judicio contra ſe proferre, niſi ſint communia.

Qui contraria duo Inſtrumenta in judicio profert, fidem ſibi derogantia, neutro probat.

Titu-

Titulus 26.

De Præsumtionibus.

PRæsumtio, est conjectura probabilis, ex certo aliquo signo proveniens, ad adstruendam rei dubiæ fidem, quæq; alio non adducto, pro veritate habetur.

Præsumtio est quadruplex: Temeraria, Probabilis, Violenta, Necessaria.

Præsumtio Temeraria, est ex levibus causis proficiscens vana hominis opinio. Hujus exemplum dant Canones, Presbyterum, mulierem amplexantem, atq; ajunt, temere judicare quem, si hoc ex libidine factum existimet, cum benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi gratia, id eum fecisse, verisimilius sit. Tales præsumtiones olim etiam in foro fuerunt, indicia ex aqua frigida, fervente, ferro candente, duellis, sorte, quas Pontifices, tanquam fallaces, jure bono sustulerunt.

Præsumtio Probabilis, quæ & *Præsumtio hominis* dicitur, est conjectura, quam facit homo, ex facti qualitatibus & circumstantiis aliquid conjiciendo, & adsumendo pro vero, donec aliud demonstretur, ac doceatur. Sic præsumitur, non esse pudicam fœminam, quæ cum viris vagatur.

Præsumtio Violenta, alias *Præsumtio Juris* dicta, est verisimilis probatio, ex multis indiciis, vel uno multum efficaci, & veritati proximo, collecta. Vt, fugiens cum gladio sanguinolento, præsumitur vulnerasse. Hæc, onus probandi in adversarium transfert, & tam diu stat, donec contrarium probetur. In Criminibus facit indicium ad torturam, non sufficit ad condemnationem.

Præ-

Præsumtio Necessaria, Juris & de Jure dicta, est dispositio Legis, aliquid præsumentis, super præsumto, tanquam sibi comperto statuentis. Sic, qui semel declaratus est pejerasse, eum præsumit lex semper imposterum pejeraturum, nec probationem in contrarium admittit. Similiter, pro eo, qui probavit intentionem suam per testes & instrumenta, stat juris præsumtio, quam judex sequi cogitur.

Causæ, ex quibus Præsumtiones proficiscuntur, sunt infinitæ, atq; desumuntur ex persona, tempore, qualitate, taciturnitate, fletu, vicinitate, fuga, dilectione, rebusq; similibus.

Titulus 27.

De Jurejurando.

QVod si Actor in probatione deficiat, *jusjurandum sive juramentum* ei interdum defertur, quod est maximum expediendarum litium remedium.

Juramentum, est invocatio Divini Nominis, ad id, quod asseritur, confirmandum. Juramentum est vel Promissorium, vel Assertorium.

Promissorium Juramentum est, quo quis sancte promittit ac jurat, se quid daturum aut facturum. Adjicitur contractui, vel alteri actui, confirmandi, sive non retractandi juris causa. Tale est juramentum obedientiæ, fidelitatis.

Assertorium Juramentum est, quo rei præsentis, vel præteritæ, veritas asseritur. Tale est *Juramentum Veritatis*, quod præstant testes, in dicendo testimonio.

Juramentum Calumniæ, quo Actor jurat, se non calumniandi animo, sed existimans, se justam causam foventem ad litigandum venire: &, quo Reus jurat, se arbitrari, justam sibi causam esse defendendi. Item

Jura-

Juramentum Purgatorium, quod præſtat accuſatus vel diffamatus de aliquo crimine, quod non fuit probatum, jurans, ſe illud non commiſiſſe. Denique *Juramentum litis deciſorium*, quo alter litigatorum aliquid jurejurando confirmat, quo lis finiatur.

Juramentum litis deciſorium triplex eſt: Voluntarium, Judiciale, & Neceſſarium.

Juramentum Voluntarium eſt, quod ex conventione, per modum transactionis, pars parti extra judicium defert. Dicitur Voluntarium, quia ſponte ab uno defertur, ab altero ſuſcipitur.

Juramentum Judiciale eſt, quod in judicio pars parti, judice approbante, defert.

Juramentum Neceſſarium eſt, quod Judex ex officio, in defectu legitimarum probationum, ubi neque nihil, neque plene probatum eſt, alterutri litigatorum defert; ſic dictum, a neceſſitate præſtandi.

Juramentum ut valeat, debet deferri, ſive a Judice, ſive a parte ad deferendum habili. Nemo enim debet ſine neceſſitate, aut niſi aliquo compellente, jurare.

Habiles ad juramentum Voluntarium & Judiciale deferendum, ſunt, qui rerum ſuarum, & litis ſunt domini. Neceſſarium defert ſolus Judex, ad inſtantiam partis, vel ex officio, ſive Ordinarius is ſit, ſive Delegatus. Debet autem, inſpectis perſonarum & cauſæ circumſtantiis, judicare, Actorine, an Reo, illud ſit deferendum.

Voluntarium & Judiciale juramentum, deferri poteſt omnibus, qui ex conventione, vel ſibi, vel aliis, actionem & exceptionem acquirere poſſunt. Neceſſarium deferri poteſt omnibus ſemiplene proban-

tibus, nisi sint viles, infames, perjuri, aut de perjurio suspecti.

Juramentum Voluntarium & Judiciale, in omni actione, quæ in judicio proponi potest, locum inveniunt; quod etiam de Necessario regulariter asserendum. Excipiuntur tamen causæ civiles magnæ & arduæ, criminales, matrimoniales, imo omnes, in quibus jura plenas & evidentissimas probationes exigunt.

Juramentum Voluntarium delatum, nemo suscipere tenetur; qui tamen suscepit, illud præstare debet, nec potest hoc referre.

Judiciale delatum, aut præstandum, aut referendum. *Necessarium*, ab eo, cui defertur, necessario est suscipiendum, & præstandum, aut causa cadendum.

Juramentum omne exigit Justitiam, ut sit licitum; Veritatem, ut falsum absit; & Discretionem, ut deliberate fiat, non ex ira, odio, vel amore.

Juramentum præstitum, regulariter est servandum, si sine æternæ salutis detrimento servari queat, & qui id non servat, perjurus habetur.

Juramentum, quoad perjurii vinculum, ex parte jurantis est *personale*, & personam ejus non egreditur, neque ad heredes transit, nisi quoad effectum obligationis; ex parte recipientis, reale est, & ad heredes transit.

Perjurium committit, qui mendacium juramento firmat, &, qui post juramentum profert contraria. Atque in foro conscientiæ, pro juramento temerario, unius anni, pro directo perjurio, septem annorum pœnitentia imponitur.

De

De Perjurio cognoscit judex Secularis & Ecclesiasticus, quisque in suo foro. Alias, regulariter juramenti, cum inter res spirituales sit, cognitio ad forum Ecclesiasticum pertinet.

Quamvis Juramentum omne, quod sine detrimento salutis æternæ servari potest, utut bonorum detrimentum imminet, sit servandum; tamen, si ex eo contra aliquem sequeretur peccatum vel delictum quoddam, super illo dispensari potest.

Fit Dispensatio ab eo, qui potestatem habet Ecclesiasticam, ut Episcopo, Pontifice, causa cognita, & vocatis, quorum interest absolvi.

Episcopus de iis solis juramentis dispensat, circa quæ dubitatio est, num licita sint, an non. *Summus Pontifex*, propter plenitudinem potestatis, de omnibus dispensat, per viam commutationis, dispensationis, & totalis relaxationis. In omni enim juramento Superioris voluntas censetur excepta.

Dolo, vi, vel metu extortum juramentum, de jure civili nullum est, ob defectum consensus, cui nihil tam contrarium, quam vis & metus. *Jure Canonico*, non licet violare juramentum, etiam per vim aut justum metum extortum, quia coacta voluntas, voluntas esse non desinit; proinde Superioris absolutio requiritur.

Titulus 28.

De Exceptionibus & Replicationibus.

PRobata Actoris intentione, Reus condemnabitur, nisi aliqua *Exceptione* se defendat.

Exceptio, est defensio, ex justa & legitima causa competens, adversus id, quod ab Adversario intenditur.

Summa Exceptionum diviſio eſt, quod aliæ ſunt Dilatoriæ, aliæ Peremtoriæ.

Dilatoriæ Exceptiones ſunt, quæ principalem actionem & cauſam non perimunt, ſed tantum differunt ad tempus. Harum Exceptionum aliquæ concernunt Judicem, aliquæ Litigantes, aliquæ Modum actionis inſtituendæ.

Judicem concernunt Exceptiones, quod ſit incompetens, aut ſuſpectus, propter cognationem, affinitatem, neceſſitudinem domeſticam, aut familiaritatem, qua Actorem contingit; quod imperitus ſit juris, aut impar magnitudini cauſæ. Huc pertinent, exceptio loci non tuti, termini anguſti, feriarum.

Atq; notandum, Jure Civili Judicem ordinarium recuſari non poſſe ut ſuſpectum, ad hoc ut removeatur; ſed ei, ſi ſit aliqua cauſa ſuſpicionis, alius adjungendus eſt.

Exceptionum, quæ Litigantes concernunt, aliæ ad perſonas principales, hoc eſt Actorem vel Reum, aliæ ad Acceſſorias, puta Procuratores attinent.

Ex Perſona Actoris, oritur Exceptio non impetratæ veniæ, ſi agat contra perſonam, cui reverentiam debet. *Ex Perſona Rei, Exceptio* competens Legatis, tempore Legationis; & Studioſis; item exceptio ſpoliationis.

Ex Perſona tam Actoris, quam Rei, competunt Exceptio juſti impedimenti, cautionis, & ſimiles.

Ex Procuratoris perſona, deſcendit Exceptio procuratoria, qua vel contra Procuratoris perſonam, vel contra Mandatum ejus excipitur.

Exceptiones, Modum Actionis concernentes, ſunt, quod libellus ſit ineptus, incertus, quod ante tempus & conditionem, plus quam debetur, petatur.

Per-

Peremtoriæ Exceptiones ſunt, quæ actiones, quibus agitur, non differunt tantum, ſed & perimunt atque elidunt: uti Exceptio Rei judicatæ, Exceptio Transactionis, & Jurisjurandi.

Dilatorias Exceptiones, regulariter objicere oportet ante litem conteſtatam, vel intra terminum a Judice conſtitutum. *Peremtoriæ* objici poſſunt, ante,& poſt litis conteſtationem, usque ad ſententiam, quia poſt ſententiam, res judicata habetur pro veritate.

Contrariæ Exceptionibus ſunt Replicationes : uti enim Exceptio Actionem, ita Replicatio Exceptionem enervat. Porro, quemadmodum Replicatio Exceptionem, ita Replicationem *Duplicatio*, Duplicationem *Triplicatio*, Triplicationem *Quadruplicatio*, & ita deinceps, excludit.

Tempus ad replicandum, duplicandum &c. in arbitrio Judicis conſiſtit.

Titulus 29.

De Præſcriptionibus.

NOn tantum Exceptionibus, ſed & Præſcriptionibus, ſive Vſucapionibus, ſe defendere Reus poteſt, objiciendo Actori, quod rem, vel jus, de quo agitur, juſte præſcripſerit.

Præſcriptio ſive Vſucapio, eſt adjectio dominii, per continuationem poſſeſſionis, temporis lege definiti.

Ad Præſcriptionem requiruntur, Poſſeſſio continua, Bona fides, & juſtus titulus, id eſt juſta acquirendi cauſa.

Tempus Præſcriptionis, varie a jure, pro varietate materiarum, eſt circumſcriptum; unde & diverſæ oriuntur Præſcriptionum ſpecies. Quædam enim eſt

triennalis, uti in rebus mobilibus; quædam *quadriennii*, uti cum res a Fisco emuntur; quædam *decennii*, videlicet in rebus immobilibus & incorporalibus, inter præsentes; quædam *vicennii*, uti inter absentes; quædam *annorum 40*. uti in rebus Ecclesiæ præscribendis; quædam *centenaria*, aut tanti temporis, ut de ejus initio non extet memoria, uti in Rebus Ecclesiæ Romanæ, & Regalibus.

Actionibus omnibus spatio triginta annorum præscribitur, ita ut exceptione elidantur. In nonnullis tamen *unicus annus*, sicut in actione injuriarum; in nonnullis *biennium*, uti in actione de dolo; in nonnullis *quinquennium*, uti in querela Inofficiosi; in aliis *quadriennium*, uti in restitutione in integrum, sufficiunt.

Res præscribi possunt, quæ sunt in commercio, & possideri queunt.

Bona fides, est credulitas, qua quis putat, tradentem esse dominum, vel jus distrahendi habere, licet in facto erret.

Justus Titulus, est justa causa possidendi, ita, ut si a domino res fuisse habita, dominium potuisset transferre. Tales tituli sunt, Solutionis, Emtionis, Transactionis, Hereditatis, Occupationis, Apprehensionis rei pro derelicto habitæ, Legati, Dotis, Pro suo.

Quod si ab initio quis bona fide rem possideat, verum, ante completam usucapionem, superveniat mala fides, hæc jure civili non interrumpet usucapionem: quia mala fides superveniens, facti est; usucapio vero juris.

At, *jure Canonico*, non attenditur subtilitas juris civilis, quippe involvens peccatum mortale, ita, ut nulla valeat sine continua bona fide præscriptio.

Si interrumpatur præscriptio, in nihilum evadit. Interrumpitur autem, vel *naturaliter*, quia possessor possi-

possidere desiit; vel *civiliter*, per citationem solennem, denunciationem, litis contestationem.

Præter possessionem continuam, requiritur, *ut possessor sciat, se rem suo nomine, sive per se, sive per alium possidere*, unde Colonus, Emphyteuta, Vasallus, & is, qui precarias ab Ecclesia consecutus, nullo unquam tempore præscribere queunt.

Titulus 30.

De Sententia & Re judicata.

POstquam Actor & Reus ea omnia allegarunt, quæ ad causæ instructionem pertinere videbantur, concluditur tandem in causa, & utrinq; petitur ferri sententia.

Sententia, est pronunciatio Judicis, controversiæ, condemnatione, vel absolutione, finem imponens. Atque hæc proprie est *sententia Definitiva*, quatenus totum negotium principale, definit ac terminat.

A Definitiva differt *Sententia Interlocutoria*, quæ non finit controversiam, sed tantum incidens aliquod impedimentum removet, ut lis instituta expeditius procedat, & exitum suum consequatur: uti de libello corrigendo, dilatione danda, vel deneganda, rebusq; similibus.

Interlocutoria sententia, semel lata, ab eodem Judice *revocari* potest. Definitiva, revocari non potest, quia postquam Judex sententiam dixit, jam desinit in ea causa esse Judex, quippe officio suo functus.

Judex is fert sententiam, qui jurisdictionem habet in quæstione proposita. Nam, a non competente Judice lata sententia, ipso jure non valet.

Plures si sint Judices competentes, omnes simul sententiam ferre debent, nisi quis per contumaciam absens sit, vel unus de mandato aliorum pronunciet.

Ferenda est sententia de omnibus, quæ veniunt in controversiam, si quidem de negotio liqueat, debetq; esse libello conformis.

Debet etiam Judex, in ferenda sententia, servare ordinem juris. Is autem requirit, ut pronuncietur in scriptis, publice, die juridica, a Judice sedente in loco constituto, pure, non sub conditione, secundum allegata & probata, citatis ad hoc litigatoribus.

Sententia recte lata, *post decem dies*, si ab ea non fuerit appellatum, transit in rem judicatam. Est autem *Res judicata*, ipsa causa controversa, quæ finem controversiæ, pronunciatione judicis, accepit.

Sententia, quæ a Judice per sordes, aut imperitiam magnam dicta, non transit, quoad Judicem, in rem judicatam, omnino autem quoad partes. Judex vero, qui per sordes male judicavit, parti læsæ tenetur in litis æstimationem; si per imperitiam id accidit, condemnabitur, in quantum judicantis religioni visum fuerit, & ab executione officii, per annum suspenditur.

Titulus 31.

De Executione Rei judicatæ.

POst Sententiam latam, maxime si ea transierit in Rem judicatam, *Executio* differri non debet.

Executio aliter fit in Actione Personali, aliter in Reali. *In Reali* statim facienda, post decendium. *In Personali*, non nisi post emensa quatuor mensium spatia. Id tamen quadrimestre tempus nonnunquam,

per-

personarum locorumq; qualitate, aliisq; circumstantiis consideratis, arctari, extendiq; a Judice potest.

Executionem aliter præstat Judex Secularis, aliter Ecclesiasticus.

Judex Secularis, primo bona mobilia & se moventia, capi jubet; secundo immobilia; tertio, ad nomina sive jura, id est ad ea quæ debentur condemnató, modo sint liquida & confessa, progreditur; recusantem dare, manu militari cogit.

Judex Ecclesiasticus, pro conditione personæ victæ, vel suspendit, vel deponit, vel excommunicat, vel degradat. Quod si quis censuræ Ecclesiasticæ morem non gerat, brachium seculare implorat; Judicem secularem, auxilium denegantem, excommunicat.

Qui executionem injustam putat, precibus, non vi, tentare debet, an ea, donec superior Magistratus consulatur, differri possit.

Titulus 32.

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

SI victo, sententia, ab Inferiore Judice lata, videatur iniquior, licebit ab ea appellare.

Est autem *Appellatio*, ab inferiore judice, ad superiorem facta provocatio, ratione gravaminis illati, vel nferendi.

Appellatio duplex est, Judicialis, & Extrajudicialis.

Judicialis Appellatio est, quæ in judicio, de his, quæ n illud veniunt, vel circa illud accidunt, ante, vel post ententiam definitivam, a minore Judice, ad majorem nterponitur. Atque jure quidem Civili regulariter o interlocutoria appellare non licet, sed de jure Ca-

nonico, ab omni interlocutoria, imo & ab omni gravamine, etiam extra judicium alicui illato, vel inferendo, recte appellatur. Hodie tamen, ex Decreto Concilii Tridentini, non aliter permittitur appellare a sententia interlocutoria, quam si vim definitivæ habeat, & gravamen contineat irreparabile.

Extrajudicialis Appellatio est, quæ fit extra judicium, a gravamine illato, vel inferendo. Vti, quia beneficium alteri in præjudicium meum collatum, aut, ne fiat Electio, Postulatio, Beneficii collatio.

Appellare possunt, sive suo, sive alieno nomine, omnes, quorum interest, non ita fuisse judicatum. Atq; appellari potest in omnibus causis, tam civilibus & levioribus, quam criminalibus & majoribus.

Sed tamen, *si crimen fuerit notorium*, Reus condemnatus appellans non auditur; quia tunc constat, eum tantum appellare, pœnæ differendæ causa. Similiter appellare prohibentur, qui condemnati ob contumaciam veram; qui jurarunt, se a judice non appellaturos; aut ejus sententiam quoquo modo probarunt.

Sunt etiam causæ aliquæ, in quibus appellatio prohibita. Tales sunt: Ea, per quam quis impedire conatur, ne testamentum aperiatur, & sic scriptus heres in possessionem mittatur: Causa possessionis momentaneæ, Executionis, Regularis disciplinæ correctio, & aliæ.

Ab una eademq; sententia ter appellare non conceditur: quia præsumit lex & Canon, illud esse justum, quod tribus diversorum judicum conformibus sententiis est firmatum; eaque præsumtio est juris, & de jure.

Appellandum a Judice Inferiore, qui sententiam tulit, ad ejus proxime superiorem, & sic gradatim ad hujus quoque proxime & immediate superiorem, ne cætero.

teroqui confundantur jurisdictiones, adeo, ut jure Civili, omisso aliquo Judice intermedio, ne quidem ad ipsum Principem appellare liceat. *Jus* autem *Canonicum* indulget cuiq; potestatem, appellare, a quolibet Judice inferiore, ad Summum Pontificem, omissis intermediis. Pontifex enim, omnium inferiorum Judicum jurisdictionem habet, omniumq; & singulorum est Judex. At Princeps inferiorum Judicum jurisdictione se abdicavit.

Appellatio regulariter interponenda est, coram eodem judice, qui sententiam tulit, nisi vel justus metus prohibeat, vel is, qui appellare desiderat, copiam Judicis a quo, habere non possit. Hoc casu sufficiet, coram probis viris, vel coram Notario & testibus, appellare.

Appellandum, vel statim a sententia lata, quod vocant, *illico, vel stante pede appellare*; sive libello, & viva voce, satisq; est dicere, Appello. Vel, si quis non appellaverit illico, appellandum intra decendium, id est decem dies, a die latæ sententiæ, vel a die, quo sententiam latam intellexerit is, qui appellare vult, & quidem in scriptis; atq; decem illi dies, de momento in momentum computantur.

Appellatione rite interposita, appellans *literas dimissorias*, quibus scilicet causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur, (quæ vulgo *Apostoli* dicuntur) intra triginta dies continuos, a lata sententia, numerandos, ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, sæpius, & instanter, instantius, instantissime, petere debet; alioqui Appellationi suæ renunciasse censetur: quæ præsumtio, est juris, & de jure. *Sunt igitur Apostoli*, literæ dimissoriæ, quas Judex a quo, transmittit ad judicem superiorem, ad quem appel-

appellatum eſt, in teſtimonium & fidem appellationis interpoſitæ.

Apoſtoli ſunt triplices: Dimiſſorii, Reverentiales, & Refutatorii. *Dimiſſorii,* ſunt literæ ad Judicem appellatum directæ, teſtificantes de appellatione, coram Judice a quo, vel honeſtis perſonis, admiſſa, aut interpoſita.

Apoſtoli Reverentiales ſunt, quando non ob cauſæ juſtitiam, ſed ſolum ob reverentiam Superioris, ad quem appellatur, Judex a quo, defert Appellationi.

Apoſtoli Refutatorii ſunt, quibus Judex a quo, ſignificat Judici ad quem, ſe non admiſiſſe appellationem, adjecta etiam cauſa, cur appellationem rejecerit: nam, ſi recuſet absq; juſta cauſa deferre appellationi, punitur; lædit enim ſic, & turbat ſuperiorem Judicem in ſua Jurisdictione.

Apoſtolis conceſſis, appellatio Judici ad quem, intra certum terminum debet præſentari. Atque *præfigitur is terminus, vel a Lege*, cum lex vel ſtatutum, certum præſentandæ appellationis tempus præſcribit; *vel ab Homine*, cum Judex, perſonæ cauſæq; circumſtantiis perpenſis, illud ſtatuit. Vterq; eſt ejusdem effectus, niſi quod terminus Legis, a Judice a quo, minui, non prorogari poteſt: Hominis vero, ab ipſo Judice a quo, intra tempus a ſe præſcriptum, recte prorogatur.

Præſentatione facta, ſi Judex, ad quem appellatum, appellationem recipiat, debet appellans Judici a quo, ſuam præſentationem, una cum Compulſorialibus & Inhibitionibus, referre.

Compulſoriales, ſunt literæ, quibus Judex ad quem, poſt appellationis receptionem, Judici a quo mandat;

dat, ut acta causæ ad se intra certum terminum transmittat.

Inhibitiones, sunt literæ, quibus Judex appellationis, judici a quo provocatum, interdicit, ne, appellatione pendente, quid in causa attentet, innovet, vel ulterius procedat.

Appellatione & inhibitione facta, si quid nihilo secius innovatum vel attentatum, sive a Judice a quo, sive a parte fuerit, id omnino rescinditur.

Appellatio, intra annum, vel si sit justa causa, intra biennium, aut aliud tempus, a Judicibus, prout causarum qualitas desiderat, definitum, quodq; a die interpositæ appellationis computandum, prosequenda est, secus, appellatio intelligitur esse deserta.

Qui appellationem deseruit, itemq; qui temere appellavit, in expensas condemnatur.

Appellationi affinis est Recusatio, qua alter litigantium recusat Judicem, & negat, se ejus stare velle judicio in præsenti causa, quamvis alias sit judex competens, eo quod ex justa causa sit suspectus.

Proponi potest recusatio, ante litis contestationem, vel post, in quacunq; litis parte, etiam post conclusionem, si tum demum suspicio oriatur; atque fieri debet in scripto, justam suspicionis causam, postea probandam, continente.

Justæ causæ, inter alias sunt: Si Judex litigatori sit inimicus, aut amicus, cognatus, affinis adversarii; aut, si in eodem negotio fuerit Advocatus, Procurator; vel, si ipse cum alio habeat litem similem, ne jus inter alios dicat, quod sibi dici postulat.

Effectus Recusationis est, quod, causa recusationis pendente, judex in lite supersedere, non progredi ulterius debet.

Causa

Causa intra annum non probata, judex perinde procedit, ac si recusatus non fuisset.

Causa probata, debet judex abstinere, & causam alteri remittere, vel ad Superiorem transmittere.

Appellationi affinis quoq; est Relatio, quæ est Judicis competentis, de jure, ob difficultatem, vel ejus ambiguitatem dubitantis, ad Papam, aut Principem, missa consultatio.

Fieri debet Relatio, ante sententiam definitivam, in scripto, dubitationis articulis & juribus, e quibus perplexitas oritur, insertis.

Debet quoq; illius exemplum partibus edi, ut, si forte Relatio alicui minus plena videatur, suas opponere rationes, & refutatorios libellos, Pontifici, aut Principi offerre possit.

Relatione pendente, quæ innovantur, vel de causæ meritis inquiruntur, aut fiunt, irrita habentur.

Titulus 33.

De Supplicationibus.

Supplicatio, est quædam superioris imploratio, adversus sententiam, contra quam ordinarium appellationis remedium non competit.

Est Supplicatio remedium extraordinarium, ex gratia Principis, seu Superioris, concessum: & locum tantum habet in casibus, ubi remedium appellationis ordinarium cessat: puta propter Judicis vel excellentiam, vel privilegium, non vero eo casu, ubi de jure communi appellare non licet.

Fit Supplicatio, prorsus uti Appellatio, vel in continenti, vel post in scriptis.

Intra

Intra decem dies si facta, sententia non aliter executioni mandatur, nisi victor tantum restituendi, si ipsum postea succumbere contingat, quantum fuerit in condemnatione, satisdationem præstiterit. Intra biennium, post decem dies, si facta supplicatio, indistincte, sine ulla satisdatione, fit executio.

Titulus 34.

De in Integrum Restitutione.

R*Estitutio in Integrum*, est remedium quoddam extraordinarium, quo judex lapsis vel circumventis subvenit; sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia, inciderint in captionem.

Restitutio in integrum datur imprimis minoribus 25. annis, sive sententia judicis, vel alio judiciali actu, sive & contractu, alioque casu læsi fuerint. *Datur & Majoribus*, si justa causa subsit restituendi, uti, si dolo adversarii inducti, quid fecerint, vel justa ex causa absentes aliquid non fecerint. *Datur & Ecclesiæ*, quoquo modo læsa sit, sive alienando, sive contrahendo, sive extra judicium, sive in judicio, per Episcopum, Procuratorem, vel Syndicum; etiam contra aliam Ecclesiam. Gaudet enim Ecclesia jure minoris, & se ac bona sua defendere ipsa nequit.

Petebatur Restitutio in Integrum olim a Prætore, nunc *petenda a Principe*, vel Judice ordinario, administrationem habente, aut ejus Delegato, si nimirum specialiter ea causa ipsi delegata sit, vel alii causæ delegatæ incidat.

Restitutio in Integrum, *si contra sententiam* concessa fuerit, causa ex integro agitur: *si contra contractum*, aliumve actum, res retractatur, & in pristinum statum reponitur, ita, ut unusquisque, tam qui restituitur, quam

quam alius, contra quem restitutio postulata, jus suum integrum recipiat.

Pendente causa Restitutionis, nihil innovari debet, sed, donec ea finita, omnia in suo statu relinquenda; nisi restitutio, contra sententiam petita, malitiæ & tergiversationis suspicione laboret: tum enim sententia executioni mandatur, præstita tamen ab adversario cautione idonea, de restituendo eo, si superatus in restitutione petenda fuerit, quod medio tempore, sententiæ ipsius occasione, percipiet.

Titulus 35.

De Confirmatione utili, vel inutili.

C*Onfirmatio utilis* dicitur, quando Summus Pontifex, sententiam aliquam, sive privilegium, sive aliud quid, confirmat ex certa scientia: atque tunc judex inferior de eo amplius cognoscere non potest; & talis confirmatio, jus tribuit illi, cujus negotium confirmatum est.

Confirmatio Inutilis, est, quando rescriptum confirmationis, a Summo Pontifice factæ, probatur esse subreptitium vel obreptitium, scilicet re non satis intellecta, ut se habebat, sed, vel falso narrato, vel vero occultato. Ideo vero est inutilis sic facta confirmatio, quia, licet ipso jure non sit nulla, tamen, per exceptionem repelli potest.

LI-

LIBER V.

Titulus I.

De Delictis.

POst Civile judicium, de *Criminali* agendum, in quo de crimine, sive delicto, publicæ disciplinæ causa, agitur.

Etsi Jus Pontificium pœnarum atrocitatem aversatur, præsertim quibus de sanguine & vita hominis agitur; tamen, ut mali coërceantur, & boni inter malos quieti vivant, certas adinvenit pœnas, quibus sontes, citra sanguinis vindictam, aut membrorum debilitationem, plecti possunt. Sustulit etiam hoc jus, distinctionem juris Civilis inter privata delicta & publica, & omnia voluit publica esse.

Delicti sive Criminis nomine, in Jure Canonico venit, non tantum quod dolo malo admissum, sed &, Damnum, culpa, licet levissima, datum.

Delicta alia, Divinam Majestatem, alia, Proximum lædunt.

Divinam Majestatem lædunt, Simonia, Hæresis, Schisma &c. *Proximum lædunt*, Homicidium, Adulterium, Stuprum &c.

Titulus 2.

De Simonia.

SImonia, (a Simone Mago, qui primus hoc crimen admisit, cujus historia Act. 8. extat, sic dicta,) est studiosa voluntas, emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Dicitur *voluntas studiosa*, ut excludantur leviores, & minus deliberati vo-

 lun-

luntatis motus. Verba, *emendi, vel vendendi*, designant contractum omnem onerosum, pretio, vel quod pretii rationem habet, intercedente. Veluti, si pecunia detur, vel promittatur, ex pacto sive tacito, sive expresso, pro Sacramentorum administratione; pro sepultura & exequiis mortuorum: pro benedictionibus nubentium; pro ingressu Religionis; pro beneficiorum Ecclesiasticorum collatione. Imo, si tantum obsequium aliquod aut munus præstetur, pro beneficio obtinendo.

Nimirum, contrahitur Simonia, non tantum, cum pecunia ipsa pro re sacra datur, recipitur, promittitur; sed &, cum dans, a manu, vel lingua, vel obsequio recipientis, munus exigit. Proinde *Munus sive Pretium triplex est*, Munus a Manu, Munus a Lingua, & Munus ab Obsequio.

Munus a Manu, est pecunia, & res quælibet, quæ est in commercio, & cujus æstimationem numus metitur, sive corporalis res sit, sive incorporalis.

Munus a Lingua, est favor, sive preces & supplicationes humanæ, si ex pacto, vel promissione fiant.

Munus ab Obsequio, est servitus indebite præstita, ut quis ejus respectu aliquid spirituale consequatur.

Ad cognoscendum Simoniam, considerandum, quid, quale, a quo, pro quo, qua intentione, & quantum offeratur.

Simonia alia est Juris Divini, alia Juris Humani sive Ecclesiastici. Item, alia est Mentalis, alia Conventionalis; ad quam referenda quoq; Confidentialis seu Confidentiæ, deniq: alia Realis.

Simonia juris divini, committitur circa res mere spirituales, & maxime circa eas, quibus confertur potestas Clavium.

Simo-

Simonia Juris Ecclesiastici, est, quæ ex jure positivo prohibitionem suam habet, & committitur circa rem, natura quidem sua vendibilem, prohibitam tamen vendi jure positivo Ecclesiastico: uti est venditio beneficiorum secundum id, quod temporale est, ob connexionem, quam hoc habet cum re sacra. Huc pertinent quoque venditiones officiorum minus spiritualium: qualia sunt, Officium Oeconomi Ecclesiæ, Advocati Ecclesiæ, Sacristæ, & similium.

Simonia Mentalis, est, quæ, mente tantum concepta, in solo proposito consistit interno, sive res tradatur, sive non tradatur, citra ullum pactum, seu conventionem.

Simonia Conventionalis est, quando a proposito interno proceditur ad conventionem, dandi aliquid temporale pro spirituali, citra tamen executionem, ex utraque, vel altera parte tantum.

Pertinet huc Simoniæ species, quæ *Confidentialis* seu *Confidentiæ* vocatur, quæ proprie locum habet in renunciationibus, & collationibus, aliisq; provisionibus beneficiorum Ecclesiasticorum: v. g. quando quis alicui providet de beneficio, cum certa fiducia & spe, ut provisus illud ipsum resignet, cedatve, vel ei, a quo beneficium obtinuit, vel illius nepoti, vel etiam alteri. Alii hanc Simoniæ speciem, si conventio absit, potius ad Mentalem referunt.

Simonia Realis, est quando, ultra conventionem de dando, accedit traditio ipsius rei, idq; ex parte utriusq; tam dantis, quam accipientis; uti cum quis pecuniam dat, & in vicem accipit Præbendam.

Simoniæ vitium incurrunt tam ementes, quam vendentes, secundum veterem constitutionem: *Anathema sit danti, Anathema sit accipienti.* Incurrunt amplius

plius idem vitium, qui ſive dantis, ſive accipientis, proxenetæ, interceſſores, & cooperatores fuerunt.

Excuſationem a Simoniæ crimine inducit, 1. ſi aliquid detur ex mera liberalitate, & eleemoſyna, nec animus adſit emendi, vel vendendi. 2. Si modicum & exiguum ſit pretium, quod pro re ſpirituali datur, ita ut pervertere animum accipientis non ſoleat; modo non ex pacto detur, ſed ex mera liberalitate. 3. Quando temporale aliquid intervenit non primario, ſed ſecundario, & tanquam pro cauſa impulſiva & excitativa. Cujus rei exemplum in eo, qui ſervit Epiſcopo, ſpe futuræ alicujus remunerationis, absq; ulla vel pactione, vel conditione; & modo non principaliter hac intentione ſerviat. 4. Neceſſitas, quæ legem non habet, item redemtio injuſtæ vexationis, ſive vexæ, pro jure in beneficio ſibi quæſito tuendo, ac retinendo. 5. Laudabilis eſt & pia conſuetudo, exigendi vel ſolvendi aliquid pro ſepultura, & exequiis mortuorum, pro benedictionibus nubentium, & ſimilibus. Dicitur laudabilis conſuetudo, quaſi quæ, nulli pactioni alligata, ex pia fidelium devotione, ſpontaneaq; & libera oblatione originem habuit. Sed &, quod ſic ſolvitur, dici poteſt, ſolvi intuitu laboris extrinſecus impenſi, & in ſtipendium ſuſtentationis.

Synodus Tridentina Seſſ. 24. c. 14. damnat eas conſuetudines, quibus pro inſtitutione, admisſione ad poſſesſionem, ſeu inſtallatione, aliave proviſione, aliquid dari conſuevit, vel deduci de fructibus; mandatq; Epiſcopis, ut ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; illis tantum conſuetudinibus, quas ut laudabiles probaverint, exceptis.

Pacta illa & conventiones, quæ fiunt de dote certa, pro receptione Monachi, vel Monialis, in Monasterium inferenda, a vitio Simoniæ sic excusari possunt, quod id, quod dicitur dari pro ingressu Religionis, non tam detur pro ingressu statuq; Religionis, qui vere spiritualis est, & natura sua inæstimabilis: sed, vel intuitu sustentationis, quod est onus temporale, pretio æstimabile, ad evitandum gravamen ipsius monasterii, maxime si inopia prematur, & destitutum sit reditibus ac proventibus ad sustentationem necessariis: vel intuitu reparationum, & onerum similium, etiam in monasteriis utcunq; divitibus.

Accusare Simoniæ potest quilibet Catholicus, imo & servi adversus Dominos, & criminosi quilibet admittuntur, non solum ad accusandum, verum etiam ad testificandum.

Convicti de Simonia, varie puniuntur, pro varia inter Simoniacos distinctione. Nam alii simoniace ordinantur a Simoniacis, alii simoniace a non Simoniacis, alii non simoniace a Simoniacis.

Simoniace ordinantes, vel ordinati, deponuntur, fructus, quos perceperunt, sub periculo animæ restituere debent: excommunicantur insuper, nec nisi a Pontifice absolvi possunt; pecunia data confiscatur.

A Simoniacis, licet non simoniace, ordinati, tamen deponuntur, nisi probent, se, cum ordinarentur, nescivisse eos esse Simoniacos, illosq; pro Catholicis fuisse habitos in Ecclesia.

Qui pecunia aliquid Ecclesiasticum redemit, quin & is, qui pecuniam ab eo accepit, & ille, qui pro eo intercessit, infamia notantur.

Titulus 3.

Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias, ſub annuo cenſu concedant.

SImoniæ ſpecies eſt, quando Prælatus certam pecuniæ ſummam accipit, & alteri in vicem *Jurisdictionem* ſuam, vel Eccleſiæ regimen concedit. Jurisdictio enim Eccleſiaſtica, & poteſtas, eſt res ſpiritualis, quæ uti haud vendi, ita nec elocari aut aliter cedi ſine ſimonia poteſt. Licet interim Prælato, ſi abſens aut infirmus ſit, certo ſalario conſtituto, alteri jurisdictionem exercendam committere: fructus item Eccleſiarum, licite ſub annuo cenſu conceduntur.

Qui vices Prælati, vel Eccleſiæ adminiſtrationem, *pretio dato, & annuo cenſu conſtituto*, ſuſcepit, officio ſuſcepto privatur, & a Clero removetur.

Titulus 4.

De Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SImoniæ ſpeciem præ ſe fert, etſi Simonia proprie non eſt, cum *Docendi licentia* pro pretio conceditur.

Qui docendi munere fungitur, *Magiſter* vocatur, eo quod magis quam alii, monet ac monſtrat. Talis debet in qualibet Eccleſia Cathedrali, imo & alia, cujus ſufficiunt facultates, a Prælato cum Capitulo conſtitui, eiq; de beneficio, quo fruiturus, quamdiu in docendi perſtiterit munere, proſpici, ut Clericos & pauperes, in humanioribus literis, aliisq; facultatibus gratis doceat.

Qui

Qui docendi licentiam vendit, aut idoneæ personæ licentiam docendi petenti, interdicit ne doceat, beneficio Ecclesiastico privatur.

Qui pretio docent, quod promissum est & non acceptum, remittere, acceptum vero restituere tenentur; beneficiis insuper privantur.

Titulus 5.

De Judæis, Saracenis, & eorum Servis.

JVdæi vocantur, qui Veteri Testamento, superstitiose intellecto, fidem habent, Novum vero rejiciunt.

Hi, in quibusdam casibus, eodem cum Christianis jure utuntur; in aliis, deterior est illorum conditio. *Eodem jure cum Christianis utuntur*, in contractibus & matrimoniis; quin & pariter, uti Christiani, neutiquam die Dominico, ita nec ipsi Sabbato, inviti ad judicium trahendi.

Judæi, propter spem conversionis, tolerantur inter Christianos, sed ita, ut dura utantur conditione. Nempe, novas Synagogas exstruere prohibentur; Arcentur ab honoribus & dignitatibus; Christiana mancipia, famulos, nutrices, obstetrices Christianas habere prohibentur; a Christianorum consuetudine & connubiis abstinere debent; in die parasceves, ostia & fenestras clausas habere coguntur; in diebus passionis dominicæ, in publicum iis prodire non licet; habitu, per quem a Christianis discernantur, utriusq; sexus uti jubentur; Judæis Medicis, Christianos in infirmitatibus invisere, eis medicamenta præbere, in iisdem cum eis balneis esse, neutiquam concedendum. Si quem Christianum circumcidunt, vel ad suam religionem perducere conantur, capitali supplicio afficiendi.

Christianum mancipium si Judæus habeat, illud cuicunq; Christiano, datis duodecim solidis, vel ad ingenuitatem, vel ad servitutem, redimere licet.

Judæi, leges iis dictas servantes, *nec ad fidem Christianam cogi*, nec in personis, nec bonis violari nec in festivitatibus molestari, nec eorum cœmeteria violari, nec corpora humata effodi debent. Qui secus faxit, vel officii privatione, vel excommunicationis censura plectitur.

Saraceni sic dicuntur, vel a Sara Abrahami uxore, vel a Saraca, Arabiæ sive urbe, sive regione; nam & Saracenorum gentem, inter Arabes Plinius numerat.

Per Saracenos, Canonistæ vulgo intelligunt Paganos. At vero *Pagani* proprie dicuntur, qui neq; Vetus, neque Novum Testamentum agnoscunt, idola autem colunt, iisq; sacrificant.

Saraceni utrumq Testamentum, saltem ex parte admittunt; sed varie peccant, præcipue, quod Christum pro Dei filio, & humani generis Redemtore, non agnoscunt.

Circa Saracenos eadem fere statuta, quæ circa Judæos. Peculiare est, quod illis subsidium tempore belli dantes, arma, & prohibitas merces vendentes, curamque eorum navium gerentes, excommunicantur, bonorum privatione mulctantur, & capientium servi fiunt.

Titulus 6.

De Hæreticis, Schismaticis, Apostatis, & Anabaptistis.

HÆreticus est qui sibi eligit doctrinam singularem, a sensu Catholicæ Ecclesiæ alienam, eamque pertinaciter defendit.

Qua-

Quatuor requiruntur, ut quis Hæreticus censeatur. 1. Vt falsum dogma tueatur, & in articulis fidei, & contra Ecclesiæ decreta, erret. 2. Vt scienter erret, & sic perversæ sit voluntatis. 3. Vt pertinaciter errorem defendat, nec correctionem admittat. 4. Vt sit baptizatus. Nam Pagani, Judæi, & a Christiana fide alieni, non sunt Hæretici.

Hæretici nomen habent, vel ab Auctore sectæ, ut Eutychiani, ab Eutyche; Nicolaitæ, a Nicolao; vel a dogmatibus, quæ eligendo instituerunt, ut Aquarii, Anthropomorphitæ.

Hæretici, ut inquirantur, & exstirpentur, *ordinarie*, ad singulos Episcopos in illorum diœcesibus pertinet.

Extraordinarie ea cura incumbit Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, a Summo Pontifice ad hoc constitutis, ut adversus Hæreticos, vel conjunctim cum Episcopis, vel soli, secundum formulam a jure iis definitam, procedant.

De hæresi convicti, & vivi & mortui, varie puniuntur. Nimirum, eorum bona confiscantur, nec filiis orthodoxis reservantur; sepultura Ecclesiastica ipsis denegatur; sepulti ecclesiastice, exhumantur; qui eos sepelivit, excommunicatur, & nisi propriis manibus illos extumulet, & in terram projectos relinquat, non absolvitur; pollutum cœmeterium reconciliatur.

Vivi hæretici puniuntur & in Persona, atque hac sive propria, sive liberorum; & in Bonis.

In persona propria pœnæ manent Hæreticos, quod excommunicantur, & una cum scriptis damnantur; quod iis subjecti, a debito fidelitatis, dominii, & obsequii absolvuntur, quod eorum liberi a potestate

patria liberantur ; quod ab officiis publicis removentur ; quod acta illorum rescinduntur ; quod ad testimonium dicendum, accusandum, testandum, contrahendum, patrocinium, si sunt Advocati, præstandum, non admittuntur.

In persona liberorum, pœnæ manent Hæreticos, quod liberi ipsis succedere, licet orthodoxi sint, nequeant : quod, usque ad secundum lineæ paternæ, ad primum lineæ maternæ gradùm, eorum filii ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium seculare, non admittuntur, nisi parentes ante mortem se emendaverint.

In Bonis, pœnæ manent Hæreticos, quod ad hereditatis successionem non admittuntur ; quod bona acquisita, & cum iis dotes uxorum, quæ, scientes ipsos esse hæreticos, illis nupserunt, ipso jure confiscantur ; &, si Clerici sint, Ecclesiæ, a qua stipendia perceperunt, si Laici, fisco Principis temporalis adjudicantur.

Hactenus enarratas pœnas effugiunt, qui, continuo post erroris deprehensionem, ad fidei Catholicæ unitatem recurrunt, errorem suum ad arbitrium Episcopi Regionis publice abjurandò, & satisfactionem congruam exhibendo.

Qui, post Erroris abjurationem, *in abjuratam hæresin recidisse deprehenduntur*, seculari judicio, instar Hæreticorum pertinacium, sunt relinquendi, sine ulla penitus audientia.

Schismatici, a scissura sic dicti, sunt, qui se ab universa Ecclesia per inobedientiam diviserunt.

Schismatici excommunicantur, & damnantur, ac gradu & dignitate Ecclesiastica, si quam habent, dejiciuntur. Si Laici fuerint, privantur dignita-

gnitatibus, & Principibus Secularibus corporaliter puniendi traduntur.

Ordinationes, beneficiorum collationes, rerum Ecclesiasticarum alienationes, a Schismaticis factæ, sunt irritæ; ab iis ordinati, ab officio repelluntur, nisi super eos dispensaverit, qui dispensandi potestatem habet.

Hanc potestatem habet Summus Pontifex, si scientes a Schismaticis sint ordinati; si ignorantes, quilibet discretus Prælatus.

Apostatæ sunt, qui a statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se tenere professi sunt, temerarie recedunt.

Apostasiæ species tres sunt, Perfidiæ, Inobedientiæ, & Irregularitatis.

Apostasia Perfidiæ est, cum quis Christianam religionem, ejusq; verum cultum deserit, & ad Judaicos, aliosq; detestabiles ritus deflectit. Pœna hujus eadem est, quæ hæretici.

Apostasia Inobedientiæ est, cum quis superioris præcepta transgreditur, vel sacris statutis & canonibus obedientiam non præstat, quibus tamen obediendum esse credit. Tales sunt infames, accusare vel testimonium dicere prohibentur, excommunicantur, deponuntur, & quandoq; degradati Judici seculari traduntur.

Irregularitatis Apostasia est, cum quis ab ordine assumtæ religionis recedit. Tales, apostasia durante, ipso jure fiunt infames, ab accusatione & testimonio repelluntur, a dignitatibus removentur; si admoniti se non corrigant, deponuntur, privilegiis Clericis concessis privantur; fœdo carceri, donec sui pertæsi erroris resipiscant, mancipantur.

Ana-

Anabaptistæ sunt, qui sacrum baptisma iterant. Hi, si Clerici sunt, deponuntur; si Laici, excommunicantur, nec ad Ordines admittuntur. *Rebaptizati ignoranter*, ad Ordines, nisi maxima necessitate urgente, admitti non possunt; *scienter rebaptizati*, per septem annos debent pœnitere.

Titulus 7.

De Parricidio, & Infantibus, ac languidis expositis.

P*Arricidium* est, quando occiduntur parentes, vel liberi, vel aliæ personæ, sanguine conjunctæ.

Pœna parricidarum veteri *jure Civili* fuit, ut virgis sanguineis verberati, ac culeo insuti, cum cane & gallo gallinaceo, vipera & simia, in mare vel in amnem projicerentur. *Jure vero Canonico* suadetur matri, quæ iracundiæ calore ducta, uti, quod maritus illi exprobrare solitus, filium suum non esse, eundem filium occidit, si quidem vidua sit, ut in monasterium se conferat, & ibi reliquo vitæ cursu peccatum deploret; si vero est conjugata, non ideo a marito separari debet, sed alia pœna ei imponenda.

Mulier, *partum animatum*, hoc est post 40. diem a conceptione, medicamentis, vel aliter sponte *abigens*, vel abortum ita faciens, capitali supplicio plectenda est.

Si infans in lecto parentum suffocatus inveniatur, nec constet, quis eum ex conjugibus oppresserit, indicitur utrisq; pœnitentia trium annorum, quorum unum in pane & aqua peragere debent; siquidem in eo peccarunt, quod, infantem in communem lectum recipiendo, eundem periculo oppressionis exposuere.

Qui

Qui matrem occiderit, pœnitere debet per annos decem, ſecundum formam præſcriptam in *can. latorem 33. q. 2.*

Qui infantes, ac minores ſeptennio exponunt, ut vel pereant, vel ab aliis ex commiſeratione ſuſcipiantur, pœna digni ſunt: &, ſi pater fuerit, amittit jus patriæ poteſtatis; ſi dominus, jus dominicæ poteſtatis, non tantum ſi ipſe expoſuerit, ſed &, ſi ab alio expoſitum ſciverit, vel poſtea ratum habuerit; atque ita expoſitus, hoc ipſo, conſequetur libertatem. Inſuper exponens filium aut filiam, privatur ſucceſſione eorundem, ab inteſtato decedentium.

Eadem pœna ſtatuitur in eum, *qui filium languidum*, id eſt, ſic viribus ob infirmitatem privum, ut ad functiones præſtandas inutilis ſit, cujuscunq; ætatis is fuerit, *exponit*. Qui tamen hunc ſuſcipit, non ideo jus aliquod in ejus perſonam acquiſiviſſe cenſendus eſt.

Titulus 8.

De Homicidio voluntario, vel caſuali.

HOmicidium, eſt delictum, quo quis directe, vel indirecte, hominem interfecit: eſtq; aliud Voluntarium, aliud Caſuale, aliud Neceſſarium.

Homicidium Voluntarium dicitur, quod committitur animi propoſito, & dolo: & vel aperte, & ſine inſidiis; vel proditorie ex inſidiis, quod Aſſaſinium dicitur. Occidiſſe etiam videtur, qui dolo malo cauſam mortis præbuit, qui mandando, conſulendo, opem ferendo interceſſit, qui ſciens ſarcinas occidentium cuſtodivit.

Quia Eccleſia homicidas ad pœnitentiam cogere debet, *pœnitentiali pœna* in homicidas animadvertit.

In

In Episcopo homicida, pœna est depositio, peregrinatio, & annorum 15. pœnitentia; in Presbytero, annorum 12. cum depositione; in Diacono, annorum 10. in aliis Clericis & Laicis, annorum septem; quorum tres in pane & aqua exigendi. Qui Presbyterum occidit, 12. annis debet pœnitere, & sine militiæ cingulo, ac spe conjugii, usq; ad ultimum vitæ tempus, manere.

Qui sibi ipsis violentas manus quolibet modo inferunt, cum Psalmis ad sepulturam deduci non debent, nec pro illis ulla in oblatione debet fieri commemoratio; nisi ex insania, aut mentis impotentia id fecerint.

Homicidium Casuale dicitur, quod præter intentionem & opinionem occidentis, citraq; dolum committitur. Tale etiam est, quod ab infantibus nondum doli capacibus, furiosis, aut dormientibus patratur. Hoc homicidium, quia fato quodammodo imputatur, extra noxam est; nisi forte culpa casum præcesserit; atque tum Clericus irregularitatem incurrit.

Homicidium Necessarium dicitur, quod fit ad necessariam corporis sui defensionem, ob vim illatam, quam repellere leges omnes permittunt; modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, non ad vindictam, sed tantum injuriæ propulsandæ & avertendæ gratia. Hoc non punitur, licet Cardinalis fuerit occisus. Est quoque Necessarium homicidium, quod fit autoritate vel legis, vel Superioris, jus gladii habentis.

Titu-

Titulus 9.

De Torneamentis, Duellis, & Sagittariis.

NOn tantum homicidium jure prohibetur, ſed etiam ea, per quæ ad homicidia perveniri ſolet, uti ſunt Torneamenta, Duella, Ars ſagittariorum.

Torneamenta, ſunt Nundinæ vel Feriæ, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, &, ad oſtentationem virium ſuarum, pugnando temere congredi.

Hæc Torneamenta jure Canonico prohibentur, quia ex iis frequentes cædes hominum, & animarum pericula proveniunt. Iſta tamen prohibitio, non extendenda ad ea haſtiludia, quæ in nativitate aut inauguratione Principis, nunc exhiberi ſolent.

Jure Civili ſi quis alterum *in lucta vel pugillatu* occiderit; nulla hunc pœna manet: de jure vero Canonico, qui alium in Torneamentis interfecerit, reus eſt homicidii; interfecto autem Eccleſiaſtica denegatur ſepultura, ſi animo ludendi ac pugnandi acceſſerit ad torneamenta, non ſi ob cauſam aliam.

Duellum, eſt ſingularis pugna, quam quis ſponte alicui offert, vel ab alio oblatam ſuſcipit, ad controverſiarum deciſionem, veritatis aſſertionem, & in defectum probationis, adhiberi ſolita.

Duellum aliud eſt Solemne, aliud Privatum.

Duellum Solemne eſt, quod fit ſervata certa forma & ordine, habita loci ſecuritate, (id campum francum vulgo vocant) adhibitis patrinis, ac judice, qui cauſas duelli audiat, & examinet.

Duel-

Duelium Privatum eſt, quod fit absque ſolemnitatibus, ex condicto tamen, & ſtatuto tempore, ac loco opportuno.

Olim apud Romanos licita fuere duella, publici ſpectaculi cauſa exhiberi ſolita: ea poſtea Conſtantinus Imp. ſuſtulit. Vſurpata deinde iterum duella, non ſpectaculi gratia, ſed criminis purgandi, veritatis aſſerendæ, & honoris defendendi cauſa, cum Longobardi in Italia rerum potirentur; unde origo duelli Solemnis. Hujusmodi duella plerarunq; gentium legibus, ſub certis formis aliquando tolerata fuerunt; nunc vero eorum uſu non Clerici tantum, ſed & Laici, penitus prohibentur.

Clericus ad duellum, per ſe, vel per alium, ſe offerens, aut oblatum ſuſcipiens, irregularitatem incurrit, & deponendus eſt; niſi, morte, vel membri mutilatione non ſecuta, miſericorditer cum eo diſpenſetur.

Sagittarii dicuntur, qui ſagittas emittunt ex arcu minori; cujus uſus olim in bello fuit, & etiamnum apud Turcas ſervatur.

Baliſtarius eſt, qui baliſta, ſive machina bellica, e qua ſaxa ad quatiendos muros ejiciuntur, utitur.

Si quis Sagittariorum & Baliſtariorum arte utatur adverſus Chriſtianos, excommunicationi ſubjacet. Qui eam exercens aliquem occidit, incurrit irregularitatem, quia verſatur in re illicita.

Titulus 10.

De Adulteriis, & Stupro.

ADulterium *generaliter* dicitur omnis conjunctio, quæ poteſtatem aut naturam legitimi conjugi

ugii non habet: *Proprie vero Adulterium* est violatio lterius tori; sive commixtio cum conjugato, vel conjugata. Atque committitur Adulterium de jure Canonico, etiam in solutam mulierem a conjugato, cum eadem a marito, quæ ab uxore, castimonia requiratur.

Accusatio Adulterii, vel Criminaliter instituitur; coram Judice seculari, vel Civiliter, coram Judice Ecclesiastico.

Criminaliter agitur ad pœnam, quæ in adultero est gladii, in adultera secundum Nov. 134. castigatio, & detrusio in monasterium.

Civiliter agitur ad separationem tori, cujus cognitio ad solum Ecclesiasticum judicem pertinet; qui & excommunicatione adulteros ferire potest.

Separatio hæc, non est vinculi matrimonii, sed tantum cohabitationis, & tori divisio. Ea concessa; dos & donatio propter nuptias conjugi innocenti applicantur. Non conceditur Separatio, si eam petens, ipse quoq; adulterium commisit, aut si ejus committendi autor fuit, aut factum postea probavit. Sic nec uxor, ab alio, quam a marito, violenter oppressa, vel ignoranter cognita, adulterii accusari potest.

Non licet de jure Canonico, uti de jure Civili, marito *uxorem adulteram, in adulterio deprehensam*, aut ejus adulterum occidere.

Clericus, si adulterium commisisse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, reliquum vitæ tempus, concessa tamen communione, in monasterio exigere debet. *De adulterio tantum infamatus* ex confessione adulteræ, debet se cum vicinis quinque Presbyteris jurantibus purgare; si se purgare non potest, ab officio suspendendus.

Stuprum, generatim est illicitus congressus, cum virgine aut vidua, honeste vivente; proprie & stricte accipitur pro virginis defloratione.

De Jure Canonico, stuprator viduæ honestæ, pœnitentiæ subditus, pecuniaria pœna coërcetur. *Virginis honestæ stuprator*, tenetur eam dotare, & habere uxorem; nisi pater dare nolit, quo casu dotasse sufficit. *Si vero ipse recuset illam ducere*, corporaliter castigatus excommunicatusq; , in monasterium, detrudendus. *Si non possit eam ducere*, uti quia cognatus, aut ordine sacro insignitus, nihilominus dotabit, quia utrumq; est in obligatione.

Clericus stuprator, deponitur, & insuper pecuniaria pœna, vel corporali, veluti detrusione in carcerem, aut monasterium, puniri potest.

Qui Sacris Virginibus stuprum intulit, si Clericus, deponitur, si Laicus, excommunicatur: de jure vero Civili capite plectitur.

Sacerdos, qui cum filia spirituali, aut pœnitentiali fornicatus fuit, ab officio deponi, & 12. annis pœnitere debet, posteaq; monasterium ingredi: fœmina quoque, si laica, bonis suis pauperibus distributis, similiter, ut monasterium ingrediatur, compellenda.

Ex Pauli IV. constitutione, *conciliatores, proxenetæ, lenones, ac lenæ*, qui puellam virginem interpellant, flagitio perfecto, capitali pœna; nondum perfecto, deportatione perpetua in Insulam, plectendi.

Titu-

Titulus II.

De Inceſtu, Raptu, Fornicatione, & Sodomia.

INceſtus, eſt conſanguineorum, vel affinium, intra gradus jure prohibitos, abuſus, ſeu cum iis concubitus.

De Jure Canonico, Clericus de inceſtu accuſatus, & infamatus, deponendus eſt, & beneficiis privandus. Omnes vero inceſtu polluti, indiſcriminatim ſunt infames, excommunicati ipſo jure, & a ſe invicem ſeparari debent. Alterutro mortuo, alter, quam diu vivit, graviter pœnitere debet, omni ſpe conjugii præcluſa. Quod ſi vero cum alia contraxerit matrimonium, illud ſubſiſtit; quia eſt impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium.

Qui ſcienter *matrem & filiam*, aut *duas ſorores* germanas carnaliter cognovit; aut mulier, quæ patri & filio, aut duobus fratribus germanis ſui copiam fecit, ex conſtitutione Sixti V. pœna ultimi ſupplicii plecti jubetur.

Liberi ex inceſtu prognati, non cenſentur legitimi, nec parentibus ſuccedunt.

Raptus eſt, quando puella vel vidua violenter abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur. Pœna Raptorum, ſi Laici ſunt, eſt anathema; ſi Clerici, ordinis & honoris amiſſio.

Qui ſibi deſponſatam parentibus invitis abducit, de Jure Canonico raptor non dicitur, & poteſt quoque, de hoc jure, rapta puella cum raptore matrimonium contrahere, ſi prior diſſenſio in conſenſum transeat, nec aliunde ſit impedimentum. At, *qui Deo dicatas virgines rapiunt*, vel volentes matrimonio ſibi jun-

gere tentant, tanquam sacrilegi plectuntur, nulla sacrarum virginum voluntatis habita ratione.

Fornicatio simplex, a fornicibus, id est concameratis cellis, sub quibus Romæ meretrices omnibus expositæ, habitare consueverant, sic dicta, est omnis concubitus illegitimus cum meretricibus, & aliis.

Meretrix dicitur, quæ multorum libidini patet, & corpore quæstum facit.

Pœna fornicationis simplicis, in Laico, est arbitraria; in Clerico, si, post tertiam admonitionem, cum fœmina, de qua fornicationis criminis est suspectus, inveniatur fabulari, excommunicatio. Si monitus a focaria non abstineat, ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad satisfactionem, est suspendendus; si suspensus eam retineat, perpetuo ab officio removendus.

Contra naturam commixtio, quæ Sodomia vocatur, in Clerico dejectione, ac in monasterium, ad pœnitentiam agendam, detrusione, in Laico excommunicatione, & a cœtu fidelium remotione, vindicatur.

Titulus 12.

De Furto, Rapina, Incendiariis, & Sacrilegio.

F*Vrtum*, est contrectatio rei alienæ fraudulenta, lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel etiam usus, possessionisve.

Furtum etiam facere dicitur, qui furtum recipit & celat: eoque casu non tantum ex judicis officio, sed & ad instantiam partis læsæ, tenetur quis furem indicare, si conscius sit furti. Atque hinc origo Monitoriarum.

Moni-

Monitoriæ ſive Monitoria, ſunt literæ, ad finem revelationis emiſſæ, quas Epiſcopi, aut Vicarii generales Epiſcoporum, ad inſtantiam cujuſcunque petentis, in genere, contra detentores rerum alienarum, concedere ſolent, ut eas intra certum terminum reſtituant, contraque detentionis illius ſeu furti conſcios, ut fures furtaque indicent, ſub pœna excommunicationis, hac fere formula: *Moneatis Titium, vel quemcunq; alium, qui furtum hoc fecit, aut damnum dedit, ut intra certum terminum ſatisfaciat, alioqui noverit, ſeſe per hanc noſtram ſententiam excommunicatum.*

A furto excuſat 1. Neceſſitas extrema, id eſt tanta, ob quam periculum vitæ imminet. Hoc enim caſu, jure naturali omnia ſunt communia, ut, rem alienam accipiendo, quis propriam accipere videatur. 2. Rei exiguitas, etſi inter Canoniſtas non convenit, quæ res minima dicenda ſit. 3. Cauſa compenſandi, dum quis aliter ſuum recuperare nequit.

Jure Canonico, præterquam quod ad reſtitutionem obligantur fures, iique inſuper, qui ſuadent, mandant, conſulunt; Clericus, furti reus, depoſitus, factusque incorrigibilis, excommunicari debet.

Rapina, eſt violenta & manifeſta rei alienæ, mobilis & corporalis, invito domino, contrectatio.

Rapinam committentes, ſive ſint Laici, ſive Clerici, a Prælato loci, ubi deliquerunt, excommunicantur, aliisque pœnis coërcentur, niſi ablata reſtituant, vel de reſtituendo caveant. Si nolint, nec pœniteant, Eccleſiaſtica ſepultura iis denegatur.

Incendiarii dicuntur, qui data opera, & dolo malo, ex odio & vindicta, ignem in Eccleſiam, vel alia pia loca, injiciunt, vel injici faciunt.

Incendiarii Ecclesiarum, seu rerum Ecclesiasticarum, ipso jure sunt excommunicati ; aliarum vero rerum profanarum, demum per sententiam Ecclesiæ, seu pronunciatione Judicis : quo casu, a solo Summo Pontifice, extra articulum mortis, possunt absolvi. Tum vero Ecclesiastica iis conceditur sepultura, & tenentur heredes ad damni restitutionem, occasione incendii vel alio modo dati, secundum defuncti facultates.

Sacrilegium est, cum quis sacrum violat, aut auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro.

Committitur Sacrilegium, vel in Rebus, vel in Personis Ecclesiasticis.

In Rebus Ecclesiasticis committitur sacrilegium, Ecclesiam infringendo, vel quippiam circa eam intra triginta passus diripiendo, vel inde auferendo, quin & prædia Ecclesiastica invadendo.

In Personis committitur Sacrilegium, manus violentas Clericis, vel aliis Personis Ecclesiasticis, injiciendo, eas vinciendo, pulsando, aliaq; injuria afficiendo.

In Rebus commissum Sacrilegium, varie, pro modo sceleris admissi, nisi satisfactum sit, aut de satisfaciendo plena securitas data, punitur. Nunc enim sacrilego beneficium pœnitentiæ penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis & depositionis, aliquando & pecuniaria pœna, coërcetur.

In Personis commissum Sacrilegium, excommunicatione majore punitur, a qua non nisi a Pontifice absolutio concedi potest.

Titu-

Titulus 13.
De Usuris.

VSura est, quicquid, ultra sortem principalem seu debitum, creditor, ratione mutui, ex pacto, vel præcedente sua intentione, lucri accipit.

Lucri nomine hic intelligitur omne, quod sorti accedit, sive pecunia fuerit, sive alia res, natura sua pretio æstimabilis.

Jure Civili, licet Creditori, accepto pignore, pacisci fructus pignoris, donec mutuum reddatur: id pactum vocant *ἀντιχρήσεως*, id est reciproci usus, quia creditor utitur re oppignorata, & debitor pecunia: atque sustinetur hoc pactum ratione creditoris, propter incertum fructuum eventum, incertumque pretium. At, *Jure Canonico*, improbatur hoc pactum, tanquam usurarium: Fructus ex pignore perceptos creditor imputare debet in sortem, id est, quantum fructuum percepit, tantum ei de sorte detrahendum.

Vsura alia est Mentalis, alia Realis; item alia est Compensatoria, Punitoria, & Lucratoria.

Vsura Mentalis est, quando mutuans, citra ullam conventionem, ea mente dat, ut ultra sortem aliquid recipiat, alias non daturus.

Vsura Realis, sive Conventionalis est, quando quis pecuniam credit, cum pacto capiendi aliquid lucri ultra sortem.

Vsura Compensatoria, est legitima pensatio, seu præstatio ejus, quod interest, ratione vel lucri cessantis, quod scilicet creditor facere potuisset, si pecuniam suam mutuo non dedisset, vel damni emergentis,

quia scilicet tantum damni inde accepit. Et hæc proprie usura non est, quia non est lucrum, sed quanti interest creditoris.

Usura Punitoria est, quæ pœnam debitoribus morosis infligit, stato die non solventibus: quæ species, similiter non involvit injustitiam aliquam.

Usura Lucratoria est, quæ merum lucrum continet, & ideo improba ac detestabilis est, damnata lege Naturæ, Evangelica, & Pontificia.

Montes Pietatis, qui in Italia passim constituti deprehenduntur, immunes sunt ab usuræ vitio. Nihil enim hic principaliter datur vi mutui, & ultra sortem, lucri causa, quod fit in usuris; sed tantum ratione damni emergentis, sive pro sola indemnitate & conservatione Montis, pro stipendio scilicet domini & ministrorum, qui Montis curam habent, idq; moderatum, secundum quantitatem pecuniæ numeratæ, accepto a singulis pignore idoneo, venditoq; deinde, post lapsum temporis, ob defectum solutionis, pignore, atq; ex pretio ejus deducta sorte, eoque, quod ultra sortem, pro detrimentis menstruis, Monti debetur, residuo pretii domino pignoris restituto.

Pœnæ Usurariorum sunt 1. quod omnes, sive manifesti, sive occulti, & tam Mentales, quam Reales, tenentur ad restitutionem usurarum, & adeo heredes illorum, acceptas a defuncto usuras, pro parte hereditaria, restituere tenentur. 2. Exercens usuras, & monitus non desistens, si Clericus sit, suspendendus est ab officiō, & deponendus, laicus vero excommunicandus. 3. Manifesti usurarii, neque ad communionem altaris, neque ad Ecclesiasticam sepulturam, neque ad oblationes, vel ad confessionem peccatorum faciendam, neque etiam ad testamenti factionem sunt admit-

admittendi; nisi vel de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem idoneam præstiterint.

Titulus 14.

De Crimine falsi.

F*Alsum seu falsitas*, est veritatis immutatio, quæ, quando cum dolo fit, crimen habet. Vt ergo quis falsi reus sit, tria concurrere debent: 1. Vt dolo malo, seu animo fallendi, & corrumpendæ veritatis committatur. 2. Vt noceat alteri. 3. Vt lege aliqua statutum sit, talem immutationem veri, esse puniendam pœna falsi.

Falsum committitur, vel circa Homines, vel circa alias res.

Circa Homines falsum committit, qui falsum partum supponit; qui nomen falsum in præjudicium alterius usurpat; qui testimonium falsum dicit, vel verum supprimit; qui judicem corrumpit; literas sigillatas aperit; qui de manu alia, quam Bullatoris, vel Papæ, Bullas accipit.

Circa alias Res falsum committit, qui numos adulterinos fingit, veros radit; qui in instrumento rasis literis aliud in locum substituit; qui chirographum alienum imitatur; qui testamentum falsum scribit; qui in testamento quid sibi adscribit; qui falsis literis scienter utitur. Item, qui falsam mensuram, bilancem, adhibet; qui falsos canones vel leges allegat; qui instrumenta supprimit, aut adversariis tradit; qui Alchymiam exercet.

Falsum, quod fit *circa literas Apostolicas*, in Laico excommunicatione, in Clerico, officiorum & beneficiorum amissione punitur. Si Clerici circa alias Res falsum commiserint, deponendi sunt.

Titulus 15.

De Sortilegiis.

SOrtilegium, in genere, omnem divinationis vanitatisq; magicæ speciem complectitur.

Sortilegi, autore Isidoro, sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum Sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione, futura promittunt. Vel, Sortilegi dicuntur, qui id, quod occultum est, eventu alicujus rei explorant.

Sortes sunt triplices: Divisoriæ, Consultoriæ, & Divinatoriæ.

Sortes Divisoriæ sunt, quarum eventus plerunq; a solo casu pendet; uti cum sortem velut judicem facimus, in litibus ac controversiis dirimendis; in hereditatibus & communibus bonis dividendis; ut sciatur, quid cuiq; tribuendum sit; quibus propterea nihil mali per se inest.

Sortes Consultoriæ sunt, quibus divina voluntas consulitur, ut sciatur, quid agendum, aut fugiendum sit: atque hoc, necessitate cogente, licite fit, uti cum Apostoli, post preces ad Deum fusas, Matthiam in Apostolatum sorte elegerunt.

Sortes Divinatoriæ sunt, ex quarum inspectione, futura prænunciantur, & præsentia aut præterita occulta deteguntur. Id, quia ordinarie non fit sine pacto aliquo cum dæmone, sive expresso, sive tacito, ideo tales sortes, tanquam illicitæ, jure Canonico prohibentur.

Sortilegorum, jure Canonico, pœna est Excommunicatio: quam pœnam, consulentes quoque incurrunt.

runt. Emendari recusantes, si servi fuerint, verberibus castigandi sunt; si liberi, in carcerem detrudendi. *Clerici sortilegi*, aut consulentes magos, depositi ab omni ordine sacro, & exuti beneficiis, in monasterio, crimen admissum perpetua pœnitentia luere debent.

Titulus 16.

De Calumniatoribus, & Collusione.

C*Alumniatores* dicuntur, qui falsa crimina scienter, animo calumniandi, vel vexandi reum, intentant.

Judex, qui accusatorem calumniose crimen intentasse deprehendit, illum similitudine supplicii, quod probato crimine subiisset reus, cum existimationis dispendio plectit.

Collusio, est occulta conventio eorum, qui inter se judicio contendere simulant. Atque, qui partem adversam adjuvant, proditis causis suis, si quidem criminales sint causæ, *prævaricari*, si spirituales, *colludere* dicuntur.

Pœna collusionis est, quod *Accusator*, collusionis convictus, fit infamis, & ab accusatione repellitur. *Reus* vero, si per collusionem aut prævaricationem absolutus fuerit, potest ex integro accusatio institui, & per judicem ex officio inquiri, super eodem crimine.

In Criminalibus vel Matrimonialibus causis, quia eæ, jure Canonico, omnes quasi publicæ censentur, per transactionem aut collusionem non licet a lite recedere: si id fiat, causæ iterum in judicium deducuntur, possuntq; Rei, abolitione non obstante, accusari, & in eos inquiri.

Titu-

Titulus 17.

De Clerico Venatore, Percuſſore, & Maledico.

CVm Venatio, teſte Ariſtotele 1. Polit. ſit pars bellicæ virtutis, ideo ea Clericis, qui ab omni contentionis & belli ſpecie abſtinere debent, eſt interdicta.

Intelligenda eſt *Venatio ſaltuoſa & clamoſa*, quæ fit cum accipitribus, aut alia ejusmodi ratione, non ea, quæ fit ſine ſtrepitu canum & armorum, cum retibus; modo raro exerceatur, nec avocet ab officio. Nam, quod ait S. Hieronymus: *Non invenimus in ſcripturis ſanctis, ſanctum aliquem venatorem, piſcatores invenimus ſanctos.*

Clericus Venator, deprehenſus ſæpius in venatione, ſi Epiſcopus ſit, tribus menſibus a Communione; ſi presbyter, duobus; ſi diaconus, pro arbitrio Judicis, ab omni officio ſuſpenduntur.

Clericus Percuſſor dicitur, qui, ex prava conſuetudine, pronus & facilis eſt ad verberandum: ſive per ſe & ſuis manibus hoc faciat, ſive per alium.

Pœna percutientis Clerici, eſt ſuſpenſio ab officio, &, niſi monitus ſe corrigat, degradatio.

Permiſſum judici Eccleſiaſtico, præter pœnam pecuniariam, virgis cædere delinquentes: nec incurrit irregularitatem, moderatione nempe adhibita, ne in vindictam ſanguinis tranſire videatur.

Maledictum eſt, cum quis aſſerit, alteri malum ineſſe, quod non ineſt; vel negat, ineſſe bonum, quod ineſt.

Sunt igitur duæ ſpecies maledicti: una *Affirmativa*, veluti, tu es latro: altera *Negativa*, veluti, tu non credis in Deum; tu non fungeris officio.

Cle-

Clericus maledicus, maxime Sacerdos, ad veniam postulandam, per sententiam excommunicationis, compellitur; si noluerit, ab officio suspenditur.

Maledictum, quod adversus Deum, B. Virginem, aut Sanctos pronunciatur, *Blasphemia* proprie dicitur. Blasphemiæ pœna Canonica in Laicis, est excommunicatio; in Clericis, depositio.

Titulus 18.

De Clerico excommunicato, deposito, interdicto, vel non ordinato ministrante.

SI *Sacerdos aliquis*, cum sciret, etiam per rumorem tantum, *se majori excommunicationi implicitum*, & monitus prius, ut desistat, celebrare, ac divinis sese officiis ingerere præsumpserit, fit irregularis. Et, si nec sic desistat, Ordinibus suis spoliatus, implorato judicis laici auxilio, in exilium mittitur.

Si Sacerdos minore tantum excommunicatione ligatus fuerit, etsi celebrando graviter peccat, non tamen fit irregularis, quo minus possit Ecclesiastica Sacramenta administrare, sed ipse tantum ea percipere prohibetur.

Eadem hæc & in Clerico deposito & interdicto, si in Ordine suo ministraverint, locum pariter inveniunt.

Si Clericus ministerium ordinis, quod non est consequutus, exsequatur, fit perpetuo irregularis ad susceptionem ejus ordinis, in quo non Ordinatus ministravit, & præterea excommunicandus est. Beneficium tamen Ecclesiasticum ei auferri non debet, ut habeat, unde vivat. Hodie, ex Constitutione Cle-

Clementis VIII. quilibet, non Sacerdos, dicens Missam, aut confessionem Sacramentalem audiens, ex Ecclesia ejicitur, & ab Ordinibus, si quos habet, rite degradatus, Curiæ seculari traditur, debitis pœnis plectendus.

Titulus 19.

De Clerico per saltum promoto, & eo, qui furtive Ordinem suscepit.

Clericus per saltum promotus, dicitur, qui non gradatim, sed a minori ad majorem ordinem, omisso medio, fuit promotus: uti ad Diaconatum, ante Subdiaconatum: ad Presbyteratum, ante Diaconatum.

Clericus per saltum promotus, *tamdiu ab usu & executione suscepti Ordinis suspenditur*, donec omissus Ordo inferior suppleatur, utique, si ignoranter ad superiorem Ordinem ascenderit. Qui scienter id fecit, non est ordinandus.

Furtive Ordines suscipere dicitur, qui sine prævio examine, & sine prævia admissione, in numerum ordinandorum clam se insinuat, aut qui plures Ordines, eodem tempore, suscipit. Hic, nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores ascendere potest, nisi cum eo, ab Episcopo, aut Ordinario, dispensetur.

Titulus 20.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

Peccat Prælatus, cum excedit officium suum erga subditos; & peccant Subditi, cum erga Prælatos officium suum excedunt.

Offi-

Officium Subditi erga Prælatum eſt, ut ei honorem & obedientiam exhibeat.

Officium Prælati erga Subditos eſt, ut eos tanquam Clericos honoret ac diligat; nec ſolum eis præſit, ſed & proſit.

Excedunt & Prælati inferiores ſuum officium, quando ſe rebus, non ad ſe, ſed ad Superiorem pertinentibus, ingerunt: uti ſi Prælatus ſibi quid ex iis, quæ ad dignitatem & jurisdictionem Epiſcopalem pertinent, vindicare nitatur.

Qui contra officium peccarunt, variis modis, pro admiſſi qualitate, coërcentur.

Titulus 21.
De Operis Novi Nunciatione.

N*Unciare novum opus*, eſt denunciare & inhibitionem facere vicino, ne ædificet. Nunciare igitur, hoc loco, nihil aliud ſignificat, quam prohibere.

Opus vero novum facere videtur, qui ædificando vel detrahendo aliquid, priſtinam operis faciem immutat. Proinde, *Nunciatio Novi Operis*, eſt prohibitio, ædificanti, in publico, vel privato, legitime facta, ad hoc, ut deſiſtat ab opere, ſaltem tantiſper, donec jus ædificandi fuerit diſcuſſum, jurene, an injuria ædificet.

Quod ſi ædificans, Nunciatione neglecta, non deſiſtat ab opere, cogitur, quicquid poſt nunciationem conſtruxit, ſuis ſumtibus demoliri, licet poſtea deprehendatur, eum jure ædificaſſe; quia autoritati judicis non obtemperavit.

Opus novum nuncians, *intra tres menſes* probare debet, opus inchoatum injuria conſtrui.

Titu-

Titulus 22.

Quibus modis de Criminibus agatur.

CRimina in judicium deducuntur, aut per Accusationem, aut per Denunciationem, aut per Inquisitionem.

Accusatio, est criminis alicujus, & ejus, qui illud admisit, ad Judicem delatio, publicæ vindictæ, & pœnæ causa facta.

Accusatio instituenda est coram idoneo & competente judice, ab iis, quibus accusandi jus est, contra eos, quos accusare licet.

Competens Judex, est alius, si Clericus, alius, si Laicus accusetur.

Clericus accusandus est coram Judice Ecclesiastico ordinario, vel alio, cui ex consuetudine, vel privilegio, data fuit jurisdictio, & potestas cognoscendi: nisi quidem Clericus sit incorrigibilis, & exauctoratus, & a judice Ecclesiastico Curiæ Seculari traditus, vel relictus.

Laicus accusandus est coram Judice Seculari, qui cum potestate est; nisi tale objiciatur crimen, quod ad forum Ecclesiasticum pertinet; uti sacrilegium, usuræ, perjurium, adulterium. Tum enim Ecclesiasticus judex, in quantum illud crimen, peccatum & detrimentum animæ continet, cognoscit.

Accusare possunt omnes, qui expresse non prohibentur. *Probibentur vero jure Canonico accusare*, omnes, qui & jure Civili ab accusatione repelluntur. Præter illos, nefas est accusare inimicis, inimicos; crimimosis, criminosos; Laicis, Clericos; nisi suam vel suorum injuriam persequantur; Clericis, Laicos, nisi testentur, se non ad sanguinis vindictam

dictam seu pœnam attendere; sed nec viles personæ Clericos accusare possunt, nisi hi antea eorum consuetudine fuerint usi; nec subditi improbi Prælatos vel Magistratus suos, nisi a fide exorbitaverint. Admittuntur tamen fere omnes, in criminibus atrocioribus, puta læsæ Majestatis, Hæresis, Simoniæ.

Accusari possunt, nisi prohibeantur expresse, Rei utriusque sexus, cujuscunque ætatis, (modo doli sint capaces) & conditionis, etiam servi. Expresse autem accusari prohibentur Jure Canonico omnes, qui & jure Civili prohibentur. Amplius, nec Imperator potest accusari, nisi hæreseos, perjurii, & sacrilegii; nec Papa, nisi de hæresi, & tum a Principe, vel Synodo judicatur.

Rei accusari debent regulariter in eo *loco*, ubi crimen commiserunt.

Nemo ad accusandum admittitur, nisi per se, vel, si literas nesciat, per alium, se ad *pœnam talionis* inscribat, id est, libello subscribat, quo facilius puniri possit, si deprehendatur calumniari.

Ei, qui ob publicum munus denunciat, hæc inscribendi necessitas remittitur, ut & ei, qui de levibus accusat.

Libellus inscriptionis debet complecti nomen Judicis coram quo criminis fit delatio, nomen accusatoris & accusati, locum & tempus, crimen & ejus qualitatem, & personam cum qua crimen perpetratum, item subscriptionem ejus qui dat libellum.

Accusatione instituta, causa agitur eodem modo, per litis contestationem, exceptiones &c. quo in civilibus procedi solet; exceptis criminibus levioribus,

 item

item læsæ majestatis, & hæresis, quæ de plano cognoscuntur; & notoriis, in quibus nulla alia probatione, nulloq; ordine judiciario opus est.

Debet uti Accusator *probationibus* luce meridiana clarioribus, expeditis, idoneis testibus, apertissimis documentis, indiciis ad probationem indubitatis.

Legitime convicto Reo, sententia sine mora in eum ferenda est, & executioni mandanda.

Alter modus, quo crimina in Judicium deducuntur, est *Inquisitio.* Ea est, cum Judex ex officio, nemine accusante, disquirit, an aliquis deliquerit, vel quis delictum admiserit.

Inquisitio, est vel omnino *Generalis*, uti cum Præses inquirit, an in sua provincia sint homines facinorosi; vel omnino *Specialis*, qua contra certam personam, certo de crimine, inquiritur: vel *partim generalis, partim specialis*, uti, cum Titio occiso, judex inquirit, quis eum occiderit.

Inquirere possunt, Prælati, vel Superiores merum Imperium habentes, uti Papa, & Imperator per suos Legatos & Delegatos, Episcopi in suis Diœcesibus, Metropolitani in suis provinciis, & omnes, quibus competit cognitio causarum criminalium.

Inquiri potest super criminibus gravibus & enormibus, uti Homicidio, Simonia, Adulterio &c. non super levibus, & dissimulandis. Nec fieri debet inquisitio specialis de criminibus occultis, sed tantum de his, de quibus præcessit infamia, id est late sparsa fama, & quæ sit publica & constans de crimine commisso, & non a malevolis, nec data opera disseminata, ita ut Reus sine scandalo tolerari nequeat. Hoc vero obtinet, quando Inquisitio contra certam per-

personam, puta Titium, instituitur. De cætero vero, non prohibetur Judex generaliter inquirere, ut hac ratione ad specialem, contra certam personam, deveniat.

In Speciali Inquisitione, Reo edi debent articuli, de quibus est inquirendus; item, nomina & dicta testium; nec non exceptiones & replicationes illi permittendæ.

Inquiri debet ex viris idoneis & fide dignis, non ex delati inimicis, & perjuris.

Crimine non probato, Canonica purgatio delato indicitur.

Tertius modus, quo crimina in judicium deducuntur, est *Denunciatio*. Ea est criminis latentis, facta Judici vel Fisco, non observata formula accusandi, nunciatio: estque vel Evangelica, vel Canonica, vel Judicialis.

Denunciatio Evangelica est, quæ fit ad emendationem & bonum animæ; ut, cum uxor occultum mariti adulterium Sacerdoti denunciat.

Denunciatio Canonica, est criminis alicujus, apud competentem judicem, citra inscriptionem, legitime facta delatio. Fit hæc denunciatio super crimine quidem occulto, quod tamen aliquo modo probari possit, & instituitur potissimum ad pœnitentiam agendam, vel aliam legitimam pœnam peragendam. Et hanc Canonicam denunciationem præcedere debet, vel unica tantum, vel etiam altera monitio charitativa; in quo differt a denunciatione Evangelica, quæ triplicem admonitionem necessario requirit.

Denunciatio Judicialis est, quæ fit per ministros publicos, ad hoc constitutos, ut delicta ac delinquen-

tes denuncient Magiſtratibus: idque vel ad vindictam publicam, & dicitur Publica; vel ad privatum intereſſe, & dicitur Privata.

Fit Denunciatio, ſine inſcriptione, & ſine onere criminis probandi, proindeque ſine metu talionis: tantum enim denuncians de calumnia jurare, & teſtes, criminis conſcios, nominare debet.

Accidit interdum, ut alicui, nec accuſando, nec denunciando, nec inquirendo, crimen objiciatur, ſed *Excipiendo:* quod fit vel Actori, ut ab accuſatione repellatur; vel teſtibus, ut eorum teſtimonia improbentur. Fieri debet ante publicationem teſtimoniorum, niſi crimina objicienda, poſt publicationem, excipienti innotuerint.

Per Exceptionem crimen objiciens, non tenetur inſcribere, nec punietur, ſi crimen objectum non probaverit; prorſus uti nec punitur is, contra quem, in exceptionis tantum vim, ut repellatur, fuit objectum.

Titulus 23.
De Pœnis.

REo crimen confitenti, vel teſtibus aliisque juris remediis convicto, pœna legitima imponitur.

Pœna, eſt læſio, quæ punit, vindicans, quod quisque commiſit. Ea eſt vel *Æterna*, ignis puta infernalis; vel *Temporalis*, quæ ad tempus, vel in hoc ſeculo infertur, ut caſtigati meliores reddantur.

Temporalis Pœna, eſt vel Spiritualis, vel Corporalis, vel Realis, vel Mixta.

Spi-

Spiritualis Pœna eſt quintuplex: Pœnitentia, Ex-communicatio, Interdictum, Suspenſio, Remotio ab Oblatione, ſeu ab Ordine.

Corporalis pœna, eſt vel in ipſo corpore, ut damnatio ad furcas, fuſtigatio; vel circa exiſtimationem perſonæ, uti infamia, relegatio.

Realis pœna, eſt in poſſeſſionem rei petitæ, vel pro modo debiti declarati, miſſio; officii & beneficii in perpetuum privatio; confiſcatio bonorum, mulcta pecuniaria.

Mixta pœna eſt, quæ partim eſt realis, partim corporalis: uti proſcriptio, exilium.

Pœnam imponere poſſunt omnes judices competentes, tam Laici, quam Eccleſiaſtici. Sed Eccleſiaſtici, ſanguinis pœnam non irrogant: verum, ſi quâ is ex delegatione Principis, vel alio jure, cognitio criminum competit, eam, ſi ſanguinis pœnam irroget, vel ad ipſum Principem remittunt, vel alicui Laico demandant.

Debent Judices, ſi criminibus certæ pœnæ a jure ſtatutæ, eas ſequi; ſi non, eæ illorum arbitrio irrogandæ permittuntur.

Licet Judices a præſcripta in jure pœna diſcedere non debeant, poſſunt tamen, ſi cauſa ſubſit, *pœnam vel augere, vel minuere*, vel etiam prorſus remittere; inſpectis circumſtantiis cauſæ, perſonæ, ſexus, dignitatis, ſcientiæ, ætatis, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, eventus.

Cavere debent Judices, ne pœna major ſit delicto; cum vero, ne alios quam autorem maneat, paucis caſibus exceptis. Tales ſunt, cum ſervitus filiis ob

peccatum patris infligitur, aut, propter Regis peccatum, Regnum interdicto subjicitur; aliique.

Titulus 24.

De Pœnitentia.

POenitentia, est quædam dolentis vindicta, punientis in se, quod dolet commisisse. Hinc, secundum Augustinum, pœnitere dicitur, quasi pœnam tenere: quia pœnitens punit in se ulciscendo, quod commisit peccando.

Titulus 25.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio, est censura Ecclesiastica, qua Christianus a corpore Ecclesiæ, vel saltem Sacramentorum ejus perceptione, excluditur.

Excommunicatio duplex est: alia Major, alia Minor.

Excommunicatio Minor est, quæ tantum a participatione Sacramentorum removet, ac proprie dicitur Excommunicatio.

Excommunicatio Major est, quæ non solum a Sacramentorum perceptione, sed etiam ab Ecclesia, & omni fidelium communione segregat: dicitur alias Anathema, sive damnatio æternæ mortis.

Excommunicatio alia est *Solemnis*, quæ fit adhibitis quibusdam ritibus & ceremoniis, erga incorrigibilem, feriendo illum anathemate; quod præter avulsionem a corpore Christi, sive Ecclesia, solemnem præterea maledictionem & execrationem involvit, in majorem detestationem excommunicati.

Alia

Alia est *non Solemnis*, quæ fit sine solemnitate, & unico verbo, Excommunico. Infert avulsionem a corpore Christi, sive Ecclesia. Utraque, tam Major, quam Minor Excommunicatio, est vel a Jure, vel ab Homine; item, vel Sententiæ latæ, vel Sententiæ ferendæ.

Excommunicatio a Jure est, quæ infligitur a lege, seu Canone, vel Synodo aliqua generali aut particulari, & hæc durat perpetuo, & dicitur alias Canonica.

Excommunicatio ab Homine est, quæ per sententiam infertur Judicis, & hæc, mortuo aut deposito Judice, qui eam tulit, exspirat.

Excommunicatio Sententiæ latæ, convenit quodammodo cum Excommunicatione a Jure, & est, quæ ipso facto, ante denunciationem, aut sententiam Judicis infertur; non aliter tamen, quam si hoc ipsum verbis exprimatur; veluti, ipso facto, ipso jure, sit excommunicatus, vel, sub pœna latæ sententiæ.

Excommunicatio Sententiæ ferendæ est, quæ non infligitur ipso jure, sed per sententiam: quamvis Excommunicatio minor hoc modo vix infligi soleat, quia sententia hujusmodi nullam aut exiguam vim haberet, & parum ultra peccatum mortale operaretur.

Quæ ab Homine infertur Excommunicatio, non nisi trina prius monitione, in scriptis legitime facta, ferri potest. Neque sufficit una monitio pro tribus, sed per terna, quorum, quod minimum, sex dierum sit, interstitia, fieri debet. *Quæ vero a Canone infligitur excommunicatio*, nullam requirit præceden-

tem monitionem : eſt enim ipſe Canon pro monitore.

Cum Judex aliquem ſimpliciter excommunicat, non exprimendo, majorene, an minore excommunicatione eum feriat, intelligi debet lata excommunicatio major, ut vocabulum analogum ſtet pro famoſiore ſuo ſignificatu; etſi cæteroquin, in pœnalibus, mitior interpretatio facienda.

Majore Excommunicatione ipſo jure notantur, divini, ſortilegi, hæretici, & eorum receptatores & fautores; literarum Apoſtolicarum falſarii, Simoniaci, Eccleſiarum violatores, nova telonia imponentes, Clericos Romam euntes ſpoliantes, res mortui Epiſcopi, quæ ejus ſucceſſori ſervari debent, diripientes, manus violentas perſonis Clericorum inferentes, aut mandantes inferre.

Minore Excommunicatione ipſo jure afficiuntur, mortale peccatum committentes; Eccleſiam de manu Laici recipientes; cum majori excommunicatione excommunicatis, oratione, ſalutatione, menſa, communicantes, niſi ſint eorum familiares & domeſtici, aut ex ignorantia vel neceſſitate id fecerint.

Poteſtatem majorem excommunicationem imponendi habent omnes, quibus jurisdictio ſpiritualis de conſuetudine vel jure communi competit. Tales ſunt, Summus Pontifex; Epiſcopus in ſua diœceſi; cæterique Prælati, quibus jurisdictio Epiſcopalis communicata eſt: uti Abbates, Præpoſiti, Capitulum Sede vacante.

Minorem Excommunicationem infligere poteſt quisque, qui curam habet animarum.

Non

Non excommunicat Laicus , nisi ex delegatione solius Papæ : nec, qui est extra Ecclesiam , uti excommunicatus , hæreticus; nisi fortasse hæreticus hæreticum excommunicaverit.

Excommunicari possunt tantum excommunicantis subditi ; Christiani , non pagani ; vivi , non mortui ; nisi in tali reatu decesserint, ut post mortem accusari & damnari possint; qualis est crimen hæreseos. Pariter, nec alii excommunicandi sunt , quam qui deliquerunt; nisi committi crimen mandarunt, aut non prohibuerunt, vel major pars universitatis deliquerit.

Subditi Episcopi dicuntur , ratione jurisdictionis spiritualis, omnes, qui sunt in ejus diœcesi, etiam terræ Principes: qua ratione Papæ subditi sunt omnes Imperatores & Reges.

Non tantum censentur Subditi ratione territorii, sed & delicti : unde & alienigena, a Prælato loci, in quo deliquit, excommunicari potest. Fieri autem tantum potest excommunicatio, ob crimen commissum, non vero committendum.

Excommunicationis Effectus, alii Spirituales sunt, alii Humani.

Spirituales Effectus sunt : quod excommunicatus a Deo separatur, & Diabolo traditur , & proinde sacra ministeria peragere vetatur ; quod ad sacros ordines nequit promoveri ; quod beneficium Ecclesiasticum in eum conferre non licet. *Humani Effectus* sunt , quod excommunicatus pro mortuo habetur ; sacramentorum omnium , matrimonio excepto, participatione privatur ; quod ab Ecclesia, dum divina officia celebrantur , expellitur ; quod

feudis Ecclesiæ privatur; quodque subditi & vasalli illius ab ejus servitio liberantur; quod in cœmeterio non sepelitur; sepultus eximitur. Quod a limine judicii, etiam parte non opponente, repellitur: unde nec proprio, nec alieno nomine, agere, accusare, testificari, judicare ei licet.

Tollitur Excommunicatio, Revocatione Excommunicantis, Retractatione per viam Appellationis, aut citra eam; itemque Absolutione; denique admissione ad osculum ejus, qui absolvere potest.

Revocatio Excommunicantis, est, cum Judex interlocutione errorem suum corrigit.

Retractatio per viam Appellationis est, cum Superior, apud quem injuste excommunicationem esse factam probatum est, excommunicatum vel absolvit, vel absolvendum, ad excommunicantem dimittit.

Retractatio citra Appellationem est, quando Superior absolvit excommunicatum, cum videt, sententiam esse aperte & manifeste injustam; & hoc faciet, si periculum sit in mora absolutionis.

Absolutione tollitur excommunicatio. Est enim Absolutio nihil aliud, quam censuræ Ecclesiasticæ, per eos, qui absolvendi jus habent, facta relaxatio.

Jus absolvendi habent, qui ligandi; nisi aliter jure sit exceptum. Nempe *Summus Pontifex* reservavit sibi absolutionem, in casu injectionis manus violentæ in Clericos, persecutionis Cardinalium, effractionis Ecclesiarum, & similibus. *Episcoporum* quoque absolutioni nonnulli casus sunt reservati; uti levis injectio manuum in Clericos, & delicta alia.

Ab

Ab ipsi Pontifici Reservatis quilibet Sacerdos, in articulo mortis, moriturum, aut mortale periculum, puta militiam, aut iter dubium, aditurum, absolvere potest, adeo, ut evaso periculo, in excommunicationem non reincidat.

Fit *Absolutio*, vel verbo tantum, si excommunicatio verbo facta; vel solemniter, si solemnis præcessit excommunicatio.

Fieri debet Absolutio gratis, libere; non vi, vel metu extorqueri; alias nulla est, &, qui sic extorsit, ipso jure est excommunicatus. Absolutio etiam per obreptionem impetrata non prodest.

Absolutione rite impetrata, is, qui Minore excommunicatione fuerat excommunicatus, Sacramentorum participationi, qui Majore, communioni, aliisque rebus, quibus privatus fuerat, restituitur. Secus tamen res se habet in Absolutione, quæ ad Cautelam facta.

Absolutio ad Cautelam fieri dicitur, cum quis excommunicationis sententiam asserit esse nullam, vel Judicem esse incompetentem, vel excommunicatum, vel intrusum, aut a jurisdictione suspensum. Hæc est extraordinaria, & ægre conceditur; ea vero concessa, pendente probationis articulo, absolutus extra judicium, in officiis, postulationibus, electionibus, aliisque canonicis & legitimis actibus, admittitur.

Titulus 26.

De Interdicto, & Suspensione.

INterdictum, est censura Ecclesiastica, per quam certis personis, aut locis interdicitur, ne pro illis, aut in

in illis divina officia celebrentur. Sive, est censura Ecclesiastica, qua certis personis, aut loco, a jure, vel judice Ecclesiastico, divinis officiis & sepultura, Sacramentorumque perceptione, donec imperatis satisfecerint, interdicitur.

Interdictum est aliud Canonis sive juris, aliud Judicis.

Interdicto juris tenetur, communitas vel civitas, quæ usuras permittit, repressalias contra personas Ecclesiasticas indulget, Cardinalem vel Episcopum suum cepit: Ecclesia, sanguinis vel humani seminis effusione polluta, vel Simoniace consecrata.

Judicis Interdictum est, quod per sententiam judicis competentis inducitur. Estque hoc Interdictum vel *Generale*, cum Regnum, aut provincia, aut oppidum, aut eorum populus interdicitur: vel *Speciale*, cum ex pluribus Ecclesiis una vel paucæ interdicuntur; aut aliqua multitudo, sub certo vocabulo comprehensa, in populo tamen inclusa, uti Collegium, Capitulum, aut homo nominatim interdicitur.

Interdictum debet præcedere *Monitio in scriptis.*

In Interdicto personali stricta fit interpretatio. Unde, si populus interdictus, non est propterea Clerus interdictus, & contra: quin, interdicto Clero & Populo, non tamen Episcopus interdictus. At, Civitatis interdictum extenditur etiam ad ædificia, & suburbia continentia. Universitate vero interdicta, singuli, qui ex ea universitate sunt, interdicti censentur.

In Interdicto prohibentur omnia divina officia sacra, Ecclesiastica sepultura, item solemnitas conducendi

ducendi corporis comitatu Cleri, in superpelliceis & processionaliter procedentis, etsi, si quis sepeliatur in Ecclesia tempore interdicti, non est exhumandus, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. *Permittuntur interim* Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia, sed duo postrema tantum morientibus. Item, permittitur Missæ, aliorumque divinorum officiorum, celebratio; dummodo id fiat submissa voce, januis clausis, non pulsatis campanis, præterquam in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumtionis B. Virginis. Similiter & potest *Concio* haberi interdicti tempore; & ad eum finem pulsari campana, sicut & pro Ave Maria. *Matrimonium*, tempore interdicti contractum, non est irritum; sponsis tamen solemnem benedictionem dare non licet.

Scienter celebrans in loco interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit ei concessum, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem, liberari.

Suspensio, est censura Ecclesiastica, qua personæ Ecclesiasticæ exercitium ejus officii, vel in totum, vel pro parte, ad certum tempus, vel in perpetuum interdicitur.

Suspensio, est vel Canonis, seu juris, cum quis ob notorium crimen, ipso jure, a sui Ordinis vel officii executione arcetur: *vel Judicis*, cum id fit per sententiam Judicis. Hanc præcedere debet monitio in scripto, causa expressa.

Suspensioni affinis est *Irregularitas*: Ea dicitur impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur Ordinem Ecclesiasticum suscipere, aut in suscepto mini-

ministrare. Ea non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis; uti, irregularitatem incurrit, qui, suspensione durante, officia divina exequitur.

Titulus 27.

De Depositione & Degradatione Clericorum.

D*Epositio*, est de dignitate, Ordine, vel gradu deturbatio. Fit per sententiam, a solo Episcopo, ob causam in jure expressam.

Depositus Clericus si celebrat, excommunicationem incurrit.

Degradatio, est depositio solemnis, quando post sententiam, insignia Ordinum, publica ceremonia detrahuntur.

Nempe, Episcopus proprius, si Abbas degradandus, præsentibus Abbatibus vicinis; si Presbyter, præsentibus sex Episcopis; si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, præsente Capitulo, coram Judice Seculari, cui degradandus est tradendus, publice Rei caput tondet; loca capitis & manuum, in quibus tempore Ordinationis unctio facta, vitro vel ferro radit, habitum seu vestimentum Clericale, ordine retrogrado, quo ei datum, exuit. Atque sic degradatus efficitur velut Laicus, &, omni privilegio exutus, Curiæ seculari puniendus relinquitur.

Habet degradatio in tribus tantum locum: Puta in Hæretico, in falsatore literarum Summi Pontificis, & in eo, qui Episcopo suo est insidiatus, vel cum fuit calumniatus.

Manet

Manet nihilo ſecius in degradato, etiam actualiter, *character Ordinis* & poteſtas, quamvis ei interdictum ſit exercitium.

Titulus 28.

De Purgatione Canonica & Vulgari.

SI Reus, de crimine ſuſpectus, convinci idonee nequeat, non ideo abſolvendus eſt, ſed purgatione innocentiam ſuam probare debet. Eſt ergo *Purgatio*, innocentiæ, ſuper objecto crimine, certis a jure inventis mediis, facta oſtenſio.

Purgatio eſt vel Canonica, vel Vulgaris.

Canonica Purgatio eſt, quæ a Canonibus inventa & prodita; uti, cum aliquis juramento ſuo de veritate, & compurgantium juramento de credulitate, innocentiam ſuam oſtendit.

Indicere eam is Judex tantum poteſt, qui de negotio, cujus diffamatio invaluit, cognoſcit: idque plerunque facit ad inſtantiam ejus, qui purgandus eſt, interdum etiam ultro.

Purgatio Canonica non debet injungi cuilibet Reo, ſed tantum fide digno, & quem veriſimile eſt non facile pejeraturum, quique neque legitima probatione, neque ſua confeſſione convictus eſt, neque crimen notorium admiſit, de eo tamen apud bonos viros, ex veriſimilibus ſuſpicionibus, eſt diffamatus.

Compurgantes, qui jurant, ſe omnino perſuaſos eſſe, Reum criminis inſontem eſſe, ac proinde verum jusjurandum dediſſe, eligit Judex, vicinos

Rei,

Rei, viros honestos, & vitam ac mores ejus exploratos habentes, interdum duodecim, interdum septem, interdum plures paucioresve, pro arbitrio, prout nimirum delicti ipsius, tum vero personæ Rei, & Compurgatorum qualitas, id exigere videntur.

Locus Purgationis debet esse idoneus, hoc est, ut si a populo Reus infametur, coram eodem, si inter Clericos, coram his purgatio & compurgatio instituatur.

Purgatus criminis vacuus censetur; deficiens vero in purgatione, legitimis pœnis, tanquam confessus aut convictus, subjicitur.

Purgatio Vulgaris est, quam olim vulgus usurpabat, fiebatque per judicium aquæ frigidæ, tactum ferri candentis, aquam ferventem, & duellum.

Hæc Purgatio, Canonibus sacris improbatur, quia facit potius ad Deum irritandum, & tentandum, quam ad exhibendum innocentiæ testimonium, & adeo sæpe evenit, ut, Diabolo sese huic negotio ingerente, obtineret illud:

Dat veniam Corvis, vexat censura Columbas.

DEO GLORIA.



ANA

ANALECTA
DE
DOCTRINA
ET
RITIBVS
ROMANÆ ECCLESIÆ.

PRÆFATIO.

QUintus nunc agitur annus, ex quo ad me venit Vir quidam prudens, & tum in aliis doctrinæ generibus, tum in Theologia maxime, haud proletariæ eruditionis. Exponebat is pluribus, quomodo non impetu quodam, sed consilio & ratione, cupido ipsum ceperit, pernoscendi eas Religonis Christianæ controversias, quæ Europæ Ecclesias excruciant solicitantque; & circa Reformatorum quidem, ac eorum etiam, qui, vix Christiano nomine digni, Socini dogmata sequuntur, fidei capita, nihil quicquam difficultatis sibi objectum esse, quo minus illa perspecta ac explorata reddere posset. At vero, cum Romanæ Ecclesiæ placitis discendis se tradidisset, contraria sibi evenisse: eorum enim bonam partem, ad ceremonias ritusque externos attinere, quorum quia penitus rudis fuerit, utpote in dissita ab iis locis, ubi instituta hæc exercentur, terrarum regione agens, ideo factum esse, ut passim & ubique animi pendere, &, quasi in illuni nocte, palpando, quomodo res se habeant, vel hariolando potius, pertendere cogeretur. Ergo decrevisse secum, iter ingredi, & aliquo gentium se conferre, ubi in rem præsentem venire, & ceremonias ipsas oculis usurpare liceret. Primam se Germaniam objecisse, atque in hac, simul ac eo, ubi Romanus cultus viget, delatus esset, nihil intermisisse sese in-

duſtriæ, ut deſiderio ſatisfaceret, ob eamque cauſam ſubſtitiſſe in magna aliqua Imperiali Civitate, quam Proteſtantium & Romana Religiones ex æquo tenent, per complures hebdomadas, ita tamen, ut ne hilum quidem profecerit. Interfuiſſe ſe ſane Miſſæ Sacris multoties, ſpectaſſe Baptismum Infantum, Nuptialem benedictionem, Juſta funebria mortuorum, edentes peccatorum confeſſionem, Sanctæ Hebdomadis ritus omnes, dieique, quæ Chriſti Corpori dicata eſt, panegyrin; interveniſſe ſe commodum ceremoniis, quibus adulti confirmantur, conſecrationi novi Sacelli, quin & puellæ, quam genii mali inhabitare credebantur, adjurationibus: ſed ab iſtis omnibus ſemper incertiorem rediiſſe, quam dudum fuerit. Muſſare enim in loquendo Sacrorum Antiſtites, & verba inſuper præcipitare, ut nihil quicquam exaudiant etiam proxime lateribus eorundem adſtantes, nedum illi, qui, tanquam profani, procul conſiſtere neceſſe habent. In his anguſtiis conſtitutum, conſilium & auxilium petiiſſe ſe ab aliis, atque idem ſecum in Religione ſentientes plurimum deprehendiſſe Romanæ Eccleſiæ inſtitutorum incurioſos, ex huic ipſi vero addictis, cum rogarentur, ut ſubvenirent, multos reſpondiſſe, *ſanctius ac reverentius eſſe, de actis Romanæ Eccleſiæ credere, quam ſcire;* aliquos ad Durandi Rationale Divinorum Officiorum ſe ablegaſſe, librum non contemnendum quidem, ſed qui Lectorem rituum & ceremoniarum gnariſſimum requirat. Quaproter me per omnia ſacra precabatur, ne ſe deſererem, ſed modum commonſtrarem, quo

Roma-

Romanos ritus cognoſcere poſſit; nec enim aliter operæ pretium ſe laturum Italicæ, quam meditetur, peregrinationis. Cum loquendi finem feciſſet, paria, inquiebam ego, o Hoſpes, tecum animatus ſum: Et Romanæ Eccleſiæ Rituum intelligentia non jucunda tantum & utilis eſt, ſed adeo neceſſaria quoque, qua nulli, qui ultra vulgus eruditorum ſapere volunt, carere debent. Diſcimus alia; ergo diſcamus hos quoque, quorum ignoratio ſæpe multos in pericula conjecit, & vitæ ultimum diſcrimen: juvenes præſertim, qui, Romanæ Eccleſiæ templa ingreſſi, ita ſe gerere ſolent, quaſi in alium orbem delati ſint, nec a riſu, & cachinnis ſibi temperant. Et vero, fieri aliter non poteſt, quam ut in admirationem rapiantur nunquam prius Romana Sacra ſpectatum admiſſi. Eſt in hanc rem apud Sleidanum, libro 21. Commentariorum, locus inſignis, quem age evolvamus. Perveſtigato eo, ſic legebamus. *Tunc in tribus illis templis, quæ Senatus* (Argentinenſis Epiſcopo urbis) *per transactionem conceſſerat, Sacrificantiones ſuas atq; preces veſpertinas, & poſtridie Miſſam rurſus inchoant, totos jam XXI. annos intermiſſam. Ingens autem erat hominum concurſus, maxime juventutis. Nam his omnibus novum erat ſpectaculum, & inauditum, multos ibi, raſo vertice, novo genere veſtitus, cantare ſimul, quæ nemo intelligat, cereos atq; lampades ardere, in ipſo, quod dicitur, meridie; fumigationes atq; ſuffitus excitari thuribulis, Sacrificum adſtare cum Miniſtris ad aram, pronunciare omnia ſermone peregrino, varis uti geniculationibus atq; geſtibus, inclinari ſtri-*

ctis manibus, modo distendere, modo reducere brachia, subinde sese convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere non uno loco, nunc in dextram, nunc in lævam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare in calicem, eumq; tollere in sublime, postea reponere, certis locis nominare nunc vivos, nunc mortuos, panem azymum frangere, & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis repræsentare somnum, rursus expergisci, manducare partem unam panis, alteram haurire cum vino toto, ne qua guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam, aversum, extenso brachio, demonstrare populo, admovere eandem fronti atq; pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materiæ vel metallo inclusam: hæc, inquam, & id genus alia, juventus, non sine admiratione & stupore, neq; sane sine risu, spectabat, & vix cohiberi potuit. Enim vero, inquiebam porro, ubi aliquo numero est Romanæ Ecclesiæ cœtus, non tantum facile cohibentur immodesti Spectatores, sed & male mulctati recedunt, in Italia præcipue; de qua regione non male præterea judicas, operam & pecuniam propemodum perdere, qui illam, citra Rituum Ecclesiasticorum peritiam, lustrare sustinent. Amplius, quia, ceu vere dixit Plinius Junior, *plerumq; parvæ res maximas trahunt*, ita sæpenumero evenit, ut Viri etiam eximii, ex neglectu addiscendi Ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ habitudinem, in gravissimis disputationibus turpiter se dederint, suam prodentes elenchi, statusque quæstionis nescientiam. Vnum sufficiat exemplum

plum allegasse, in quod his proximis diebus incidi. Legerat nonnemo, Vir cætera minime ineptus, & in rerum divinarum disciplina subacti judicii, in cujusdam Romano Catholici Hodœporico, interfuisse illum peregrinatorem, die quodam, *Missæ Spiritus Sancti*, in Lauretana Æde. Id autem iste sic accepit, quasi dicatur, ipsissimum Sancti Spiritus Numen humanam personam induisse, atque, in ara Lauretanæ Ædis, solemni sacrificationis officio defunctum esse: debacchatus ideo publice adversus mendacii enormitatem, ipse odio dignus, ob fœdum & puerilem errorem. Cæterum, quotquot Canonici Juris peritiam aliquam parare sibi postulant, nihil agent, nisi Romanæ Ecclesiæ Ceremonias probe calleant, cum ad eas identidem fere fiat provocatio: nec credo opus esse, ut etiam id, quod res ipsa loquitur, argumentis insuper adstruam. Exitus sermonis erat, ut pollicerer Hospiti, ac libentem me cum eo communicaturum (quod & actutum reapse præstiti) ea, quæ in proprios usus, de Romanæ Ecclesiæ Ritibus ac Institutis, varie excerpta, olim congesseram, partem ipse composui: ad quod promissum Homo meus pæne exsiluit gaudio, illud Phormionis apud Comicum ingeminans: *pulchre discedo, & probe, & præter spem.* Eadem hæc Analecta Filio, cum Juris Canonici scitis initiandus esset, legenda & memori mente tenenda commisi: neque me pœnituit consilii, aut ipsum obsequii.

SALUTATIO ANGELICA.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

SALVE REGINA.

SAlve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes, & flentes, in hac lachrymarum valle. Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende: o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

ORATIO AD ANGELUM CUSTODEM.

ANgele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, & guberna.

HORÆ CANONICÆ.

HÆc sunt, *septenis* propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat *Tertia* mortis.
Sexta cruci nectit, latus ejus *Nona* bipertit:
Vespera deponit, tumulo *Completa* reponit.

LITANIA.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater

Pater de cœlis Deus:
Fili Redemtor mundi Deus:
Spiritus Sancte Deus:
Sancta Trinitas unus Deus: } Miserere nobis.

Sancta Maria:
Sancta Dei genitrix:
Sancta Virgo Virginum:
S. Michaël:
S. Gabriel:
S. Raphaël: } Ora pro nobis.

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli:
Orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum Spirituum ordines:
Orate pro nobis.

S. Johannes Baptista: Ora pro nobis.

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ:
Orate pro nobis.

S. Petre:
S. Paule:
S. Andrea:
S. Jacobe:
S. Johannes:
S. Thoma:
S. Jacobe:
S. Philippe:
S. Bartholomæe:
S. Matthæe:
S. Simon:
S. Thaddæe:
S. Matthia:
S. Barnaba:
S. Luca:
S. Marce: } Ora pro nobis.

Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ :
Orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini : Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes : Orate pro nobis.
S. Stephane :
S. Laurenti : } Ora pro nobis.
S. Vincenti :
Sancti Fabiane, & Sebastiane :
Sancti Johannes & Paule :
Sancti Cosma & Damiane : } Orate pro nobis.
Sancti Gervasi & Protasi :
Omnes Sancti Martyres :
S. Sylvester :
S. Gregori :
S. Ambrosi :
S. Augustine : } Ora pro nobis.
S. Hieronyme :
S. Martine :
S. Nicolaë :
Omnes Sancti Pontifices & Confessores :
Orate pro nobis :
Omnes Sancti Doctores : Orate pro nobis.
S. Benedicte :
S. Antoni :
S. Bernharde : } Ora pro nobis.
S. Dominice :
S. Francisce :
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ :
Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ :
Orate pro nobis.
S. Maria Magdalena : Ora pro nobis.
S. Agatha : Ora pro nobis.

S. Lu-

S. Lucia:
S. Agnes;
S. Cæcilia:
S. Catharina:
S. Anastasia:
} Ora pro nobis.

Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ:
Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei:
Intercedite pro nobis.
Propitius esto: Parce nobis Domine.
Propitius esto: Exaudi nos Domine.

Ab omni malo:
Ab omni peccato:
Ab ira tua:
A subitanea & improvisa morte:
Ab insidiis Diaboli:
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate:
A spiritu fornicationis:
A fulgure & tempestate:
A morte perpetua:
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ:
Per Adventum tuum:
Per Nativitatem tuam:
Per Baptismum & sanctum jejunium tuum:
Per Crucem & Passionem tuam:
Per Mortem & Sepulturam tuam:
Per sanctam Resurrectionem tuam:
Per admirabilem Ascensionem tuam:
} Libera nos Domine.

Per

Per adventum Spiritus S. Paracliti:
Libera nos Domine.
In die judicii: Libera nos Domine.

Peccatores:
Vt nobis parcas:
Vt nobis indulgeas:
Vt Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines, in ſancta religione conſervare digneris:
Vt inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris:
Vt Regibus, & Principibus Chriſtianis, pacem, & veram concordiam donare digneris:
Vt cuncto Populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris:
Vt nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare digneris:
Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas:
Vt omnibus benefactoribus noſtris, ſempiterna bona retribuas:
Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione eripias:
Vt fructus terræ dare & conſervare digneris:
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris:
Vt nos exaudire digneris:
Fili Dei:

} Te rogamus, audi nos.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
Miſerere nobis.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

MYSTERIA ROSARII.

ROſarii B. Mariæ Virginis Myſteria ſunt XV. quibus Domini noſtri vita continetur. Ex his *Quinq; habentur Læta:* Annunciatio Angeli; Viſitatio Eliſabethæ; Nativitas Chriſti; Præſentatio in templo; Diſputatio Jeſu cum Doctoribus.

Quinq; habentur Acerba: Oratio in horto; Flagellatio ad columnam; Coronatio ſpinarum; Delatio Crucis; Crucifixio, & Mors Salvatoris.

Quinq; habentur glorioſa: Reſurrectio a mortuis; Aſcenſio in cœlum; Adventus Spiritus S. Aſſumtio B. Mariæ Virginis; Coronatio & exaltatio ejusdem, ſupra Choros Angelorum.

NOVISSIMA ſunt quatuor: Mors, Judicium, Infernus, Paradiſus.

DONA SPIRITVS S. ſunt VII. Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor Dei.

VIRTVTES THEOLOGICÆ ſunt III. Fides, Spes, & Charitas.

VIR-

VIRTUTES CARDINALES sunt IV. Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

CONSILIA PERFECTIONIS sunt III. Paupertas voluntaria; Castitas perpetua; & Obedientia in omni re, quæ non est peccatum.

OPERA MISERICORDIÆ CORPORALIA sunt VII. Cibare esurientes; Potum præbere sitientibus; Vestire nudos; Recipere peregrinos; Visitare ægrotos; Visitare captivos; Sepelire mortuos.

OPERA MISERICORDIÆ SPIRITUALIA sunt VII. Consilium præbere hæsitantibus; Erudire ignaros; Monere peccatores; Solari afflictos; Condonare offensas; Perferre patienter personas molestas; Deum orare pro vivis & mortuis.

VITIA CAPITALIA sunt VII. quibus opponuntur totidem Virtutes:

Superbia,	ei opponitur	*Humilitas.*
Avaritia,	ei opponitur	*Liberalitas.*
Luxuria,	ei opponitur	*Castitas.*
Ira,	ei opponitur	*Patientia.*
Gula,	ei opponitur	*Abstinentia.*
Invidia,	ei opponitur	*Amor fraternus.*
Acedia,	ei opponitur	*Diligentia.*

PRÆCEPTA ECCLESIÆ sunt VI.

1. Audire Missam omnibus diebus Dominicis, aliisque Festis de præcepto.

2. Jejunare in Quadragesima, in Vigiliis præceptis, & in Quatuor temporibus: & abstinere a carne Feria sexta, & Sabbato.

3. Saltem semel in anno confiteri peccata.

4. Saltem circa Festum Paschatos frui Sacra Eucharistia.

5. Sol-

5. Solvere Decimas.

6. Non celebrare Nuptias temporibus prohibi-
s, hoc eſt, a prima Dominica Adventus, usque ad
piphaniam: & a prima die Quadrageſimæ, usque
d Octavam Paſchatos.

PECCATVM duplex eſt: Originale, & Actua-
. Actuale dividitur in Mortale, & Veniale.

PECCATVM ORIGINALE eſt, in quo omnes
aſcimur, & quod hereditate primi parentis Adami
nos derivatur. Hoc tollitur Baptismo; & pro-
ide, qui ſine Baptismo decedit, privatur in perpe-
ium gloria Paradiſi.

PECCATVM MORTALE eſt, quod commit-
tur adverſus charitatem Dei, & proximi. Dicitur
Mortale, quia privat animam vita ſpirituali, quæ eſt
ratia Dei. Peccatum Mortale dimittitur Baptismo in
lultis, itemq; Sacramento Pœnitentiæ. Qui in pec-
ito mortali moritur, exors eſt æternæ beatitudinis.

PECCATVM VENIALE eſt, quod non eſt con-
a charitatem, nec privat animam gratia, nec reum
iem facit pœnarum infernalium. Diſplicet nihilo
cius Deo, quia non eſt conforme illius voluntati,
minuit fervorem charitatis. Itaque purgandum
t, aut in hac vita, aut in Purgatorio vitæ futuræ.

A DEO VINDICTAM EXIGENTIA PEC-
ATA, ſunt IV. Homicidium voluntarium; Pec-
tum carnale contra naturam; Oppreſſio paupe-
m; Defraudare operarios mercede.

PECCATA IN SPIRITVM S. ſunt VI: De-
eratio de ſalute; Præſumtio, poſſe ſe ſalvari ſine
eritis; Impugnare veritatem cognitam; Invidere
eri, ob gratiam, quam a Deo accepit; Obſtinatio in
ccatis; Impœnitentia finalis.

MIS-

MISSÆ SACRIFICIUM.

SAcerdos celebraturus, quoad præviam Confessionem, & Horas Canonicas, matutino saltem absoluto, orationi aliquantulum vacet, & orationes ordinatas, pro temporis opportunitate, dicat. Deinde accedit ad locum, in Sacristiâ, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaq; ad celebrationem necessaria habentur. Accipit Missale, perquirit Missam, & signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens orationem inferius positam. Deinde præparat Calicem, ponens super ejus os Purificatorium, & super illud Patenam cum Hostia, quam tegit parva Palla & Velo serico: super Velo ponit Bursam coloris paramentorum, intus habens Corporale plicatum.

His ita dispositis, accedit ad Paramenta. Oportet autem calceatus sit pedibus, & indutus vestibus convenientibus, ita ut exterior talum pedis attingat. Sic ornat se sacris indumentis, dicens ad singula singulas orationes.

Ac primum accipiens Amictum, circa extremitates & cordulas, osculatur in medio, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo circum circa vestium collaria tegens, ducit cordulam sub brachiis, & circumducens per dorsum ad ventrem, reducit & ligat.

Tum Alba induitur, caput submittens, manicam dextram brachio dextro, & sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante & a lateribus hinc inde, & Cingulo, per ministrum à tergo sibi porrecto, se cingit. Minister elevat Albam supra Cingulum circum circa; ut honeste dependeat, & tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut

ut id latitudinem digiti, vel circa, supra terram æqualiter fluat.

Postea accipit Manipulum, *osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro.*

Deinde, ambabus manibus accipiens Stolam, *simili modo deosculatur, & imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem, ad dextram, & partem a dextro humero pendentem, ad sinistram. Sicque utramque partem Stolæ, extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.*

Si celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus in modum crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere: & accipit Cruculam, *a collo ante pectus cordulis pendentem.*

Postremo Sacerdos accipit Planetam.

Orationes, cum Sacerdos induitur sacris Paramentis.

Cum lavat manus.

DA, Domine, virtutem manibus meis, ad abstergendam omnem maculam: ut, sine pollutione mentis & corporis, valeam tibi servire.

Ad Amictum.

IMpone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam.

DEalba me, Domine, & munda cor meum: ut, in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum.

PRæcinge me, Domine, Cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis; ut maneat in me virtus continentiæ, & castitatis.

Ad Crucem.

MUnire digneris me, Domine Jesu Christe, ab omnibus insidiis inimicorum omnium signo sanctissimæ crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc Crucem, Sanctorum tuorum reliquiis refertam, ante pectus meum teneo: sic semper mente retineam, & memoriam passionis, & sanctorum victorias Martyrum.

Ad Manipulum.

MErear, Domine, portare manipulum fletus & doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam.

REdde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Planetam sive Casulam.

DOmine, qui dixisti, jugum meum suave est, & onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

SAcerdos, omnibus Paramentis indutus, accipit in manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, & Bursam manu dextra super calicem tenens, capite cooperto accedit ad altare, Ministro cum Missali, & aliis ad

ad celebrandum necessariis, præcedente. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit, eum transire ante Altare maius, capite cooperto facit ad illud reverentiam: si ante locum Sacramenti, genu flectat: si ante altare, ubi celebratur Missa, in qua elevatur Sacramentum, similiter genu flectat, & detecto capite illud adoret.

Cum pervenerit ad Altare, stans ante illud in infimo gradu, caput detegit, biretum ministro porrigens: & altari, sive imagini crucifixi desuper positæ, profunde inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genu flectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium altaris, ibi ad Cornu Evangelii sistit Calicem: extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud calicem velo coopertum collocat. Si in Altari Paramenta accepit, hoc idem facit, antequam descendat ab Altari, Missam inchoaturus.

Si est consecraturus plures Hostias, pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patena manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice, vel vase mundo consecrato eas ponit retro post Calicem, & alia Patena cooperit.

Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, & signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia, descendit ad gradum infimum Altaris, pro Missa inchoanda.

In Missa solemni, Calix, Missale, & alia necessaria, præparantur, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum ministris: & cum pervenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius in-

ter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

De principio Missæ, & Confessione facienda.

SAcerdos, cumprimum descenderit ad infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare; ubi stans ante illud, junctis manibus ante pectus, detecto capite, facta prius Cruci vel Altari reverentia, erectus incipit Missam.

Si autem celebraturus sit coram summo Pontifice, sistit se in infimo gradu altaris a cornu Evangelii, ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat: accepta benedictione erigit se, &, stans aliquantum versus ad altare, incipit Missam.

Si autem sit coram Cardinale, Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo, in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans in infimo gradu, a cornu Evangelii, ut supra, expectat: dato signo, facit profundam reverentiam Prælato, &, versus ad Altare, incipit Missam.

Stans igitur Celebrans, ante infimum gradum Altaris, producens manu dextra a fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili voce:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcunque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus; in aliis benedictionibus, cum est ad altare, & seipsum non benedicit, sed Oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super altari. Seipsum benedicens, vertit

ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis junctis & extensis, a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, signum crucis format.

Postquam dixerit, In nomine Patris &c. *ut supra: jungit manus ante pectus, pronuncians clara voce Antiphonam:*

Introibo ad altare Dei.

Minister, retro post eum ad sinistram genuflexus, &, in Missa solemni, ministri hinc inde stantes, prosequuntur:

Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Deinde Sacerdos, eodem modo stans, incipit & prosequitur, cum ministro vel ministris, alternatim Psalmum XLII.

Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me. M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? S. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam. S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea? & quare conturbas me? M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. S. Gloria Patri, & Filio, & Spir. S. sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Quo finito, repetit Antiphonam Introibo, *cum ministris, ut supra. Qui psalmus nunquam prætermittitur, nisi in Missis defunctorum, & in Missis de tempore, a Dominica passionis inclusive, usq; ad Sabbatum sanctum exclusive.*

Cum in fine Psalmi dicit, Gloria Patri *&c. caput cruci inclinat. Repetita Antiphona* Introibo, *dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit:*

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde caput seq. profunde altari inclinans, dicit:

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis, Fratres: quia peccavi nimis, cogitatione, verbo, & opere, *(percutit sibi pectus ter, dicens:)* mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos, Fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Prosequitur hanc confessionem inclinatus, donec a ministro, vel ministris, dictum sit:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

Sacerdos dicit;

Amen.

Deinde ministri repetunt Confessionem, Sacerdote se erigente, & ubi a Sacerdote dicebatur, Vobis Fratres, *&* Vos Fratres, *a ministris dicitur*, Tibi Pater, *&* Te Pater.

Facta a circumstantibus confessione, Celebrans respondet stans:

Misereatur vestri omnipotens Deus, &, dimissis peccatis vestris, perducat vos in vitam æternam. ℟. Amen.

De-

einde, producens manu dextra a fronte ad pectus gnum Crucis, dicit:

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem mnium peccatorum noſtrorum, tribuat nobis omniotens & miſericors Dominus. ℟. Amen.

einde ſtans, capite inclinatus, proſequitur:

Deus, tu converſus vivificabis nos.
℟. Et plebs tua lætabitur in te.
S. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
S. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
S. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

einde, aſcendens ad Altare, dicit:

Oremus:

ſecreto effert:

Aufer a nobis, quæſumus, Domine, cunctas iniquites noſtras: ut ad ſancta ſanctorum puris mereaur mentibus introire. Per Chriſtum Dominum oſtrum. Amen.

Dicto, Aufer a nobis *&c. Celebrans, junctis manius, accedit ad medium Altaris: ubi ſtans, capite inlinato, & junctis manibus ſuper altare poſitis, ita digiti parvi duntaxat frontem ſeu medium anterios partis tabulæ ſive menſæ altaris tangant, reſiduo anuum inter altare & ſe retento, pollice dextro per ſiniſtrum, in modum crucis, poſito (quod ſemper ſervatur, cum manus junctæ ſuper altare ponuntur) creto dicit:*

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuom.

Quo dicto, osculatur Altare in medio, manibus extensis hinc inde super altare positis: (quod in omni deosculatione Altaris servatur) sed, post consecrationem, pollices ab indicibus non disjunguntur. Deinde pergit:

Quorum Reliquiæ hic sunt, & omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Deinde accedit ad cornu sinistrum Altaris, i. e. Epistolæ, ubi stans versus Altare, & producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, & prosequitur junctis manibus. Cum repetit Introitum, non signat se ut prius: & eo repetito, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris: ubi stans versus illud, similiter manibus junctis, dicit simili voce:

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
Christe eleison. Christe eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

alternatim cum ministris. Si ministri, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse novies solus dicit. Dicto ultimo Kyrie eleison, *Sacerdos ibidem, ut prius, stans, & manus extendens elevansq; & jungens, voce prædicta incipit, si dicendum sit:*

Gloria in excelsis Deo.

Cum dicit Deo, *caput cruci inclinat, & erecte stans, junctis manibus, ut prius, prosequitur usq; ad finem:*

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœlestis, Deus pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis pec-

peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dextram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in Gloria Dei Patris, Amen.

In Missa solemni, Sacerdos, facta Confessione, ascendit cum ministris ad altare, quo, per eum osculato, ponit incensum in thuribulo, ministrante Diacono naviculam, & thuriferario thuribulum. Antequam ponat incensum, illud benedicit, dicens:

Ab illo bene ✠ dicaris, in cujus honore cremaberis. Amen.

Postea Diaconus, reddita navicula thuriferario, accipit ab eo thuribulum, & dat Celebranti, osculata prius ejus manu, qui, facta Cruci reverentia, eam ter incensat, dicens:

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Deinde Reliquias, si quæ adsint, incensat, primum eas, quæ a dextris sunt, deinde quæ a sinistris, cuiq; bis ducens thuribulum. Postea Imagines, vel earum loco Candelabra, semel singulis thuribulum ducens: item partem inferiorem & superiorem sive tabulam Altaris incensat: &, reddito thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur. Deinde cum illis, Diacono a dextris Celebrantis, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus, prosequitur Introitum, & Kyrie eleison. *Cum vero intonat hymnum* Gloria in excelsis, *Dia-*

conus & Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo celebrantis: postea ascendunt ad Altare, & hinc inde cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur usq; ad finem.

Dicto hymno Gloria in excelsis, *vel, si non sit dicendus, eo omisso, celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super illo, ut supra, extensis. Tum, junctis ante pectus manibus, demissis ad terram oculis, vertit se ad manum sinistram, sive ad latus dextrum, versus populum, & extendens, ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce pædicta:*

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

& junctis, ut prius, manibus, revertitur per eandem viam, ad librum: ubi, extendens & jungens ante pectus manus, caputq; cruci inclinans, dicit:

Oremus.

Tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat: quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit orationem.

Dictis Orationibus, Celebrans, positis super librum, vel super altare, manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel, (ut placuerit) librum tenens, legit

Epistolam,

intelligibili voce.

Si solemniter celebret, legat demissa voce, cum Ministris, similiter

Graduale, & Evangelium.

Lecta Epistola, respondetur a Ministris:

Deo Gratias. *& si-*

& similiter stans, ut prius, prosequitur

Graduale, Alleluja, & Tractum, ac Sequentiam, *i dicenda sint. Quibus dictis, Celebrans si privatim celebret, ipsemet, sive minister, portat librum Missa-em ad alteram partem altaris, in cornu Evangelii, &, dum transit ante medium Altaris, caput cruci inclinat: & Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam. Locato Missali in Altari, celebrans redit ad medium altaris, & ibi stans, profunde inclinatus, junctis manibus ante pectus, levatisq; ad Deum oculis, secrete dicit:*

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nunciare.

&:

Dominus sit in corde meo, ac labiis meis, ut digne ac competenter annunciem Evangelium suum, in nomine Patris, & Filii ✠ & Spiritus Sancti.

Quibus dictis, vadit ad librum Missalem, ubi stans versus illum, junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde pollice dextræ manus, signo crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est dicturus: postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens:

Sequentia, *vel*

Initium sancti Evangelii &c.

℟. Gloria tibi Domine.

Tum junctis iterum, ut prius, manibus, stans, ut supra, prosequitur Evangelium, dicens:

Per

Per Evangelica dicta, deleantur nostra delicta. *Osculatur deinde Evangelium. Sed, si celebret coram Summo Pontifice, aut Cardinale, vel coram Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo, in eorum residentiis, defertur cuilibet prædictorum osculandus liber; & ipse Celebrans tunc non osculatur.*

Dicto Evangelio, stans in medio Altaris, versus Crucem, elevans & jungens manus, caputq; Cruci inclinans, incipit:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum, Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex patre natum, ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratus, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Cum dicit in unum Deum, *caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem, junctis ante pectus manibus,*

ut prius, prosequitur usq; ad finem. Cum dicit Jesum Christum, *caput cruci inclinat. Cum dicit*, & incarnatus est, *usq; ad*, & homo factus est, *inclusive, genu flectit. Cum dicit*, & vitam venturi seculi. Amen. *producit sibi manu dextra signum Crucis, a fronte ad pectus.*

Dicto symbolo, Celebrans osculatur altare in medio, & junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram, vertit se ad populum, & extendens ac jungens manus, dicit:

Dominus vobiscum.

& junctis manibus revertitur per eandem viam ad medium altaris, ubi, extendens & jungens manus, caputq; cruci inclinans, dicit:

Oremus.

Tum, junctis, ut prius, manibus, dicit Offertorium.

Dicto Offertorio, discooperit calicem, & ad cornu Epistolæ sistit, &, amota parva Palla desuper hostiam, accipit Patenam cum hostia, & ambabus manibus usq; ad pectus eam elevatam tenens, oculis elevatis ad Deum, dicit:

Suscipe, Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego, indignus famulus tuus, offero tibi, Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis: ut mihi, & illis, proficiat ad salutem, in vitam æternam. Amen.

Si fuerint aliæ hostiæ, non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio vase, pro communione Populi, consecrandæ, calicem illum, sive vas, dextra discooperit,

rit, & intentionem suam ad illas etiam offerendas & consecrandas dirigens, dicit, ut supra, Suscipe &c. *Quo dicto, faciens signum Crucis cum dicta Patena, ponit hostiam super Corporale, circa medium anterioris partis Corporalis ante se, & Patenam ad manum dextram aliquantulum subtus Corporale. Si autem adsit vas, sive calix, cum aliis hostiis, ipsum cooperit Patena ipsa.*

Deinde accipit Calicem, purificatorio extergit: & accipiens ampullam vini de manu ministri, ponit vinum in calicem: deinde producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit:

Deus, qui humanæ substantiæ

& imponens parum aquæ in calicem, prosequitur:

dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti: da nobis, per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spir. S. Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Imposita aqua in Calice, & finita oratione prædicta, accipit Calicem discoopertum, & stans ante medium altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis, offert, dicens:

Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut, in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra & totius mundi salute, cum odore suavitatis, ascendat. Amen.

Qua oratione dicta, signum Crucis cum Calice super Corporale facit, & ipsum in medio post hostiam collocat,

& Pal-

& Palla cooperit. Deinde, junctis manibus super al-are positis, capite inclinato, dicit secreto:

In spiritu humilitatis, & in animo contrito, susci-iamur a te, Domine, & sic fiat sacrificium no-trum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domi-e Deus.

Postea elevans oculos, manusq; expandens, & sta-im jungens ante pectus, (quod semper facit, quando liquid est benedicturus) dicit:

Veni, sanctificator, omnipotens, æterne Deus, & ene ✠ dic hoc sacrificium, tuo sancto nomini præ-aratum.

Tunc, junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu pistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat ma-us, sive extremitates digitorum pollicis & indicis, icens Psal. XXV. a vers. 6. usque ad finem:

Lavabo, inter innocentes, manus meas: & circum-abo altare tuum, Domine: ut audiam vocem laudis, t enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi ecorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ ıæ. Ne perdas cum impiis animam meam: & um viris sanguinum vitam meam. In quorum ma-ibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est mu-eribus. Ego autem in innocentia mea ingressus ım: redime me, & miserere mei. Pes meus ste-t in directo: in ecclesiis benedicam te Domine. lloria Patri, & Filio, & Spir. S. Sicut erat in prin-ipio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. men.

In Missa solemni, dicto Oremus: *Diaconus & Sub-iaconus accedunt ad altare a cornu Epistolæ. Dia-onus amovet calicem, detegit, dat Patenam cum ho-stia*

ſtia Celebranti : Subdiaconus extergit calicem purificatorio. Diaconus imponit vinum : Subdiaconus interim, ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit, Benedic, Pater reverende : *qui, facto verſus eam ſigno Crucis, dicit orationem;* Deus, qui humanæ &c. *interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem. Diaconus illum celebranti dat, & pedem calicis tangens, ſive brachium Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit :* Offerimus tibi Domine &c. *Poſtea poſitum in altari, ut ſupra, palla cooperit. Subdiacono deinde ponit in dextra manu Patenam, quam cooperit extremitate veli, ab ejus humero pendentis, qui vadit poſt Celebrantem ante medium altaris, & ibi ſtat in loco convenienti. Dicto,* Veni ſanctificator &c. *Celebrans ponit incenſum in thuribulum, miniſtrante Diacono naviculam, dicens :* Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli, ſtantis à dextris Altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen. *Deinde, accepto thuribulo per manum Diaconi, incenſat Oblata, ter ducens thuribulum ſuper calicem & hoſtiam ſimul, in modum Crucis : & ter circum calicem & hoſtiam; ſcilicet bis a dextra ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dextram, diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo : In prima incenſatione :* Incenſum iſtud : *in ſecunda :* a te benedictum : *in tertia :* aſcendat ad te Domine : *in quarta :* & deſcendat ſuper nos : *in quinta & ſexta :* miſericordia tua. *Deinde incenſat altare, ut ſupra, dicens :* Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo : elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium

circum-

circumſtantiæ labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Dum reddit thuribulum Diacono, dicit:* Accendat in nobis Dominus ignem ſui amoris, & flammam æternæ charitatis. Amen. *Deinde incenſatur ipſe, poſtea Diaconus incenſat chorum, & poſtremo Subdiaconum tenentem Patenam: & ipſe Diaconus incenſatur a thuriferario; & thuriferarius, poſtea incenſat populum.*

Celebrans, lotis manibus, eas tergit, &, illis ante pectus junctis, revertitur ad medium altaris; ubi ſtans, oculosq; ad Deum elevans, & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper altare, capiteq; inclinato, dicit ſecrete:

Suſcipe, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus, ob memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Jeſu Chriſti, Domini noſtri: & in honore Beatæ Mariæ ſemper virginis, & B. Johannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & iſtorum, & omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agitamus in terris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Quo dicto, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio. Tum junctis manibus ante pectus, demiſſisq; oculis ad terram, a ſiniſtra manu ad dextram, vertit ſe ad populum, & verſus eum extendens & jungens manus, dicit voce aliquantulum elevata:

Orate Fratres:

& ſecrete proferens:

Vt meum ac veſtrum ſacrificum acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Sic perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium altaris. Et responso a ministris, vel circumstantibus:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoq; nostram, totiusq; Ecclesiæ suæ sanctæ. Amen.

postea Celebrans, stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti & intelligenti voce:

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

S. Dominus vobiscum. ℟. & cum Spiritu tuo.

S. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum & justum est.

S. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Cœli cœlorumq; virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Cum dicit, Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas. Cum dicit,* gratias agamus Domino, *jungit manus: cum dicit,* Deo nostro, *Cruci caput inclinat. Cum dicit,* Sanctus, *junctis manibus ante pectus, & inclinatus, voce mediocri prosequitur, ministro interim*

parum

arum campanula pulsante. Cum dicit, Benedictus, ui venit in nomine Domini &c. *signum crucis sibi roducit a fronte ad pectus.*

Dehinc, Præfatione finita, Celebrans, manibus junctis per Altare positis, stans ante medium Altaris, versus d illud, elevatis oculis ad Deum, & sine mora deissis, profunde inclinatus, incipit CANONEM, *serete dicens:*

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, filium tuum, Dominum nostrum, upplices rogamus ac petimus, *osculatur ltare.* uti accepta habeas, & benedicas, *ingit manus, & signat ter super Oblata.* hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sarificia illibata. *extensis manibus prosequiur.* Imprimis, quæ tibi offerimus pro Eclesia tua sancta Catholica, quam paciicare, custodire, adunare, & regere dineris, toto orbe terrarum: una cum fanulo tuo, Papa nostro N. & Antistite nosro N. & Rege nostro N. & omnibus orhodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ dei Cultoribus. Memento, Domine, fanulorum famularumque tuarum N. & N. *ingit manus, orat aliquantulum, pro quibus ora- intendit: non tamen necesse est, eorum nomina xprimere, sed sufficit, mente illorum memoriam abere. Deinde, manibus extensis, prosequitur:* & mnium circumstantium, quorum tibi fies cognita est, & nota devotio: pro quibus

tibi offerimus; vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum; pro spe salutis & incolumitatis suæ: tibiq; reddunt vota sua, æterno Deo, vivo & vero. Communicantes, & memoriam venerantes, imprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi. Sed & Beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thadæi: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani. Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusq; concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio; *jungit manus.* per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. *Tenens manus expansas super Oblata dicit.* Hanc igitur oblationem servitutis no[illegible]æ, sed & cunctæ familiæ tuæ, qua[illegible] [illegible]omine, ut placatus accipias: die[illegible] [illegible] in tua pace dispo-nas [illegible] [illegible]atione nos eripi, & in [illegible] [illegible]beas grege nume[illegible]

[illegible]trum

-ptam, ra✠tam, rationabilem, acceptabi-
-mq; facere digneris. *Signat semel super Ho-
-iam, &. semel super Calicem.* Vt nobis Cor✠-
-pus, & San✠guis fiat dilectissimi Filii tui,
-omini nostri Jesu Christi. *Inclinans caput*
-ruci, si opus fuerit, extergit pollices & indices
-per Corporale. Qui pridie, quam patere-
-ur, *accipit Hostiam*, accepit panem in san-
-as ac venerabiles manus suas, *elevat ocu-*
-s ad cælum, &, statim demittens, dicit, & ele-
-atis oculis in cœlum, ad te Deum patrem
-um omnipotentem, tibi gratias agens,
-ene✠dixit, fregit, deditq; Discipulis suis,
-icens: Accipite, & manducate ex hoc o-
-nes: *Tenens ambabus manibus Hostiam inter*
-dices & pollices, cubitis super Altare positis,
-ofert verba consecrationis secrete, distincte,
-tente, & continuate, Hoc est enim Cor-
-us meum. *Prolatis verbis consecrationis,*
-tim Hostiam consecratam genuflexus adorat:
-rgit, &, intentis in eam oculis, ostendit populo
-lorandam, mox ips[illegible]nit super Corporale,
-erumq; adorat: [illegible]rgit pollices & in-
-ces, nisi quando [illegible] est, usq; ad ab-
-tionem digitoru[illegible] Celebrans ele-
-at Hostiam, acc[illegible]icio; Minister
-a[illegible]a ele[illegible]riores Planetæ,
[illegible]tione brachio-
rum:

rum: quod & facit in elevatione Calicis, ac simul dextra campanula sonitum edit. Tunc, detecto Calice, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper facit, cum aliquod fragmentum digitis adhæsit, dicit: Simili modo postquam cœnatum est, *ambabus manibus accipit Calicem juxta nodum, infra cuppam;* accipiens & hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, *Sinistra tenens Calicem, dextra signat super eum,* bene✠dixit, deditq; Discipulis suis; dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes. *Postea profert verba Consecrationis secrete & devote super Calicem, tenens illum parum elevatum, & sinistra quidem pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis:* Hic est enim calix Sanguinis mei; novi & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur; in remissionem peccatorum. *Prolatis verbis Consecrationis, deponit Calicem super Corporale, dicens secrete:* Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis, *genuflexus Calicem adorat: surgit, elevat duabus manibus, &, quantum commode potest, ostendit populo, deponit, cooperit, & iterum adorat. Deinde, disjunctis manibus, dicit:* Unde & memores, Domine,

ne, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi Flii tui, Domini nostri, tam beatæ Passionis, nec non ab inferis Resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam ✠ puram, hostiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immaculatam: Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ: & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedec, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. *Profunde inclinatus, junctis manibus, & super altare positis, dicit.* Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube hæc perferri, per manus Sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ: ut, quotquot, *osculatur altare*, ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui, *jungit manus, & signat semel super Hostiam, & semel super Calicem.* Cor✠pus, & San✠guinem sumpserimus, *seipsum signat*, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumq; tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, *jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde, expansis manibus prosequitur:* ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Manu dextra percutit sibi pectus, elata parum voce dicens:

Nobis quoq; peccatoribus vivis, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apostolis, & Martyribus: cum Johanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, *Signat ter super Hostiam & Calicem simul, dicens:* sancti✠ficas, vivi✠ficas,

cas, bene✠dicis, & præſtas nobis. *Diſcooperit Calicem, genu flectit, accipit Sacramentum dextra, tenens ſiniſtra Calicem, ſignat cum Hoſtia, ter a labio ad labium Calicis, dicens:* Per ip✠ſum, & cum ip✠ſo, & in ip✠ſo, *bis ſignat inter Calicem & pectus,* eſt tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti, *elevans parum Calicem cum Hoſtia, dicit:* omnis honor & gloria. *Reponit Hoſtiam, cooperit Calicem, genu flectit, ſurgit & dicit:* Per omnia ſecula ſeculorum ℟. Amen.

Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere: *extendit manus:*

Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Sacerdos ſecrete reſpondet. Amen.

Deinde accipit Patenam inter indicem & medium digitos, & dicit:

Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, &, intercedente Beata & glorioſa

ſem-

ſemper Virgine Dei genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, *ſignat ſe cum Patena a fronte ad pectus:* da propitius pacem in diebus noſtris; ut, ope miſericordiæ tuæ adjuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

Submittit Patenam Hoſtiæ, diſcooperit Calicem, genu flectit, ſurgit, accipit Hoſtiam, frangit eam ſuper Calicem per medium, dicens:

Per eundem Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, Filium tuum.

Partem, quæ in dextra eſt, ponit ſuper Patenam; deinde ex parte, quæ in ſiniſtra remanſit, frangit particulam, dicens:

Qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus S. Deus,

Aliam mediam partem ponit ſuper Patenam, & dextera tenens particulam parvam ſuper Calice, ſiniſtra Calicem, dicit:

per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Cum ipſa particula ſignat ter ſuper Calicem, dicens:

Pax ✠ Domini, ſit ✠ ſemper vobis ✠ cum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Particulam ipſam imponit in Calicem, dicens ſecrete:

Hæc

Hæc commiſtio, & conſecratio Corporis
& Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, fiat
accipientibus nobis in vitam æternam.
Amen.

Cooperit Calicem, genu flectit, ſurgit, &, inclinatus Sacramento, junctis manibus, & ter pectus percutiens, dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

Si adſit, qui pacem recipiat, oſculatur Altare, &, dans pacem, dicit:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde perſequitur:

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spir. S. per mortem tuam mundum vivificaſti, libera me, per hoc ſacro ſanctum Corpus & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis: & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & a te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spir. S. vivis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo,

ſtia Celebranti : Subdiaconus extergit calicem purificatorio. Diaconus imponit vinum : Subdiaconus interim, ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit, Benedic, Pater reverende : *qui, facto verſus eam ſigno Crucis, dicit orationemq;* Deus, qui humanæ &c. *interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem. Diaconus illum celebranti dat, & pedem calicis tangens, ſive brachium Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit :* Offerimus tibi Domine &c. *Poſtea poſitum in altari, ut ſupra, palla cooperit. Subdiacono deinde ponit in dextra manu Patenam, quam cooperit extremitate veli, ab ejus humero pendentis, qui vadit poſt Celebrantem ante medium altaris, & ibi ſtat in loco convenienti. Dicto,* Veni ſanctificator &c. *Celebrans ponit incenſum in thuribulum, miniſtrante Diacono naviculam, dicens :* Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli, ſtantis à dextris Altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen. *Deinde, accepto thuribulo per manum Diaconi, incenſat Oblata, ter ducens thuribulum ſuper calicem & hoſtiam ſimul, in modum Crucis : & ter circum calicem & hoſtiam ; ſcilicet bis a dextra ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dextram, diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo : In prima incenſatione :* Incenſum iſtud : *in ſecunda :* a te benedictum : *in tertia :* aſcendat ad te Domine : *in quarta :* & deſcendat ſuper nos : *in quinta & ſexta :* miſericordia tua. *Deinde incenſat altare, ut ſupra, dicens :* Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo : elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium

circum-

circumſtantiæ labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Dum reddit thuribulum Diacono, dicit:* Accendat in nobis Dominus ignem ſui amoris, & flammam æternæ charitatis. Amen. *Deinde incenſatur ipſe, poſtea Diaconus incenſat chorum, & postremo Subdiaconum tenentem Patenam: & ipſe Diaconus incenſatur a thuriferario; & thuriferarius, poſtea incenſat populum.*

Celebrans, lotis manibus, eas tergit, & illis ante pectus junctis, revertitur ad medium altaris; ubi ſtans, oculosq; ad Deum elevans, & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper altare, capiteq; inclinato, dicit ſecrete:

Suſcipe, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus, ob memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Jeſu Chriſti, Domini noſtri: & in honore Beatæ Mariæ ſemper virginis, & B. Johannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſtorum, & omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agitamus in terris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Quo dicto, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio. Tum junctis manibus ante pectus, demiſſisq; oculis ad terram, a ſiniſtra manu ad dextram, vertit ſe ad populum, & verſus eum extendens & jungens manus, dicit voce aliquantulum elevata:

Orate Fratres:

& ſecrete proferens:

Vt meum ac veſtrum ſacrificum acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Sic perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium altaris. Et responso a ministris, vel circumstantibus:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoq; nostram, totiusq; Ecclesiæ suæ sanctæ. Amen.

postea Celebrans, stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti & intelligenti voce:

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

S. Dominus vobiscum. ℟. & cum Spiritu tuo.

S. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum & justum est.

S. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Cœli cœlorumq; virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominns Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Cum dicit, Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas. Cum dicit,* gratias agamus Domino, *jungit manus: cum dicit,* Deo nostro, *Cruci caput inclinat. Cum dicit,* Sanctus, *junctis manibus ante pectus, & inclinatus, voce mediocri prosequitur, ministro interim*

parum

arum campanula pulsante. *Cum dicit*, Benedictus, qui venit in nomine Domini &c. *signum crucis sibi roducit a fronte ad pectus.*

Dehinc, Præfatione finita, Celebrans, manibus junctis super Altare positis, stans ante medium Altaris, versus ad illud, elevatis oculis ad Deum, & sine mora demissis, profunde inclinatus, incipit CANONEM, *secrete dicens:*

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, *osculatur Altare.* uti accepta habeas, & benedicas, *jungit manus, & signat ter super Oblata.* hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia illibata. *extensis manibus prosequitur.* Imprimis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum: una cum famulo tuo, Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei Cultoribus. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. & N. *jungit manus, orat aliquantulum, pro quibus orare intendit: non tamen necesse est, eorum nomina exprimere, sed sufficit, mente illorum memoriam habere. Deinde, manibus extensis, prosequitur:* & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio: pro quibus

tibi offerimus; vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe, ſuisque omnibus: pro redemptione animarum ſuarum; pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ: tibiq; reddunt vota ſua, æterno Deo, vivo & vero. Communicantes, & memoriam venerantes, imprimis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed & Beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum, Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thadæi: Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Johannis & Pauli, Coſmæ & Damiani. Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusq; concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio; *jungit manus.* per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Tenens manus expanſas ſuper Oblata dicit.* Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus, Domine, ut placatus accipias: diesq; noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæſumus bene✠dictam, adſcri-

✠ptam,

✠ptam, ra✠tam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris. *Signat semel super Hostiam, &. semel super Calicem.* Vt nobis Cor✠pus, & San✠guis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. *Inclinans caput Cruci, si opus fuerit, extergit pollices & indices super Corporale.* Qui pridie, quam pateretur, *accipit Hostiam,* accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas; *elevat oculos ad cælum, &, statim demittens, dicit,* & elevatis oculis in cœlum, ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, bene✠dixit, fregit, deditq; Discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes: *Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices & pollices, cubitis super Altare positis, profert verba consecrationis secrete, distincte, attente, & continuate,* Hoc est enim Corpus meum. *Prolatis verbis consecrationis, statim Hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit, &, intentis in eam oculis, ostendit populo adorandam, mox ipsam reponit super Corporale, iterumq; adorat: & non disjungit pollices & indices, nisi quando hostia tractanda est, usq; ad ablutionem digitorum. Interim, dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio; Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne Celebrantem impediat in elevatione brachio-*

rum: quod & facit in elevatione Calicis, ac simul dextra campanula sonitum edit. Tunc, detecto Calice, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper facit, cum aliquod fragmentum digitis adhaelit, dicit: Simili modo postquam cœnatum est, *ambabus manibus accipit Calicem juxta nodum, infra cuppam;* accipiens & hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, *Sinistra tenens Calicem, dextra signat super eum,* bene✠dixit, deditq; Discipulis suis; dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes. *Postea profert verba Consecrationis secrete & devote super Calicem, tenens illum parum elevatum, & sinistra quidem pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis:* Hic est enim calix Sanguinis mei: novi & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur; in remissionem peccatorum. *Prolatis verbis Consecrationis, deponit Calicem super Corporale, dicens secrete:* Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis, *genuflexus Calicem adorat: surgit, elevat duabus manibus, &, quantum commode potest, ostendit populo, deponit, cooperit, & iterum adorat. Deinde, disjunctis manibus, dicit:* Unde & memores, Domine,

ne, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, ejusdem Chriſti Flii tui, Domini noſtri, tam beatæ Paſſionis, nec non ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cœlos glorioſæ Aſcenſionis, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ, de tuis donis ac datis, hoſtiam ✠ puram, hoſtiam ✠ ſanctam, hoſtiam ✠ immaculatam: Panem ✠ ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere: ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ: & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedec, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. *Profunde inclinatus, junctis manibus, & ſuper altare poſitis, dicit.* Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube hæc perferri, per manus Sancti Angeli tui, in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ: ut, quotquot, *oſculatur altare*, ex hac altaris participatione, ſacroſanctum Filii tui, *jungit manus, & ſignat ſemel ſuper Hoſtiam, & ſemel ſuper Calicem.* Cor✠pus, & San✠guinem ſumpſerimus, *ſeipſum ſignat*, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Per eundem Chriſtum, Dominum noſtrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumq; tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, *jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde, expansis manibus prosequitur:* ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Manu dextra percutit sibi pectus, elata parum voce dicens:

Nobis quoq; peccatoribus vivis, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apostolis, & Martyribus: cum Johanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, *Signat ter super Hostiam & Calicem simul, dicens:* sancti✠ficas, vivi✠fi-

cas,

cas, bene✠dicis, & præstas nobis. *Discooperit Calicem, genu flectit, accipit Sacramentum dextra, tenens sinistra Calicem, signat cum Hostia, ter a labio ad labium Calicis, dicens:* Per ip✠sum, & cum ip✠so, & in ip✠so, *bis signat inter Calicem & pectus,* est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti, *elevans parum Calicem cum Hostia, dicit:* omnis honor & gloria. *Reponit Hostiam, cooperit Calicem, genu flectit, surgit & dicit:* Per omnia secula seculorum ℟. Amen.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere: *extendit manus:*

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Sacerdos secrete respondet. Amen.

Deinde accipit Patenam inter indicem & medium digitos, & dicit:

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, &, intercedente Beata & gloriosa

sem-

ſemper Virgine Dei genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, *ſignat ſe cum Patena a fronte ad pectus:* da propitius pacem in diebus noſtris; ut, ope miſericordiæ tuæ adjuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

Submittit Patenam Hoſtiæ, diſcooperit Calicem, genu flectit, ſurgit, accipit Hoſtiam, frangit eam ſuper Calicem per medium, dicens:

Per eundem Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, Filium tuum.

Partem, quæ in dextra eſt, ponit ſuper Patenam; deinde ex parte, quæ in ſiniſtra remanſit, frangit particulam, dicens:

Qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus S. Deus,

Aliam mediam partem ponit ſuper Patenam, &, dextera tenens particulam parvam ſuper Calice, ſiniſtra Calicem, dicit:

per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Cum ipſa particula ſignat ter ſuper Calicem, dicens:

Pax ✠ Domini, ſit ✠ ſemper vobis ✠ cum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Particulam ipſam imponit in Calicem, dicens ſecrete:

Hæc

Hæc commiſtio, & conſecratio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Cooperit Calicem, genu flectit, ſurgit, &, inclinatus Sacramento, junctis manibus, & ter pectus percutiens, dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

Si adſit, qui pacem recipiat, oſculatur Altare, &, dans pacem, dicit:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde perſequitur:

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spir. S. per mortem tuam mundum vivificaſti, libera me, per hoc ſacro ſanctum Corpus & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis: & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & a te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spir. S. vivis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo,

ſumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem: ſed, pro tua pietate, proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spir. S. Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Genu flectit, ſurgit, & dicit:

Panem cœleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Parum inclinatus, accipit ambas partes hoſtiæ, inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, & Patenam inter ejusdem indicem & medium, &, dextra percutiens pectus, dicit ter devote & humiliter:

Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Poſtea, dextra ſe ſignans cum hoſtia ſuper Patena, dicit:

Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit ambas partes hoſtiæ, jungit manus, & quieſcit aliquantulo. Deinde, diſcooperto Calice, genu flectit, extergit Patenam ſuper illum, & dicit:

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam

piam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis ſalvus ero.

Accipit Calicem, & , eo ſe ſignans, dicit:

Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit totum Sanguinem, cum particula: quo ſumpto, ſi qui ſunt communicandi, eos communicat, antequam ſe purificet; poſtea dicit:

Quod ore ſumpſimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali, fiat nobis remedium ſempiternum.

Inde porrigit Calicem miniſtro, qui infundit ei parum vini, quo ſe purificat; deinde proſequitur:

Corpus tuum, Domine, quod ſumpſi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat viſceribus meis: & præſta, ut in me non remaneat ulla ſcelerum macula, quem tam pura & ſancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Abluit digitos, extergit, & ſumit ablutionem; extergit os & Calicem, quem operit, & , plicato Corporali, collocat in Altare; deinde proſequitur Miſſam.

Dominus vobiscum. ℟. & cum ſpiritu tuo.

Deinde dicit, pro Miſſæ qualitate.

Ite

Ite Missa est. *vel,* Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

In Missa Defunctorum dicit:

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Dicto, Ite Missa est, *vel,* Benedicamus, *inclinat se ante medium Altaris, & dicit, manibus junctis super illud:*

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum.

His dictis, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur. Tum erigens se, & adhuc stans versus illud, extendit, elevat, & jungit manus, caputq; Cruci inclinans, dicit voce intelligibili: Benedicat vos omnipotens Deus, ☩, *junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum, extensa manu dextra, junctisq; digitis, populo benedicit, dicens:* Pa✠ter, & Fi✠lius, & Spiritus ✠ S. ☩ *circuitum perficiens, revertitur ad Cornu Evangelii, ubi, dicto,* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo: *pollice dextro signans primo signo Crucis Altare, seu librum, deinde frontem, os, & pectus, dicit:* Initium sancti Evangelii, secundum Johannem.
℟. Glo-

℞. Gloria tibi, Domine: *atq, sic, junctis ma-nibus, legit Evangelium.* In principio, *vel aliud, uti convenit. Cum dicitur:* & Verbum caro factum est, *genu flectit, & progreditur usq, ad finem.*

Quibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ. Interim Sacerdos, cooperto capite, accipit sinistra Calicem, dextram ponens super bursam, nè cadat, descendit super infimum gradum Altaris, & ibi in medio, vertens se ad illud, caput inclinat, &, facta reverentia, præcedente ministro, eo modo, quo venerat, redit ad Sacristiam.

Nota: Parochus, in gravi necessitate, potest sine Ministro celebrare, & sibi ipsi respondere: neutiquam autem utendum ministerio fœminæ. Ministro vero, nescienti respondere, præibit Sacerdos.

Sæpius in die celebrare potest, qui plures Parochias administrat, quibus una Missa non satisfacit. In hoc casu, purificatio Calicis, post sumtum Sanguinem, non est sumenda, nisi in ultima Missa, ne, post primam, sequentes celebret non jejunus; sed in vase & loco honesto est servanda, ut in alia Missa eam sumere possit, post Sanguinem sumtum.

Vinum purificati Calicis, non est consecrandum in alia Missa, quia digiti eo Vino abluti sunt.

Sed nec distribuendum est populo pro ablutione, quia in Calice fere semper aliquid consecrati humoris adhæret.

Si ante Oblationem superveniat Episcopus, vel Princeps, vel multitudo iter facientium, die, quo ad Missam obligantur, potest interrumpi Missa, & repeti ab initio, ut audiant. Imo, si purificationem Calicis Sacerdos non sumsisset, posset dici altera, superveniente Episco-

po,

po, Principe, Cardinale Legato, Nuncio, Patriarcha, Duce: non Comite, Marchione, aut similibus.

Si Parochus evocetur ab Altari ad Baptismum, aut Sacramentum Pœnitentiæ, aut Viaticum conferendum ei, qui periclitatur, potest relinquere Sacrificium, etiam peracta consecratione, &, quo necessitas vocat, properare. Monendus tamen est populus de causa, & aliquis ad Altare statuendus est, qui observet, ne quod periculum Eucharistiæ interim creetur.

Deficientibus Hostiis minoribus, fas est Sacerdoti, partem hostiæ, a se consecratæ, Laico præbere; sive hic causa infirmitatis, ne sine viatico decedat, sive causa devotionis, Synaxin sumat.

De Paramentis.

Paramenta Altaris, Celebrantis, & *Ministrorum, sint coloris convenientis Officio, & Missæ diei; secundum usum Romanæ Ecclesiæ: quæ quinq; coloribus uti consuevit: Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro.*

Albo colore *utitur, a Vespere Vigiliæ Nativitatis Domini, usq; ad Octavam Epiphaniæ, inclusive: item, in Missis de Spiritu S. de B. Maria Virgine, de Confessoribus, de Virginibus, & in Paschate.*

Rubeo colore *utitur, a Vigilia Pentecostes in Missa, usq; ad Sabbatum sequens, inclusive: in diebus Apostolorum, (excepto Johanne,) & Martyrum.*

Viridi colore *utitur, ab Octava Epiphaniæ, usq; ad Septuagesimam.*

Violaceo colore *utitur, a Dominica prima Adventus, usq; ad Missam Vigiliæ nativitatis Domini, inclusive: & in Quadragesima.*

Nigro colore *utitur, in Feria Sexta, in Parasceve, & in Missis Defunctorum.*

Ordo

Ordo ad faciendam Aquam Benedictam.

Die Dominica, in Sacriſtia præparato Sale & Aqua, Sacerdos celebraturus Miſſam, vel alius ad hoc deputatus, Alba vel Superpelliceo indutus, cum Stola circa collum, primo dicit:

Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde abſolute incipit Exorciſmum Salis.

Exorcizo, te, creatura Salis, per Deum ✠ vivum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ ſanctum: per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ: ut efficiaris Sal exorciſatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus te ſumentibus, ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat a loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia, & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus, adjuratus, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Immenſam clementiam tuam, Omnipotens, æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam Salis, quam in uſum generis humani tribuiſti, bene✠dicere, & ſancti✠ficare tua pietate digneris: ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, &, quicquid ex eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Dominum noſtrum.

Exorciſmus Aquæ: & dicatur abſolute:

Exorcizo te, creatura Aquæ, in nomine ✠ Dei Patris Omnipotentis, & in nomine ✠ Jeſu Chriſti,

Filii ejus, Domini nostri, & in virtute sancti ✠ Spiritus, ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas, cum angelis suis apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Deus, qui, ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene✠dictionis infunde, ut creatura tua, mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum: ut, quicquid in domibus, vel in locis Fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: &, si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat: ut salubritas, per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum.

Hic mittat Sal in aquam, in modum crucis, dicendo semel:

Commistio Salis & Aquæ pariter fiat, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii & Spiri✠tus S. ℟. Amen.

Oremus. Deus invictæ virtutis autor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sævitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te, Domine, trementes ac supplu-

upplices deprecamur ac petimus: ut hanc creatu-
am Salis & Aquæ dignanter aspicias: benignus illu-
res: pietatis tuæ rore sanctifices: ut, ubicunq; fue-
t aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis
nfestatio immundi spiritus abigatur; terrorque ve-
enosi serpentis procul pellatur; & præsentia S. Spi-
itus, nobis, misericordiam tuam poscentibus, ubi-
ue adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum
Christum.

*Finita benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus
luviali, coloris officio competentis, accedit ad Alta-
e, & ibi, cum ministris ad gradus genuflexus, ac-
ipit a Diacono aspersorium, & aspergit primo ter
ltare, deinde se, & ministros, semel singulos, incipiens
Antiphonam:* Asperges me; *Chorus prosequitur.* Do-
mine, hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super
nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei, Deus, secun-
um magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria Pa-
ri, & Filio, & Spir. S. sicut erat in principio, & nunc,
t semper, & in secula seculorum. Amen.

*Notandum: Aquam benedictam renovare singu-
s diebus Dominicis, & aspergere populum debet is,
ui Missam Parochialem celebraturus est.*

*Parochus, in die Paschatis, & Pentecostes, non bene-
icit aquam, sed aspergitur Clerus, & populus, aqua
ridie benedicta.*

*Aqua non benedicta, addita benedictæ, in minori
uantitate, fit benedicta; quia virtus supernaturalis
ignioris, perficit minus dignum. Quod si iterum ad-
atur alia minor, fit sancta in infinitum. Sed, si san-
æ adderetur major, vel æqualis portio, neutra esset
ancta, quia non stat unitas sanctæ prioris. Idem dicen-
um de Oleo non consecrato, si consecrato addatur.*

Vas Aquæ benedictæ in Ecclesia existat, & quidem a dextro latere ingredientis.

Benedictio Agni Paschalis.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

S. Dominus vobiscum, ℟. Et cum Spiritum tuo.

Oremus. Deus, qui, per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem D. N. J. C. & utrosque postes domorum de sanguine hujus agni perungi præcepisti: ita bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui, ad laudem tuam, sumere desideramus: per resurrectionem D. N. J. C. qui tecum vivit, & regnat, in secula seculorum. ℟. Amen.

Et mox aspergit aqua benedicta.

Benedictio Panis.

S. Adjutorium nostrum &c.

Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus, & æternæ vitæ; bene ✠ dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes, ex eo digne gustantes, inde corporis & animæ desiderabilem percipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergit aqua benedicta.

Benedictio Novorum Fructuum.

S. Adjutorium nostrum &c.

Bene ✠ dic, Domine, hunc novum fructum N. & præsta, ut, qui ex eo, in tuo sancto nomine, vescetur, cor-

orporis & animæ ſalute potiatur. Per Dominum oſtrum &c.

ſpergatur aqua benedicta.

Benedictio ad quodcunque comeſtibile.

. Adjutorium noſtrum &c.

Bene ✠ dic, Domine, creaturam iſtam N. ut ſit emedium ſalutare generi humano: & præſta, per inocationem ſancti nominis tui, ut quicunque ex ea umpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam acipiant. Per Dominum &c.

ſpergat id aqua benedicta.

Benedictio Loci.

. Adjutorium noſtrum &c.

Bene ✠ dic, Domine, Deus omnipotens, locum ſtum, ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, umilitas, bonitas, & conſuetudo, plenitudo legis, gratiarum actio, Deo Patri, & Filio, & Spir. S. & æc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper abitantes in eo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

ſpergatur aqua benedicta.

Benedictio Domus Novæ.

Adjutorium noſtrum &c.

Te, Deum Patrem omnipotentem, ſupplices exramus, pro hac domo, & pro ejus habitatoribus, ac bus: ut eam bene✠dicere, & ſanctificare, ac bos omnibus ampliare digneris. Tribue igitur eis, omine, de rore cœli abundantiam, &, de pingue-

dine terræ, vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum, bene ✠ dicere, & ſanctificare dignare hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Jacob: & intra parietes domus iſtius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

S. Adjutorium noſtrum &c.

Bene ✠ dic, Domine, Thalamum hunc: ut omnes habitantes in eo, in tua pace conſiſtant, & in tua voluntate permaneant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Novæ Navis.

S. Adjutorium noſtrum &c.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & bene ✠ dic navim iſtam, dextera tua ſancta, & omnes, qui in ea vehentur, ſicut dignatus es benedicere arcam Noë, ambulantem in diluvio. Porrige eis, Domine, dexteram tuam, ſicut porrexiſti Beato Petro, ambulanti ſupra mare: & mitte ſanctum angelum tuum de cœlis, qui liberet & cuſtodiat eam ſemper a periculis univerſis, cum omnibus, qui in ea erunt: & famulos tuos, repulſis adverſitatibus, portu ſemper curſuque tranquillo tuearis: transactisque riteque perfectis negotiis omnibus, iterato tempore, ad

d propria, cum omni gaudio, revocare digneris. er Dominum &c.

ſpergatur aqua benedicta.

Benedictio Sacerdotalium Indumentorum, in genere.

. Adjutorium &c.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui per Moyſen amulum tuum, Pontificalia, & Sacerdotalia, atque Levitica veſtimenta, ad explendum miniſterium eorum, in conſpectu tuo, ad honorem & decorem Nominis tui, fieri decreviſti, adeſto propitius invocationibus noſtris: & hæc indumenta Sacerdotalia, deſuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione, per noſtræ humilitatis ſervitutem, puri✠ficare, bene✠dicere & conſe✠crare digneris: ut divinis cultibus & acris myſteriis apta & benedicta exiſtant: hisque acris veſtibus Pontifices, Sacerdotes, ſeu Levitæ ui, induti, ab omnibus impulſionibus, ſive tentatioibus malignorum ſpirituum, muniti & defenſi eſſe nereantur: tuisque myſteriis apte & condigne ſerire, & inhærere, atque in his tibi placere, & devoe perſeverare tribue. Per Chriſtum Dominum notrum.

ſpergantur Indumenta aqua benedicta.

Benedictio Vini S. Johannis, in ſolemnitatibus Nuptiarum.

Initium S. Evangelii ſecundum Joannem: In Principio erat verbum &c.

 Per

Per istos sermones sancti Evangelii, & per merita S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, quæsumus, omnipotens Deus, bene✠dicere, & sancti✠ficare digneris hanc creaturam Vini, dextera tua, & præsta, ut omnes in te credentes, & de isto potu bibentes, a te protegantur & benedicantur, sicut B. Joannes, de calice venenum bibens, non est læsus, ita & isti homines, in amore tui, & S. Johannis, de potu isto bibentes, ab omni ægritudine corporis & animæ absolvantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hanc creaturam Vini, & maneat semper. Amen.

Deinde aspergatur Aqua benedicta.

Benedictio Vini, in die S. Johannis Evangelistæ.

Sacerdos, Superpelliceo, seu Alba, & Stola indutus, stans in cornu Epistolæ, Vino, extra dictum cornu, juxta se in mensa posito, & vasis, quibus continetur, apertis, dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini:

℟. Qui fecit cœlum & terram.
S. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
S. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.
S. In principio erat Verbum &c.

In fine ℟. Deo gratias.

Dicitur Psalmus totus XXII.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit &c.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. Sicut erat &c.

Kyrie

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
S. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
S. Salvos fac fideles tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
S. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
S. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.
℟. Beatus vir, qui ſperat in eo.
S. Et, ſi mortiferum quid biberint.
℟. Non eis nocebit.
S. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
S. Dominus, vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chri-i, cujus imperio cœli firmati ſunt, cui omnis crea-ıra deſervit, & omnis poteſtas ſubjecta eſt, & me-ıit, & expaveſcit: nos, te in auxilium noſtrum in-ocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit, raco fugit, vipera ſilet, & ſubdola illa, quæ dici-ır, rana inquieta, torpeſcit, ſcorpio extinguitur, re-ılus vincitur, ſqualangus nihil noxium operatur, & mnia venenata, & adhuc fortiora animalia noxia, rrentur. Tu, Domine, extingue omnes diaboli-ıs fraudes, & omnes humano generi adverſantes quitias, & hunc liquorem vini, per interceſſionem . Joannis Evangeliſtæ, tua virtute bene✠dicito; omnes ex eo guſtantes, meritis & precibus San-iſſimæ Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum ıorum intervenientibus, ab omni malo cuſtodias,

& ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum &c.

Oremus: Deus, qui, mirabili potentia, vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis; qui, mirabili potentia, in Cana Galilææ, ad potandum, nuptiali populo, aquam convertisti in vinum, quique mirabilissima potentia, per manus Sacerdotum, elementum vini quotidie in sacratissimum tuum transformas Sanguinem: Deus, cujus potestate Joannes Evangelista venenosi potus digessit toxicum, bene✠dicere dignare hanc creaturam Vini, ut omnes ex eo gustantes, expulso toto genere nocivo, infuso tuæ bene✠dictionis mysterio, in anima & corpore mereantur misericorditer exhilarari. Per Dominum nostrum &c.

Oremus: Beati Joannis Evangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia æterna concede. Per Dominum nostrum &c.

Et Benedictio Dei Pa✠tris omnipotentis, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hunc liquorem Vini, & maneat semper. ℟. Amen.
Deinde aspergit Vinum aqua benedicta.

Benedictio Candelarum.

In die Purificationis B. Virginis, Sacerdos, indutus stola & pluviali violaceis, benedicit Candelas, super aliqua mensa, linteo cooperta, repositas, easque ter aqua benedicta aspergit, & ter adolet incenso. Dicit deinde, præter preces alias:

Benedic, Domine Jesu Christe, hanc creaturam ceræ, supplicantibus nobis, & infunde ei, per Crucis tuæ sanctæ virtutem, benedictionem cœlestem: Vt,

ui, eam, ad repellendas tenebras humano generi tri-
uisti, talem signaculo sanctæ Crucis tuæ fortitudi-
em & benedictionem accipiat, ut, in quibuscunque
ocis accensa, sive imposita fuerit, discedat & con-
remiscat ille malignus diabolus, & effugiat pavidus,
um omnibus ministris suis, de habitationibus illis,
ec præsumat amplius inquietare servientes Deo.
Proinde supplices quæsumus, Domine, ut emittas
Angelum tuum Raphaëlem, ut, qui evulsit & expul-
it a Sara & Tobia dæmonem mortiferum & infe-
stantem, conterat illum, & perdat de cunctis habi-
tationibus colentium Deum, de basilicis, de angu-
is, de lectulis, de refectoriis, de cunctis locis, in
quibuscunq; Deo famulantes habitant & requiescunt,
dormiunt, vigilant, ambulant, & consistunt, non va-
leat amplius inquietare, vel pavorem immittere super
llos, quos tui chrismatis unctio fecit esse inunctos.
Benedico, te creatura ceræ, in nomine Domini Dei
nostri, & Sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio
diaboli, & omnium contubernalium ejus. Per eum,
qui vivit & regnat Deus &c.

Postea Diaconus assistens, Sacerdoti pulchriorem andelam, prius deosculatam, offert, atque etiam ejus manum deosculatur. Sacerdos candelam alicui mi-istro tenendam tradit, & candelas, a Subdiacono uccessive acceptas, aliis distribuit. Post distributio-em manus lavat; & postea fit processio.

Benedictio Tempestatis.

Hæc Dominicis & Festis diebus, per æstatem, in Ecclesiis Parochialibus, ante, vel post sacrificium Missæ, peragitur.

S. A

S. A fulgure, & tempeſtate.
℟. Libera nos, Domine Jeſu Chriſte.
S. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
S. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
S. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: A Domo tua, quæſumus, Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus: Quæſumus, omnipotens Deus, ut, interceſſione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Viduarum, atque omnium Sanctorum tuorum, continuum nobis præſtes ſubſidium, tranquillam auroram permittas, atque contra fulgura, & tempeſtates, deſuper nobis indignis tuam ſalutem effundas de cœlis, & generi humano ſemper æmulas, dextera potentiæ tuæ, aëreas conteras poteſtates.

Deus, qui omnium rerum tibi ſervientium naturam, per ipſos motus aëris, ad cultum tuæ majeſtatis inſtituis, tranquillitatem nobis tuæ miſericordiæ, remotis aëris terroribus, permanere permittas, ut, cujus iram expavemus, clementiam ſentiamus. *Per* Chriſtum, Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Proceſſio ad petendam Pluviam.

Dictis Litaniis de omnibus Sanctis, usque ad illa verba : Vt fructus terræ &c. *bis dicitur :* Vt congruen-

gruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris: Te rogamus, audi nos.

In fine postea dicitur, Pater noster &c. *secreto.* Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Dicitur deinde Psalmus CXLVI. totus : Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: &c.

Hoc finito dicuntur preces:

S. Operi, Domine, cœlum nubibus.
℟. Et para terræ pluviam.
S. Vt producat in montibus fœnum.
℟. Et herbam servituti hominum.
S. Riga montes de superioribus tuis.
℟. Et de fructu operum tuorum satiabitur terra.
S. Domine, exaudi &c.

Oremus: Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut, præsentibus auxiliis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.

Oremus: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia, tua semper protectione muniamur.

Oremus: Da nobis, quæsumus, Domine, pluviam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœlestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum &c.

S. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. S. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. S. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. S. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

PRO-

Proceſſio ad poſtulandam Serenitatem.

Dictis Litaniis de omnibus Sanctis, usque ad illa verba: Vt fructus terræ &c. *bis dicitur:* Vt fidelibus tuis aëris ſerenitatem concedere digneris. Te rogamus, audi nos. *Ad finem obſecrationum dicitur*, Pater noſter &c. *prout præceſſit.*

Dicitur deinde Pſalmus LXVI. Deus miſereatur noſtri &c.

S. Adduxiſti, Domine, Spiritum tuum ſuper terram.

℟. Et prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo.

S. Cum obduxero nubibus cœlum.

℟. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei.

S. Illuſtra faciem tuam, Domine, ſuper ſervos tuos.

℟. Et benedic ſperantes in te.

S. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Oremus: Ad te nos, Domine, clamantes, exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus; ut, qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus.

Oremus: Quæſumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coërceas imbrium, & hi-

t hilaritatem vultus tui nobis impertire digneris. Per Dominum &c.

Preces ad repellendam Tempestatem.

Pulſantur Campanæ, & illis, qui adeſſe poſſunt, in Eccleſiam convocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur: A fulgure & tempeſtate &c. *& poſt Litanias, Orationemq; Dominicam, dicitur Pſalmus CXLVII.* Lauda Jeruſalem, Dominum &c. Gloria Patri &c.

S. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
S. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
S. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter.
℟. Et, propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos.
S. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
S. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
S. Salvum fac populum tuum, Domine.
℟. Et benedic hereditati tuæ.
S. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.
℟. Domine, Deus virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.
S. Domine exaudi &c.

Oremus: Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

A Do-

A Domo tua, quæſumus, Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus; ut, poſt noxios ignes nubium, & vim procellarum, in miſericordiam tranſeat laudis comminatio tempeſtatum.

Oremus: Domine Jeſu, qui imperaſti ventis & mari, & facta fuit tranquillitas magna; exaudi preces familiæ tuæ, & præſta, ut hoc ſigno ſanctæ Crucis ✠ omnis diſcedat ſævitia tempeſtatum.

Oremus: Omnipotens & miſericors Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas, præſta ſupplicibus tuis, ut & tranquillitatibus optatæ conſolationis lætemur, & dono tuæ pietatis ſemper utamur. Per Dominum &c.

Poſtea aſpergitur Aqua benedicta.

Ordo ſervandus in Feſto Corporis Chriſti.

Sacerdos, in Feſto Corporis Chriſti, Sacramentum geſtans, aut reponens, caute ac reverenter ſe gerat: nec vagetur oculis inter eundum, nec nimium properet, ſed pietatem & gravitatem quandam præ ſe ferat, præſertim cum, Sacramentum aſſumens, populo benedicit. Quæ ratio benedicendi, per totam hujus Feſti Octavam, in templo etiam continuatur.

Curet Parochus, ut in quatuor locis diverſis, ad quæ Proceſſio ventura eſt, collocentur Menſæ, inſtarque Altarium ornentur, apud quas Initia quatuor Evangeliorum, cum ſuis Antiphonis, verſiculis, & Collectis cantentur, populusq; cum venerabili Sacramento benedicatur.

V

Vbi igitur ad primam Mensam ventum fuerit, acerdos Sacramentum super illam decenter collocet, iq; flexis genibus reverentiam exhibeat. Veniat de- nde ad ipsum unus ex Diaconis, vel Sacerdotibus, ibrum Evangeliorum ambabus manibus ante pectus enens, qui, pro cantando Evangelio, benedictionem b eo flexis genibus petat, dicens: Jube, Domne, be- edicere. *Ad quem Sacerdos:* Dominus sit in cor- e tuo, & in labiis tuis, ut digne pronuncies Evan- elium ejus. Pax tecum. *Diaconus:* Et cum Spi- itu tuo.

Postea, paululum a mensa recedens Diaconus, at- ue versus Orientem, junctis ante pectus manibus, in- ipiat: Dominus vobiscum. *Chorus respondeat:* Et cum Spiritu tuo. *Iterum Diaconus:* Initia San- cti Evangelii secundum Matthæum. *Chorus:* Glo- ia tibi Domine. *Diaconus:* Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham &c. *& persequi- ur caput primum Matthæi, usque ad versum 17. ex- lusive.*

Vbi Diaconus Evangelium finierit, portet librum d Sacerdotem, eiq; textum cantatum deosculandum xhibeat. Ille autem, signo crucis facto super Evan- eliorum textum, eoq; exosculato, dicat: Per istos ermones Evangelii, & intercessionem Sancti Evan- elistæ Matthæi, indulgeat nobis Dominus noster esus Christus universa delicta nostra. Amen.

Tunc omnes flectant genua, cantetq; Chorus Anti- onam, aut Mottetam festo convenientem. Qua fi- ta, Sacerdos, stans versus Sacramentum, cantet:

Domine, non secundum peccata nostra facias obis.

Chorus: Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

S. Oremus: Deus, qui culpa offenderis, & pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſthæc Sacerdos, facta Corpori Chriſti reverentia, Monſtrantiam, vel Ciborium decenter in manus apprehendat, illudq; ante ſe tenens, cantet:

Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & usque in ſeculum.

S. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde, populo, undiq; circumſtanti, cum Sacramento benedicat, formans cum Monſtrantia, vel Ciborio, in quatuor partibus ſignum crucis: primo quidem ante ſe; deinde ad dextrum latus; tertio retro; ac poſtremo ad ſiniſtrum latus, hunc in modum inter benedicendum cantans:

Bene✠dictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, & fructus terræ, & maneat ſemper. *Chorus.* Amen.

Eadem ratione, ceremoniæ peraguntur ad reliquas menſas, niſi quod Evangelia & Collectæ mutantur.

Vbi ad templum reverſa fuerit Proceſſio, aſcendat Sacerdos cum venerabili Sacramento gradus altaris, ibiq;, ad populum converſus, ſequentem Hymni verſiculum incipiat: Tantum ergo Sacramentum. *Chorus reliquum proſequatur. Deinde, facto ſupra populum, cum Chriſti Corpore, Crucis ſigno, Ciborium reverenter ad Altare collocatur. Hoſtiam deniq; illam,*

n Festo Corporis Christi publice circumgestatam, atq; er Octavam subinde adoratam, Sacerdos proximo ie, quo post Octavam Missam celebraverit, in eaem sumat.

Ritus baptizandi infantes.

Fons Baptismalis debet esse decenter ornatus, & aute occlusus, servans intus aquam mundam.

In Baptismo Nomina tantum Sanctorum Infantibus nponenda sunt: atq; Sanctus, cujus quis nomen gerit, atronus existit, ad omnes animæ & corporis molecias superandas. Susceptores in Baptismo sunto Caholici, sanæ mentis, bonæ famæ, scientes doctrinam hristianam. Non sint muti, excommunicati, interícti, aut facinorosi. Pueri cujuscunq; ætatis possunt sse Susceptores legitimi; modo habeant usum raionis.

Materia Baptismi, est aqua simplex, seu elementais: qualis etiam censetur, quæ ex sulphure, nive, geu, aut sale defluit.

In dubio, an aliqua sit aqua naturalis, an non, potst, in casu necessitatis, sub conditione, si materia hæc st idonea, *Baptismus moribundo conferri, & iteum sub conditione repeti. In extrema necessitate, atius est, applicare cum nive, vel glacie, Sacramenum Baptismatis, quam illud omnino prætermittere.*

Sacerdos, Baptismum administrare volens, indutus uperpelliceo & stola, paratis Candela accensa, Oleo Catechumenorum, & S. Chrismate, baptizandum diens, interroget Patrinos: Quid petitis? *Quibus d, quod est respondentibus, quærat:* Cujus sexus sit roles? *Ac deinde:* Quo nomine vocari velint proem? *Patrinis vero significantibus nomen infanti imponen-*

ponendum: eo intellecto, illud in Matricula Baptizatorum, una cum Susceptorum & Parentum nominibus, scribat, & denunciet, solos inscriptos pro Susceptoribus ab Ecclesia recipi, etiamsi forte plures, ut rei gerendæ testes & comprecatores, adstent.

Antequam aggrediatur baptizandi ritum, Sacerdos alloquatur Patrinum, ut, loco infantis, ad omnia interrogata respondeat.

Quo annuente, incipiat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Postea, Sacerdos insufflet in faciem infantis, crucis forma, dicatq; Exi ab eo Sathana, & da honorem Deo vivo & vero.

Iterum insufflet, & dicat:

Exi immunde spiritus, & da honorem Jesu Christo, Filio ejus, Domino nostro.

Tertio insufflet, & dicat:

Fuge immunde spiritus, & da locum Spiritui S. Paracleto.

Deinde dicat: Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde, pollice dextro, faciendo cruces in partibus infra nominandis, baptizandum signet, dicatq;

Ad Frontem: Signo te in Fronte ✠, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut confidas in eum.

Ad Oculos: Benedico Oculos tuos ✠, ut videas claritatem ejus.

Ad Aures: Aures tuas ✠, ut audias verbum veritatis ejus.

Ad Nares: Nares ✠, ut percipias odorem suavitatis ejus.

Ad *ectus:* Pectus, ✠ ut credas in eum.

Ad Scapulas: Scapulas, ✠ ut suscipias jugum ser-
tutis ejus.

Ad Os: Os, ✠ ut confitearis eum, qui cum Pa-
e, & Spiritu S. vivit & regnat Deus, per omnia
cula seculorum. ℟. Amen.

*Deinde, signum Crucis fronti & pectori impri-
ens, dicat:*

N. accipe signum crucis Domini nostri Jesu Chri-
, tam in fronte ✠, quam in pectore ✠, ut templum
ei efficiaris, &, ab hoc tempore, apostata Diabo-
s, in vase suo, pristinæ suæ interemptionis cogno-
ens signaculum, jam sibi deinceps illud sciat esse
enum. Per eundem Dominum &c.

Deinde dicat: Dominus vobiscum. ℟. Et cum
ritu tuo. Omnipotens, sempiterne Deus, Pater
omini nostri Jesu Christi, respicere dignare super
nc famulum tuum N. *vel famulam tuam* N. quem,
l quam, ad rudimenta fidei vocare dignatus es:
nnem cæcitatem cordis ab eo, *vel ea*, expelle, dis-
mpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat alli-
tus, *vel alligata;* aperi ei, Domine, januam pie-
tis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, *vel im-
ta*, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad
dorem suavem præceptorum tuorum lætus, *vel læ-*
, tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die
diem, ut idoneus, *vel idonea*, efficiatur, accedere
gratiam Baptismi. Per eundem Dominum no-
um &c. ℟. Amen.

Oremus: Preces nostras quæsumus, Domine,
ementer exaudi, & hunc electum tuum, *vel ele-
am tuam* Crucis Dominicæ (cujus impressione eum,
l eam, signamus ✠) virtute custodi, ut, magnitu-

dinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Oremus: Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator: propitiare populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis adscribe, ut Filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Exorcismus Salis, si non habeatur benedictum:

Exorcizo te, creatura Salis, in nomine Patris ✠ omnipotentis, & in charitate Domini nostri ✠ Jesu Christi, & in unitate Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo, venienti ad credulitatem, per servos suos consecrari præcepit, ut, in nomine Sanctæ Trinitatis, efficiaris salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Proinde, rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam Salis sanctificando ✠ sanctifices, benedicendo ✠ benedicas, ut fiat omnibus sumentibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Imponendo Salis modicum ori infantis, dicat:

N. accipe sal sapientiæ, ut propitietur tibi Dominus in vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famu-

mulum tuum, *vel hanc famulam tuam*, respicere
gneris propitius, & hoc primum pabulum salis
stantem, non diutius esurire permittas, quo mi-
s cibo expleatur cœlesti, quatenus sit semper Do-
ini spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nu-
ini serviens, & perduc eum, *vel eam*, Domine, ad
ovæ regenerationis lavacrum, ut, cum fidelibus
is, promissionum tuarum æterna præmia consequi
ereatur. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Oratio super Masculos tantum:

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus,
ui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, &
lios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis
ngelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac no-
e: te quæsumus, Domine, ut mittere digneris san-
um Angelum tuum, qui similiter custodiat & hunc
mulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Ba-
tismi tui. Per Christum &c. ℟. Amen.

Oratio super Fœminas tantum:

Deus Cœli & terræ, Deus Angelorum, Deus
rchangelorum, Deus Prophetarum, Deus Marty-
um, Deus Virginum, Deus omnium bene viven-
um, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne
enu flectitur, cœlestium, terrestrium, & inferno-
um, te invoco, Domine, super hanc famulam tuam
N. ut perducere eam digneris ad gratiam Baptismi
ui. Per Christum &c. ℟. Amen.

Adjuratio, repetenda, quoties infra signabitur:

Ergo, maledicte Diabole, recognosce sententiam
uam, & da honorem Deo vivo & vero, da hono-
em Jesu Christo, Filio ejus, Domino nostro, &

Spritui S. Paracleto, & recede ab hoc famulo, *vel hac famula* Dei, quia istum, *vel istam*, sibi Deus & Dominus noster Jesus Christus, ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis, dono suæ pietatis, vocare dignatus est. *Et faciat Crucem in fronte infantis pollice dextro, dicendo:* Et hoc signum sanctæ ✠ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte Diabole, nunquam audeas violare, per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio super Masculos tantum:

Oremus: Deus, immortale præsidium omnium præstolantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum: te invoco super hunc famulum tuum N. qui, Baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat. *Sacerdos hic, supposita manu sua capiti infantis, offerat eum Deo, dicens:* Accipe eum, Domine, qui dignatus es dicere: petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Petenti itaque præmium porrige, & januam pande pulsanti, ut, æternam cœlestis lavacri benedictionem ✠ consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c. ℟. Amen.

Repetitur, Ergo, maledicte Diabole &c.

Oratio super Fœminas:

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Tribus Israël, de Ægyptiaca servitute liberatas, per Moysen famulum tuum, de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor, Domine,

ne, ut liberes hanc famulam tuam N. & perducere
am digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Chri-
stum Dominum &c. ℟. Amen.

Repetatur: Ergo, maledicte Diabole &c.

Alia Adjuratio super Masculum tantùm:

Audi, maledicte Sathana, adjuratus es per nomen
æterni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Filii
ejus, cum tua victus invidia, tremens gemensque
discede: nihil tibi sit commune cum servo Dei N.
jam cœlestia cogitante, & renunciaturo tibi, ac secu-
lo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur
honorem advenienti Spiritui S. Paracleto, qui, ex
summa arce cœli descendens, perturbatis fraudibus
tuis, divino fonte, purgatum pectus, sanctificatum
Deo templum & habitaculum perficiat, ut, ab omni-
bus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus,
hic servus Dei gratias perenni Deo referat semper,
& benedicat nomen ejus sanctum, in secula seculo-
rum. ℟. Amen.

Deinde fit Exorcismus, & ter signatur puer, dicendo:

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem ✠,
& Filium ✠, & Spiritum ✠ Sanctum: ut exeas,
& recedas, ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi im-
perat, maledicte, damnate atque damnande, qui pe-
dibus suis super mare ambulavit, & Petro, ne mer-
geretur, dextram porrexit.

Repetatur rursus: Ergo, maledicte Diabole &c.

Deinde fit Exorcismus, & ter signatur puella, dicendo:

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem ✠,
& Filium ✠, & Spiritum ✠ Sanctum, ut exeas, &

 rece-

recedas ab hac famula Dei N. ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit.

Repetatur denuo: Ergo, maledicte &c.

Oremus: Æternam & juſtiſſimam pietatem tuam, deprecor Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis: reſpice ſuper hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam*, ut digneris eum, *vel eam*, illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum, *vel eam*, & ſanctifica, ✠ da ei ſcientiam veram, ut dignus, *vel digna*, efficiatur, accedere ad gratiam Baptiſmi tui: teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus, *vel apta*, ſit, ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

Hic ponit Sacerdos Stolam ſuper infantem in modum crucis, &, faciens crucem in fronte baptizandi, dicat:

Nec te ✠ lateat, Sathana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem ſupplicii ſempiterni: diem, qui venturus eſt, velut clibanus ardens: in quo tibi, & univerſis Angelis tuis, æternus veniet interitus. Et ideo, pro tua nequitia, damnate & damnande, da honorem Deo vero & vivo, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto Paracleto, in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es, Spiritus immunde, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. *vel hac famula Dei* N. quem, *vel quam*, hodie idem Deus & Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, ad ſuam ſanctam gratiam, benedictio-

nem,

nem, fontemq; baptiſmatis vocare dignatus eſt, ut
iat ejus templum, per aquam regenerationis, in re-
miſſionem omnium peccatorum. In nomine ejuſ-
dem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt ju-
dicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.
℟. Amen.

Deinde legatur Evangelium ſequens:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore oblati ſunt Jeſu parvuli, ut ma-
nus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem incre-
pabant eos. Jeſus vero ait illis: Sinite parvulos ve-
nire ad me, & nolite prohibere eos; talium eſt enim
regnum cœlorum. Et, cum impoſuiſſet manus eis,
abiit inde.

℟. Laus tibi Chriſte.

Deinde Sacerdos accipiat modicum de ſputo oris ſui, cum pollice & indice dextro, addito modico luto, vel cinere, dicendo:

In nomine Patris ✠, & Filii, ✠ & Spiritus ✠
Sancti.

Poſtmodum, tangat dextram aurem infantis, & dicat:

Ephata, quod eſt, adaperire.

Deinde nares tangendo, dicat:

In odorem ſuavitatis.

Tangens quoq; aurem ſiniſtram, dicat:

Tu autem effugare, Diabole, appropinquabit enim
judicium Dei.

Circa

Circa locum dextræ manus, imprimendo signum Crucis, dicat Sacerdos:

N. trado tibi signaculum Domini nostri Jesu Christi, ✠ in manu tua dextra, ut te signes, & a te adversarium ex omni parte repellas, & habeas vitam æternam, & vivas cum eo, in secula seculorum. ℞. Amen.

Introductoria benedictio ad S. Fontem.

Ingredere in templum Dei, ut merearis videre Filium Dei vivi, in nomine Patris ✠ &c.

Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat & maneat super te, & Angelus Domini custodiat te, usque dum venias ad sanctum Baptisma. Amen.

Quibus finitis, præparetur infans per mulieres ad Baptismum, & cum ad Baptisterium pervenitur, stans Sacerdos, versa facie ad Orientem, faciat eum abrenunciare Diabolo, expresso nomine infantis, his verbis:

Quis vocaris?

Respondeat Patrinus N. vel N.

Sacerdos pergit interrogando: N. Abrenuncias Sathanæ?

Patrinus: Abrenuncio.

S. Et omnibus pompis ejus?

Patrinus: Abrenuncio.

S. Et omnibus operibus ejus?

Patrinus: Abrenuncio.

Per-

Pergat Sacerdos interrogare de credulitate infantis, hoc pacto:

N. credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?

Patrinus: Credo.

N. credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: quod conceptus sit de Spiritu S. natus ex Maria Virgine, crucifixus & mortuus, descenderit ad inferos, tertia die resurrexerit a mortuis: ascenderit ad cœlos, sedeatque ad dextram Patris, venturus judicare vivos & mortuos?

Patrinus: Credo.

N. credis in Spiritum S. sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem, & vitam æternam?

Patrinus: Credo.

Deinde faciat Crucem in pectore Infantis de oleo sancto, quod dicitur Catechumenorum, dicens:

N. ego te oleo salutis linio:

Et, faciendo alteram crucem, de eodem oleo, inter scapulas infantis, dicat:

In Christo Jesu, Domino nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.

Tunc interrogat Sacerdos ter, dicens:

Quis vocaris?

Patrinus: N. vel N.

S. N. vis baptizari?

Patrinus: Volo.

Quæ-

Quærat deinde Sacerdos, an, propter periculum formidatum, ſit circa Baptiſmum Infantis aliquid attentatum a quopiam? Et, ſi reſpondeatur, nihil ejusmodi factum, baptizet eum immergendo, vel ſuperfundendo aquam, ſemel, aut ter, ſecundum conſuetudinem loci, tenente infantem Patrino, atque dicat:

N. ego te baptizo, in nomine Patris, ✠ & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Si, re diligenter perquiſita, fuerit dubium, utrum ſit infans baptizatus, atq; obſtetrix præſertim ſit imperita aut ſuſpecta, ſub conditione baptizetur, dicendo:

N. ſi es baptizatus, ego te non baptizo: ſed, ſi non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, ✠ & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Deinde dicat Sacerdos hanc orationem:

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S. quique tibi dedit remiſſionem omnium peccatorum,

& ungendo Chriſmate Infantem, in modum Crucis in vertice, dicat:

ipſe te liniat Chriſmate ſalutis, in eodem Chriſto Filio ſuo, Domino noſtro, in vitam æternam.

Tunc, imponendo albam veſtem capiti infantis, dicat:

N. accipe veſtem ſanctam, candidam, & immaculatam: quam perferas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſecula ſeculorum.

Deniq;

Deniq; Candelam ardentem applicat manui baptizati, dicens:

N. Accipe lampadem ardentem, irreprehensibi-em, custodi Baptismum tuum, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, una cum omnibus Sanctis, in aula cœlesti, & vivas cum eo, in secula seculorum. ℞. Amen.

Baptismo sic expleto, lavet Sacerdos supra pelvim manus, cum sale & aqua, præsertim vero pollicem, quo in unctionibus usus est, tum etiam Patrinus: Lotionis vero aqua in locum sacrum effundatur.

Titulus Matriculæ baptizatorum sic concipiatur:

Liber Baptizatorum in Ecclesia Parochiali S. N. pro Anno . . .

Baptizatos describendi formula potest esse talis:

Die . . . Mense . . Anno . . . Ego N. Rector, aut Curatus Ecclesiæ Sancti N. baptizavi N. filium *(hic ponantur nomina & cognomina parentum, & loca, ubi habitant)* secundum ritum & præscriptum S.R.E. Patrinus & Matrina fuerunt N. & N. *(hic ponantur nomina & cognomina Patrini & Matrinæ.)*

Ordo introducendi Mulierem in Ecclesiam post partum.

Quando mulier, post partum, expleto certo dierum numero, ad Ecclesiam purificanda accedit, Sacerdos indutus Superpelliceo & Stola, adiens ad ostium templi, dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit cœlum & terram.

Postea

Postea dicat Psalmum CXX. Levavi oculos meos in montes &c. *totum. Et subjiciat.* Gloria Patri &c. *&* Pater noster &c.

Deinde Parochus ad mulierem conversus, dicat:

Salvam fac ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

S. Mitte ei, Domine, auxilium de sanctis.

℟. Et de Sion tuere eam.

S. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

S. Esto illi, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

S. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus: Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, benedicere digneris hanc famulam tuam quæ, ad imitationem sanctissimæ Virginis Mariæ, sese cum gratiarum actione purificandam in templo exhibet: & concede propitius, ut, sicut ei prolis fœcunditatem, & vires templum tuum ingrediendi contulisti, ita, per intercessionem ejusdem immaculatæ Virginis, ab omni mentis & corporis contagio liberatam, ad sancta sanctorum pura facias mente accedere, &, post finem præsentis vitæ, templum cœleste intrare. Per eundem Christum &c.

℟. Amen.

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedictio Dei Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ descendat super te, & maneat semper.

℟. Amen.

De-

einde aspergatur mulier, candelam accensam habens, aqua benedicta, & dicat Sacerdos:

Aspergat te Deus rore gratiæ suæ, in vitam æternam. ℞. Amen.

Porrecta deniq; Stola, ex collo dependente, manui ejus, introducat eam, dicens:

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum uum, ex hoc, nunc, & usque in seculum. Ingreere in templum Domini, ut habeas vitam æternam. ℞. Amen.

Si contigerit, mulierem adversa valetudine certo empore a purificatione impediri, differatur purificaio, donec, utcunq; restituta, in Ecclesiam ingredi posit, etiam si mortis immineat periculum: quia purifiatio extra Ecclesiam facienda non est; neq; substiuenda alia mulier purificanda, in locum defunctæ uerperæ.

Quædam ad Confirmationis Sacramentum attinentia.

Collatio hujus Sacramenti, jure divino, ad Episcoum spectat. Parochi autem officium est, eos, quoum curam habet, admonere, ut, post Baptismum, ad oc Sacramentum festinent; quo plene Christiani inveniantur, & corda eorum ad illud robur dilatenur: unde hoc Sacramentum, vernacula lingua Firmung *appellatur.*

Quamvis non semper certam ætatem, & annos, uos vocant discretionis, in pueris exspectare debeanus, ad hujus Sacramenti susceptionem; ut tamen erti aliquid vulgo præfixum habeatur, commodum

erit, ſi non ante ſeptennium (niſi forte malitia præveniat ætatem) quis ad ſacrum hoc dominicum ſigillum ſiſtatur.

Cum ad Confirmationem eſt accedendum, præcipue adulti, (ſi fieri poſſit) jejuni, atq; a peccatorum ſordibus per Confeſſionem purgati eſſe debent, ut mundi, ampliſſima Spiritus S. dona accipere queant.

Quod ſi quis ſemel fuit confirmatus, confirmari iterum non debet. Confirmandus autem unum ſibi tantum deligat Patrinum, alium ab eo, a quo in Baptiſmo ſuſceptus fuerat. Si tamen ita neceſſitas cogeret, idem, tam in Baptiſmo, quam in Confirmatione, Patrinus eſſe poteſt.

In hoc Confirmationis Sacramento, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui ipſe confirmatus non eſt.

Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem, non egreditur.

Sciant Confirmati, frontem ſuam faſcia munda triduo debere eſſe alligatam, ob reverentiam ſacri Chriſmatis. Quo peracto, faſcia per Sacerdotem deponatur, & conſervetur in Sacrario, aut alio honeſto loco, comburenda ad cineres ſacros, in diem cinerum Quadrageſimæ. Et meminerint, hoc frontis velum, ſicut & myſticam alapam, ſymbola eſſe animi, ad omnia opprobria & adverſa parati, pro nomine Chriſti, cujus facies velata eſt, & alapis cæſa.

Cum deponitur faſcia, fundat Patrinus, vel alius, aquam in pelvim, &, ſi Sacerdos ſit, dicat:

Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

S. Sit

S. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in seculum.

Dehinc mittat fasciam, qua frons fuit ligata, in aquam, & hujusmodi madida fascia frontem confirmandi lavet, adhibitoq; modicò sale, & faciendo crucem, dicat:

Ab omni immunditia mentis & corporis, mundet te Dominus noster Jesus Christus, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen. Chrismatis ablutio, sit tibi omnium peccatorum tuorum remissio, ut habeas vitam æternam, in Christo Jesu, Domino nostro. ℟. Amen. Pax ✠ tecum. Vade in pace. ℟. Amen.

Facta ablutione, mittatur aqua ablutionis in cœmeterium, vel supra ossa mortuorum, vel, si id non licet, in profluentem. Cavendum autem est, ne in sterquilinium, vel in cœnum, aut alium locum immundum effundatur hæc aqua, ob sacri Chrismatis reverentiam.

Matricula debet fieri à Parocho, illorum, quibus in oppidis Episcopus confert Confirmationem, ejusq; titulus sic concipiatur:

Liber Confirmatorum Sacramento Chrismatis in Parochia Sancti N.

Descriptio modo sequenti fit: Die . . . Mense . . . Anno . . . N. ætatis annorum . . . filius N. & N. ex Parochia Sancti N. Chrismatis Sacramento fuit confirmatus a Reverendiss. D. Episcopo N. Patrinus seu Matrina fuit N. ex Parochia Sancti N. Administratum vero fuit hoc Sacramentum in Ecclesia Parochiali Sancti N.

Ratio ſervanda in Confeſſione Pœnitentiali, & Forma Abſolutionis.

Sacerdos Confeſſiones auditurus, tanquam Judex, ſedeat indutus ſuperpelliceo, & ſtola, idque in aperto templi loco, ut ab omnibus videri poſſit. Vnde, ſi tenebræ ſint, etiam lumen habeat apud ſe, ad tollendam omnem ſuſpicionem. Ipſum Confeſſionale, ne Sacerdos pœnitentem videat, debet habere feneſtellam, crate ferrea obductam. Confeſſurus autem, Sacerdotem accedens, utrumq; genu coram eo, tanquam Chriſti Vicario, flectat, & ſic ſe collocet, ut ejus faciem non aſpiciat Sacerdos, potiſſimum, ſi mulier ſit, ſed, averſo pauliſper vultu, auribus ejus ſe præbeat, dicatq; primum:

Benedicite: *aut potius:* Benedic Domine.

Tunc ſubjungat Sacerdos:

Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ad digne confitendum peccata tua, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti.

Quo dicto, Sacerdos pœnitentem, ſua enumerantem peccata, patienter, ſine interruptione, audiat, uſq; ad finem. Et, ſi taceat, aut interrogari petat, ipſum ad peccatorum ſuorum explicationem moveat & inducat, ſuggerendo, illud demum eſſe vere confiteri peccata ſua, & neminem melius noſſe peccata ſua, quam eum, qui commiſit. Si autem Sacerdos, poſt hujuſmodi monitionem, confitentem viderit adhuc nimis timidum, vel minus aptum, ad propria ſua peccata explicanda, juvabit eum, & examinabit, juxta ejus conditionis exigentiam. Vbi autem confitens ceſſaverit narrare, quæ admiſiſſe ſe putat, admonebit illum Sacer-

acerdos, si viderit expedire, ut bene ponderet, ravitatem, multitudinem, & assiduitatem suorum eccatorum, ut serio detestetur suas iniquitates: ad uam detestationem ingerendam, proponat etiam ei am in Deum ingratitudinem, ac metuendum Dei dicium. Si autem illum ex corde pœnitere perspeerit, consolabitur eum, ostendendo infinitam Dei isericordiam, atq; veracitatem in promissis, nec non retiosissimi sanguinis Christi efficaciam. Deinde pœitentem monebit, ut vitam ac mores in melius comutet, ac voluntarie pro peccatis satisfaciat.

Postremo, quando Sacerdos pœnitentis confessioem audivit, & de peccatis ipsius diligenter cognoit, pro delictorum gravitate, & quantitate, salutaem ei pœnitentiam imponat, commendans ei opera ietatis & misericordiæ, uti orationes & eleemosyas, jejunia, & pias, circa passionem Domini, mediationes. Et, quoniam infirmitas hominum jam non atitur, ut condignæ eis pœnitentiæ, juxta veteris Eclesiæ disciplinam, imponantur, (ad quam tamen, uantum fieri potest, redeundum est,) exponatur pœitenti gravitas pœnitentiæ, peccatis ejus debitæ, uodq;, ad eam utcunq; exsolvendam, expediat, eum requenter ad passionem Domini, & Sanctorum meita recurrere, petendo ab eis, sibi suppleri a Deo, uod suæ infirmitati deest. Item, ut omnes suos laores, atq; adversitatem hujus vitæ, patienter susciiat, in pœnitentiam suorum peccatorum. Unde & acerdos, eundem absoluturus, primum dicat:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te in vitam æternam. men.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Poſtea, pro abſolutione, dicat:

Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego autoritate ipſius, mihi licet indigno conceſſa, abſolvo te imprimis ab omni vinculo excommunicationis, in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde ego te abſolvo, ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti.

Porro ſubjungat:

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Et, dimittens confeſſum, dicat:

Ecce, jam ſanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat. Vade in pace.

Caveat autem Sacerdos, ne pluribus verbis utatur, in impendenda abſolutione, dicendo: Abſolvo te a confeſſis, contritis, & oblitis; *quoniam hæc verba non ſunt de abſolvendi neceſſitate, & convenit, Sacramentorum formas eſſe ſimpliciſſimas, nec continere aliquid ſuperfluum. Conveniens autem eſt, quamvis non omnino ſit neceſſarium, ut abſolvens manum ſuam imponat capiti pœnitentis, ex more veteris Eccleſiæ.*

Si confitens, excommunicatione ſit innodatus, ſive a jure lata, ſive ab homine, (cum omnis excommunicatio major ut plurimum ſit caſus vel Papalis, vel ſil-

ltem Episcopalis) nullus Sacerdos ab ea, sine mandato speciali sui Superioris, aliquem absolvere præsumat, nisi confitens sit in periculo mortis, imo, nec a peccatis ejus, priusquam illum ad Superiorem remiserit, ut ab illo absolutionem obtineat.

Si Confitens, ob periculum mortis, ab excommunicatione majore, a proprio Sacerdote, sit absolutus, & convalescat, debet se illi, qui potestatem absolvendi ab excommunicatione habet, præsentare, ejusq; arbitrio se submittere. Atq; hoc se facturum, dum a proprio Sacerdote, in periculo mortis constitutus, absolvitur, promittere tenetur.

Forma Absolutionis ab Excommunicatione majore, in foro conscientiæ:

Dominus noster Jesus Christus, per suam piissimam misericordiam, dignetur te absolvere, & ego, autoritate N. mihi concessa, absolvo te, imprimis a vinculo excommunicationis majoris, quam incidisti propter hanc *vel* illam causam, & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni & unitati fidelium. Deinde, eadem autoritate, absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Advenæ, & peregrini, possunt, ex tacita Ordinariorum voluntate, per consuetudinem confirmata, cuicunque approbato Sacerdoti confiteri, & Eucharistiam etiam tempore Paschali suscipere, si ad propriam Parochiam facile accedere nequeunt. Parochis autem poscentibus Schedam Confessionis & Communionis, tenenter exhibere.

Potest quilibet ex Diœcesi, recipere Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesia Cathedrali.

Fideles, habentes uſum rationis, & ſibi conſcii peccati mortalis, ad præceptum annuæ Confeſſionis, tempore Quadrageſimæ vel Paſchali faciendæ, obligantur. Liberi ſunt ab hoc præcepto, ſi tantum venialium peccatorum ſibi ſint conſcii. Tenentur tamen ſuo ſe Parocho ſiſtere, declarando ei, ſe non habere peccata mortalia: quia debet Paſtori aliquo modo conſtare, tales non teneri præcepto Confeſſionis, ut eos ad Communionem poſſit admittere; teneturque Paſtor, illud de ſe affirmantibus credere, niſi habeat juſtiſſimas rationes, contrarium ſuſpicandi.

Poteſtatem Confeſſiones ſuorum Parochianorum audiendi, poteſt Parochus alteri Sacerdoti delegare, dummodo ille alter Sacerdos, ſit ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones, approbatus.

Curatus, qui præſumere poteſt, ſubditum habere juſtam cauſam confitendi alieno, debet ipſi petenti licentiam dare. Quod ſi Parochus ſubdito, poſtulanti licentiam, eam injuſte deneget, hic autem eidem ob periculum confiteri nequeat, ſubditum in eo ſtatu eſſe dicendum eſt, quaſi copia Confeſſarii deſtituatur, neutiquam vero illi concedendum, ut, ſine alia facultate, poſſit alieno Sacerdoti confiteri.

Parochianus debet exhibere ſchedulam Confeſſionis annuæ, Parocho petenti, qui non tenetur credere dicenti, ſe impleviſſe præceptum.

Sacramentum pœnitentiæ, in extrema neceſſitate, licite ab excommunicato, & adeo ab hæretico, peti & adminiſtrari poteſt. Sicut igitur, in extrema neceſſitate, quilibet, a quolibet Sacerdote baptizari poteſt & debet; ita etiam, a quibuscunque peccatis & cenſuris, abſolvi a quolibet Sacerdote poteſt, & de-

bet,

...et: cum utrumque Sacramentum necessitatis sit, & ...e jure divino præceptum; Baptismus quidem simpliciter non-regeneratis; Sacramentum vero pœnitentiæ, lapsis omnibus post Baptismum.

De Confessione, quæ fit hæreticis, sciendum, eam ...antum permitti, quando non timetur periculum infectionis seu corruptionis, & quando certum, con...itentem non approbaturum sectam hæretici, nec hæ...eticum male sentire de Sacramento Pœnitentiæ.

De Administratione Sacramenti Eucharistiæ.

Sacerdos Communicandos admoneat, ut genuflе...ci, facto primum super se crucis signo, sequentem ge...eralem suorum peccatorum Confessionem dicant; vel ...ecitet ipse Sacerdos, tractim & intelligibili voce, ut ...psum dicendo sequi possint:

Ich armer Sünder / widersag dem bösen Feind/ ...llen seinem Eingeben / Rath und That. Ich ...laub in GOtt den Vatter / in GOtt den Sohn/ ...nd in GOtt den Heiligen Geist. Ich glaub gäntz...ich / was die gemain Christlich Kirch befilcht zu ...lauben. Mit diesem heiligen Catholischen Glau...en / beicht ich und bekenne GOtt dem Allmächti...em / Mariæ seiner hochwürdigen Mutter / allen ...eben Heiligen / und gib mich schuldig / daß ich von ...einen Kindlichen Tagen an / bis auf diese Stund/ ...fft und viel gesündiget hab/ mit Gedancken/ Wor...en / und Wercken / und Unterlassung vieler guten Werck: wie denn solches alles geschehen ist / heim...ch / oder offentlich/ wissendlich/ oder unwissendlich/ ...ider die Zehen Gebot/ in den sieben Tod-Sünden/

 an

an den fünff Sinnen meines Leibes/ wider GOtt/ wider meinen Nächsten/ und wider das Heil meiner armen Seel. Solche und alle meine Sünde seynd mir leid von Hertzen: Bitte darum demüthiglich/ dich ewigen barmhertzigen GOtt / du wollest mir deine Göttliche Gnad verleihen / mein Leben fristen so lang / bis daß ich alle meine Sünd mög beichten und büssen / dein Göttliche Huld erwerben / und/ nach diesen elenden Leben / die ewige Freud und Seeligkeit erlangen: Derohalben klopff ich an mein sündliches Hertz / und sprich mit dem offenen Sünder: O HErr GOtt/ bis gnädig mir armen Sünder. Amen.

Sic subjungat Sacerdos absolutionem generalem:

Misereatur vestri omnipotens Deus &c.

Indulgentiam &c.

Facta absolutione, Sacerdos, sacram hostiam in manu tenens, & ad communicandos se convertens, dicat:

Nun sprecht mir nach/ die demüthige Wort des Evangelischen Hauptmanns:

O HErr/ ich bin nicht würdig/ daß du eingehest unter mein Dach/ sondern sprich nur ein Wort/ so wird mein Seel gesund. *Et hæc verba ter dicat.*

Post hæc, tradat illis caute & modeste sacram Eucharistiam, dicens ad unumquemq;:

Corpus Domini nostri Jesu Christi, custodiat animam tuam, in vitam æternam. ✠. Pax tecum.

Post sacram Communionem, Vinum ablutionis detur, ex poculo vel vase ad hoc ordinato, de quo communicantes, sine genuum flexione, sumant, & more solito, paululum os abluant.

Eucharistiam, extra casum necessitatis, non jejuno dare minime licet.

Qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsum duodecimæ noctis, tenetur continuo, eam ex ore ejicere, si, die sequenti, Eucharistiam sumere velit. Quando enim primus pulsus auditur, hora jam est expleta.

Si reliquiæ cibi, quæ hærent inter dentes, mane deglutiantur, impedit hoc sumtionem Eucharistiæ. At, si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum demittitur, aut, si quis, per modum respirationis, attrahat muscam, aut rem aliam, quæ potest nutrire, vel alterare; item, qui deglutit parum papyri, aut alterius rei non comestibilis, licite sumit Eucharistiam.

Modus administrandi Infirmis Sacramentum Eucharistiæ.

Parochus infirmos, quos habet, visitet, etiam ad eos non vocatus, si diuturnior sit infirmitas; &, si ipsi susceptionem Sacramentorum negligant, eos, ut se ad suscipiendum præparent, moneat. Administraturus autem, Superpelliceum & Stolam induat, & Custos, superpelliceo indutus, lumen & campanulam præferat, cæteris comitibus, viris piis, sequentibus. Deferat autem Hostias duas, ut in regressu quoq; fieri possit adoratio, sicq; domum ægri petat, & inter eundum caveat, ne vagos oculos huc illucq; leviter conjiciat; sed timide potius, ac graviter ambulet, cœle-

cœlestemq; illum, quem manibus gestat, thesaurum, fide portet, & linguam ac mentem precando exerceat, quoad in ægrotantis cubiculum introducatur. In cujus limine dicat:

Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Postea impendat infirmo benedictionem.

Tum deinde reposito, in mensa ad hoc aptata, venerabili Eucharistiæ Sacramento, ægrotum brevibus verbis, ac suavibus, ad hanc divinæ visitationis gratiam excitet, & ad peccatorum contritionem, ac reconciliationem, (si quæ illi, post confessionem, peccata confitenda in mentem venirent) & ad patientiam, meliorisq; vitæ frugem, eum exhortetur, & inquirat, an sit excommunicatus, aut injuste aliquid possideat? an habeat debita occulta? an sit votis aut peregrinationibus obnoxius? Deinde, blande & leniter infirmum alloquatur, admoneatq; illum ad patientiam, rogetq;, si quem adhuc conscientiæ scrupulum habeat: si sic, illum iterato audiat, & absolvat, nec non ipsum inducat, ut ab ibi præsentibus fieri pro se preces petat, rogetq; in genere, quos offendere, vel verbo vel facto, potuit, veniam. Specialiter vero accedere jubeantur, qui de familia, aut sanguine illius sunt, ut ab eo veniam precentur. Quod si capitalem aliquam inimicitiam adversus quempiam gerat, studeat Parochus, dissidentes, quantum in se est, conciliare. Ipse quoq; ægrotus, injurias sibi forte illatas, se dimittere declaret. Postea hortetur infirmum, ad devote, & cum firma fide, suscipiendum Corpus Domini ibi præsens: & circumstantes moneat, ut pro infirmo orent, quatenus ad salutem animæ suæ possit suscipere-

sume-

mere sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu hristi.

Hac admonitione generaliter sic facta, languenm ad Sacramentalem peccatorum Confessionem adortetur, & , si paratum senserit, omnibus exire jus-, confessionem ejus secretam audiat, ipsumq; , in conoscendis, & recensendis peccatis, si opus fuerit, juet, aliaq; faciat, quæ, pro sua prudentia & discreone, in tali casu, ad animæ salutem facienda judicaerit.

Sic ergo deinde Confessionem infirmi attente audiat acerdos, qua peracta, pro qualicunq; satisfactione, el eleemosynas, vel orationes, vel alia pietatis ope, juxta perpetratorum peccatorum exigentiam, jungat. Quod si tamen infirmum, propter vim mor-, seu vehementem ægritudinem, ad ejusmodi opera tisfactoria perficienda, minus idoneum, vel omni impotentem deprehenderit, nihil, vel certe perarum, injungat, sed, loco satisfactionis, ad morbi olores patienter perferendos, eosq; loco satisfactoorum operum amplectendos, hortetur.

Ad eum deinde absolvendum, præsertim si mortis ericulum adesse viderit, utatur ampla & generali bsolutionis formula.

His peractis, iterum intromittat, quos antea exire ssit, eosq; , ut pro infirmo devote orent, hortetur.

Post hæc Sacerdos, ad communicandum Ægrotum rocedere volens, redeat ad mensam, in qua venerale Sacramentum collocavit, ibiq; flexis genibus cat:

Domine, exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ore-

Oremus: Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut, ad introitum humilitatis nostræ, famulum tuum, *vel famulam tuam*, N. in hoc habitaculo ægrotantem, salutifere visitare digneris, sicut visitasti Tobiam & Saram, socrum Petri, & servum Centurionis, ut, sanitate animæ & corporis, per tuam visitationem, recepta, gratiarum tibi actionem in Ecclesia referat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, omnibus præsentibus, pronunciet infirmo Confessionem generalem, in lingua vernacula: Ich armer Sünder widersag dem bösen Feind / rc. *prout supra.*

Qua finita, dicat Sacerdos Absolutionem: Misereatur tui Omnipotens Deus &c. prout supra.

Post hæc, Sacerdos reverenter sacrosanctam Eucharistiam in altum extollat, mente devota dicens:

Exsurgat Deus, & dissipentur omnes inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus, & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

Tum ægrotus dicat: O HErr ich bin nicht würdig/ rc. prout supra: *Sacerdos vero ei tradat Eucharistiam, & dicat:*

Corpus Domini nostri Jesu Christi, custodiat animam tuam, in vitam æternam. ✠ Pax tecum.

Si infirmus, ob aliquod corporis incommodum, sacram Eucharistiam sumere non possit, moneatur, ut spiritualiter accipiat, voto propositum illum panem edens, ac fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiens. Proinde ipsum

S. Au-

Augustini verbis consoletur: Crede, & manducasti. *ui propterea, ad ejus animum excitandum, ac men-em in Deum elevandam, sanctissimum hoc Sacra-ientum ostendi poterit. Vbi ille, D. Thomæ exem-lum secutus, magna fide & reverentia dicat:*

Dominus meus, & Deus meus. Adóro te, Corpus alvatoris mei Jesu Christi, & benedico tibi, quia per inctam crucem redemisti mundum: Domine redi-ne animam meam.

Postea recondat sacram Eucharistiam in pyxide, & ost ablutionem, genibus flexis ante venerabile Sa-ramentum, dicat:

O sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, ecolitur memoria passionis ejus, mens impletur gra-a, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. *Vel:* O uam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dul-edinem tuam in filios demonstrares, pane suavissi-no, de cœlo præstito, esurientes reples bonis, & fa-idiosos divites dimittis inanes.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.
S. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
S. Benedictus, qui venit in nomine Domini.
℟. Deus Dominus illuxit nobis.
S. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.
℟. Vniversum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
S. Ego dixi, Domine, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

S. Sal-

S. Salvum fac famulum tuum, *vel famulam tuam.*

℟. Deus meus, ſperantem in te.

S. Mitte ei auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

S. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

S. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo *vel famulæ*, ſacroſanctum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Filii tui, accipienti, ad animæ & corporis ſui proſit remedium ſempiternum. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Oremus: Protege, Domine, hunc famulum tuum, *vel famulam tuam*, ſubſidiis pacis, &, B. Mariæ Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hoſtibus redde ſecurum, *vel ſecuram.*

Omnipotens, ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo, *vel famula tua*, miſericordiæ tuæ implorantis auxilium, ut, reddita ſibi ſanitate, in Eccleſia tua gratiarum tibi referat actiones. Per Dominum noſtrum Jeſum &c.

Quibus finitis, redeat ad ægrotum, ipſumq; conſoletur & inſtruat, ac aqua benedicta aſpergat, impenſaq; ei benedictione cum venerabili Sacramento, ad Eccleſiam redeat.

Quando extra Civitatem defertur Euchariſtia, per vias difficiles & periculoſas, omittititur umbella, & portatur pyxis, continens unam tantum hoſtiam, & reponi-

ponitur in bursa sericea, condecenter ornata, collcando eam Sacerdos ad collum, ad vitandam irreerentiam, aut scandalum, quod oriretur, si contineret, ut Sacerdos in via caderet. Non potest aum Parochus, cum Sacramento, super equo, nisi is lde sit mansuetus, & consuetudo loci id permittat, hi.

Non est licitum Parocho, tempore pestis, Euchastiam in loco decenti ponere, ut inde ab ipsis peste fectis, ore, vel propriis manibus, capiatur; quia est ontra praxin Ecclesiæ, & cedit in irreverentiam cramenti.

De administratione Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Extremæ Vnctionis Sacramentum, conferri debet firmis in periculo mortis constitutis; nec tamen obrvari debet tempus, in quo sit de infirmi salute deeratum, ita ut sensibus carere incipiat. Constat im, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere, si ægrotus liniatur, cum in integra mens, & ratio vigent, ut fidem & religiom voluntatem afferat.

Nemini, qui gravi morbo affectus non sit, Sacraentum Vnctionis dare licet, quamvis periculum ortis adeat, vel quia periculosam navigationem pat, vel quia prælium initurus sit, a quo certa mors li impendeat, vel, etiamsi capitis damnatus, ad supicium raperetur.

Pueri, qui carent usu rationis, aut amentes, qui ipso ortu nunquam fuerunt mentis compotes, unendi non sunt. Qua vero ætate pueris conceditur cra communio, unctio quoq; concedenda est.

Amentes & furiosi, habentes interdum usum rationis, si eo potissimum tempore piam animi significationem dederunt, aut petierunt, ut sacro oleo ungerentur, licet postea in furorem aut insaniam incidant, ungendi sunt.

Infirmus, periculose decumbens, in una infirmitate semel tantum ungendus est: quod si post susceptam unctionem convaluerit, quoties postea in idem vitæ discrimen inciderit, toties hujus Sacramenti subsidio juvari poterit.

Cum infirmus non habet pedes, aut manus, Sacerdos ungat locum propiorem manibus aut pedibus.

Presbyteri manus inungendæ sunt exterius, non interius, quia ibi ab Episcopo prius inunctæ sunt, in ordinatione Sacerdotii.

In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum ac detectum, dicendo: Per istam sanctam Vnctionem, ac suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum. *Et tunc preces, quæ præmittendæ & subjungendæ forent, poterunt in Ecclesia, coram venerabili Sacramento, devote legi.*

Sacerdos ægrotum uncturus, indutus Superpelliceo & Stola, accepto secum oleo infirmorum, reverenter ab Ecclesia progrediatur, prævio lumine, & aqua benedicta, concomitantibus amicis, & custode, interque eundum aliquot Psalmos recitet, atque in limine ipsius domus, pacem divinam sic precetur:

Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Di-

Deinde dicat ſuper infirmum:

Adjutorium noſtrum in nomine Domini:

℞. Qui fecit cœlum & terram.

S. Dominus vobiscum.

℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis, præ cæteris, tantam gratiam contuliſti, ut, quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab iis agitur, a te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quicquid modo viſitaturi ſumus, viſites; quicquid benedicturi, benedicas; ✠ ſitque, ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Dominum noſtrum Jeſum &c.

Tunc Sacerdos, gravi & prudenti oratione, benigna ſalutatione præmiſſa, ægrotum conſoletur, ac confirmet, expliceta; res & effectus hujus Sacramenti; habita temporis & ægritudinis ratione.

Poſt Exhortationem, admoneat Sacerdos aſſiſtentes, ut devote orent pro infirmo, quatenus dignetur illum Deus, ſalutaribus illis effectibus, ab Apoſtolo Jacobo commemoratis, ſuaq; protectione munire, adverſus omnes inſidias inimici.

Deinde ad ægrotum dicat:

Adjutorium noſtrum in nomine Domini:

℞. Qui fecit cœlum & terram.

S. Dominus vobiscum.

℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus: Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me indignum, qui primus miſericordia tua indigeo, clementer exaudi, & quem, non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ, conſtituiſti hujus ope-

ris ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ virtutis est, operare.

Deinde, in modum crucis, aspergat ægrotum aqua benedicta, dicendo:

Aspergat te Deus rore gratiæ suæ, in vitam æternam.

Oremus: Omnipotens & misericors Deus, immensam clementiam tuam humiliter imploramus, ut, ad introitum humilitatis nostræ; hunc famulum &c. *prout supra.*

Quo facto, infirmum roget, si quem adhuc remorsum conscientiæ habeat, ac ejus, si opus sit, confessionem audiat. Et, etiamsi tunc non confiteatur infirmus, dicat tamen aut Custos, ipsius nomine: Confiteor &c. *Quo dicto subjungat Sacerdos:* Misereatur tui &c. Indulgentiam, absolutionem &c. *Et statim absolute dicat hanc precationem:*

Deus omnipotens, Salvator & Redemtor generis humani, qui Apostolis dedit ligandi atque solvendi potestatem, ipse te absolvere dignetur ab omnibus iniquitatibus tuis. Et, quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante ipso, sis absolutus ante faciem illius. Qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Tunc Presbyter, & Minister, dicant Psalmos pœnitentiales, aut, si non omnes, ob brevitatem temporis, legere possint, legant saltem Psalmum L.

Miserere mei, Deus &c. & Litanias.

Postea moneat Sacerdos circumstantes, ut pro infirmo orent, ut ad salutem animæ suæ suscipiat

hoc

c *Sacramentum extremæ Vnctionis.* *Porro dicit:*
ter noster &c.

Salvum fac servum tuum, *vel ancillam tuam*, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

S. Convertere, Domine, usque quo?

℟. Et deprecabilis esto super servum tuum, *vel ancillam tuam.*

S. Dominus conservet eum, *vel eam*, & vivificet eum, *vel eam*, & beatum faciat eum, *vel eam*, in terra.

℟. Et non tradat eum, *vel eam*, in animam inimicorum ejus.

S. Dominus opem ferat illi, super lectum doloris ejus.

℟. Vniversum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

S. Dominus custodiat eum, *vel eam*, ab omni malo.

℟. Custodiat animam ejus Dominus.

S. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum, *vel eam.*

S. Nihil proficiat inimicus in eo, *vel ea.*

℟. Et Filius iniquitatis non apponat, ut noceat ei.

S. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

S. Domine, averte faciem tuam a peccatis ejus.

℟. Et omnes iniquitates ejus dele.

S. Cor mundum crea in eo, *vel ea*, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus ejus.

S. Adjuva eum, *vel eam*, Deus, salutaris noster.

℟. Propter gloriam nominis tui, Domine, libera eum, *vel eam*, & propitius esto peccatis ejus, propter nomen tuum.

S. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
S. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus: Reſpice, Domine, famulum tuum, *vel, famulam tuam*, in infirmitate corporis ſui laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, *vel emendata*, continuo ſe ſentiat tua medicina eſſe ſanatum, *vel ſanatam*. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Oremus: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui, benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum, *vel ancillam tuam*, N. ab ægritudine liberatum, *vel liberatam*, & ſanitati donatum, *vel donatam*, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ, ſanctisque altaribus tuis, cum omni deſiderata proſperitate, reſtituas. Per Chriſtum Dominum &c.

Oremus: Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto, in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei: Cura, quæſumus, Redemtor noſter, gratia Spiritus S. languores hujus infirmi, *vel infirmæ*, & ſua ſana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque ſanitatem miſericorditer redde, ut, ope miſericordiæ reſtitutus, *vel reſtituta*, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu S. &c.

His

His dictis, Sacerdos peragat unctiones, & pollicem vel virgulam, intingat in oleum ſacrum, habeatq; linum vel ſtuppam paratam, ad detergendum ſacrum oleum membris inunctis, & dicat:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati, ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem, ac defenſionem, contra ſæva jacula immundorum ſpirituum. Amen.

Deinde ſubjungat:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Et inungens Oculos, in modum crucis, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Viſum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ℟. Amen.

Poſt abſterſionem Oculorum, dicat:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Aures ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Auditum. In nomine Patris &c.

Poſt abſterſionem Aurium, dicat:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Nares ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionrm, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Odoratum. In nomine Patris &c.

Poſt abſterſionem Narium, dicat:

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Labia ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Guſtum, & illicitum Sermonem. In nomine &c.

Poſt abſterſionem Labiorum, dicat:

Pax tecum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Pectus ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Cogitationes, & effectus cordis. In nomine &c.

Poſt abſterſionem Pectoris, dicat:

Pax tecum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Manus ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Tactum. In nomine &c.

Poſt abſterſionem Manuum, dicat:

Pax tecum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Pedes ungendo, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per Inceſſum. In nomine &c.

Inter abſtergendum Pedes, dicat:

Sit tibi hæc unctio olei ſanctificati, ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem, ac defenſionem contra ſæva jacula immundorum ſpirituum. ℞. Amen.

Deinde, ablutis manibus suis, & stuppa accensa, vel in ignem projecta, dicat Sacerdos, stans ante infirmum:

Vnxi te oleo sanctificato, invocato nomine ipsius, qui olim Sacerdotes, Reges, Prophetas, olei unctione consecrari voluit, obsecrans immensam clementiam ejus, ut det tibi, secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per spiritum ejus, in interiori homine, ut, oleo exultationis ejus misericorditer perfusus, morbi molestiam æquo animo feras, & in charitate radicatus & fundatus, cum omnibus Sanctis comprehendas supereminentem scientiæ charitatem Jesu Christi, Domini nostri, qui vivit & regnas Deus, in secula seculorum. ℟. Amen.

Jam Sacerdos, manum super caput infirmi ponens, dicat:

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & infirmitatem tua potestate depellis, adesto propitius famulo tuo, *vel famulæ tuæ*, ut, fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, per nomen sanctum tuum, instauratam pro[...]nus percipiat sanitatem: qui vivis &c.

Exhibeat deinde Sacerdos infirmo imaginem Crucifixi, ut in eam oculos conjiciat, cum salubri confidentia in passionis merita; & dicat:

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem, concede huic famulo tuo, *vel famulæ tuæ*, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus: Deus, humani generis benignissime conditor, & misericordissime Reformator, qui hominem, invidia Diaboli, ab æterna felicitate dejectum, unici Filii tui pretioso sanguine redemisti, vivifica hunc famulum tuum, *vel, hanc famulam tuam*, & jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur; ne grex tuus detrimentum sustineat; ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet: reple eum, *vel, eam*, omni gaudio cordis, & lætitia spirituali; expelle ab eo, *vel, ea*, omnes hostiles insidias, & mitte ei medicum salutis, Angelum pacis, qui eum, *vel, eam*, in angustiis positum, *vel, positam*, consolationibus tuis attollat, quibus in præsenti consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sequuntur Benedictiones infirmi, quæ fiunt assumto vasculo olei sacri:

Benedicat ✠ tibi Dominus, & custodiat te. ℟. Amen.

Ostendat Dominus ✠ faciem suam tibi, & misereatur tui. ℟. Amen.

Convertat Dominus ✠ vultum suum ad te, & det tibi pacem. ℟. Amen.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; ✠ intra te sit, ut te reficiat; ✠ circa te sit, ut te conservet; ✠ ante te sit, ut te deducat; ✠ post te sit, ut te confortet; ✠ super te sit, ut te undique munitum in miserationibus coronet, & bene✠dicat: qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat, in secula seculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S. descendat super te, & maneat semper.

His

His peractis, Sacerdos infirmum, brevi consolatio-is verbo confortatum, atq; aqua benedicta aspersum, ommendabit Domino in pace. Meminerint autem astores, infirmos suos, post administrationem hujus acramenti, subinde visitare, & consolari in Do-iino.

Notandum, Os rabidi hominis, seu salivam ejus, on esse tangendam in extrema unctione; habet enim im inficiendi: sed tangenda pars ori vicina.

Tempore pestis, in Extrema Unctione, adhiberi po-est virga argentea, sive lignea, ad ungendum e loco emotiore.

Officium Sepulturæ adulti, sive Clerici, sive Laici.

Pro laudabili & antiqua Ecclesiæ consuetudine, corpus adulti defuncti, ante meridiem, cum Missa, orationibusq;, & ceremoniis debitis, (casu necessita-is excepto) sepeliri convenit.

Exequiarum celebratio, ultra sex septimanas, a die bitus, nisi justis de causis, per Ordinarium appro-andis, differri non debet.

Nullus Hæreticus, Judæus, Paganus, excommuni-atus, & publice denunciatus, sacra sepultura est co-onestandus: sicut nec manifestus fœnerator; nisi aut de perceptis usuris satisfecerit, aut, de iis restituen-dis, sufficientem cautionem, juxta juris dispositionem, osuerit. Arcendi sunt etiam a sepultura sacra ii, qui sana mente, ex intentione, seipsos interemerunt, vel, qui in duello occubuerunt.

Cum corpus defuncti fuerit sepeliendum, Sacerdos, Superpelliceo & Stola indutus, procedit de Ecclesia, præ-

præcedente Cruce & Clero, ad locum, ubi jacet corpus, & in domo defuncti, seu ante fores, dicat:

Oremus pro fideli defuncto, *vel, defuncta.*

Deinde legitur Psalmus L. Miserere mei, Deus &c. *vel CXXIX.* De profundis clamavi ad te, Domine &c.

Subjicitur Collecta sequens:

Suscipe, Domine, animam famuli tui, *vel, famulæ tuæ*, quam, de ergastulo hujus seculi vocare dignatus es, & libera eum, *vel, eam*, de principibus tenebrarum, & locis pœnarum, ut, absolutus, *vel, absoluta*, omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine fruatur, & inter Sanctos & Electos tuos, in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Dominum nostrum &c.

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde aspergatur funus aqua benedicta, dicendo:

Rore cœlesti perfundat animam tuam Deus, in nomine Patris &c.

Tunc etiam thurificetur, dicendo:

Odore cœlesti pascat animam tuam Deus, in nomine Patris &c.

His dictis, per personas, pro cujusq; loci more, ad hoc assumtas, effertur funus, subsequentibus vicinis & amicis, atque, inter ducendum, Parochus, & alii Officiales ac Ministri Ecclesiæ, cantant Responsoria, aut legunt Psalmos pœnitentiales, vel Vigilias.

Deposito corpore ad fores Ecclesiæ, vel cœmeterii, dicat Sacerdos:

Ore-

Oremus pro fideli defuncto, *vel defuncta.*

℟. Requiem æternam dona ei, Domine, & lux erpetua luceat ei.

Deinde legitur Psalmus L. Miserere, *vel CXXIX.* e profundis.

Deinde aspergatur funus, & thurificetur, ut supra.

His peractis, corpus defuncti defertur ad locum se- lturæ, Sacerdote interim dicente:

In Paradisum deducant te Angeli, in tuo adventu scipiant te Martyres, & perducant te in civitatem nctam Hierusalem, Chorus Angelorum te susci- at, & cum Lazaro quondam paupere, æternam beas requiem.

Cum perventum est ad Sepulchrum, aspergat illud aqua benedicta, dicendo:

Sanctificetur illud sepulchrum, in nomine Pa- is &c.

Corpore in sepulchrum demisso, aspergitur loculus aqua benedicta, dicente Parocho:

Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in ncta Sion, per Christum Dominum nostrum. ℟. nen.

Deinde, trina immissione aliquantulæ terræ loculum tegendo, dicat Sacerdos:

De terra plasmasti eum, *vel, eam*, ossibus & ner- compegisti eum, *vel eam*, Domine, resuscita m, *vel eam*, in novissimo die. Per Jesum Chri- m, Dominum nostrum. ℟. Amen.

Demum

Demum, apud quosdam, consuevit Sacerdos facere signum Crucis super sepulchrum, dicendo:

Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, sit signatum super te, qui, in hac imagine redemit te. Pax tecum.

Justis his funeralibus persolutis, populus in pace dimittitur, aut, pro consuetudine loci, sacrum incipitur, aut comites funeris domum reducuntur, in gloriam ejus, qui deducit ad inferos, & reducit.

De Sepultura Parvulorum, qui post Baptismum moriuntur.

Parvuli, qui post Baptismum, ante usum rationis, eripiuntur, oratione Ecclesiæ non indigent: quia nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Jesu, & non secundum carnem ambularunt. Et, sicut injuriam faceret Martyri, qui pro Martyre oraret; ita innocentiæ baptismali injurius esset, si quis eis salutis requiem precaretur, qui, innocentes, immaculati, puri, ac Deo dilecti effecti, sunt coheredes Christi, ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.

Quia tamen horum corpusculis, tanquam organis & vasis, sanctus infusus fuit Spiritus, etiam illorum funera officiosa sunt pietate curanda, in protestationem fidei, resurrectionis, & ad laudem divinæ providentiæ, sub qua & ista regeneratorum corpora, requiescere creduntur.

Si vero, ex Ecclesiæ more, horum sepultura, una cum Missa, exequiis, aut Psalmis, pro fidelibus defunctis legi consuetis, (quod tamen abrogari debebat) procuretur, tunc Parochus in memoriam revocet fidelibus,

elibus id, quod dicit Augustinus: Sacrificia, sive altaris, sive quarumcunq; eleemosynarum, quæ pro aptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde onis, gratiarum actiones sunt. *Et, occasione hujus arvuli, qui in albis ad Dominum raptus est, oretur ro defunctis, qui precibus Ecclesiæ indigent; idque iorum more, qui, dum uni benefecit divina clementia, illius occasione, pro alio orare solent, ut ei similiter fiat.*

Ergo, in domo parvuli mortui, aut ad portas cœmeterii, ubi funus positum est, dicat Sacerdos, Superpelliceo & Stola indutus:

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc, nunc, & usque in seculum.

Postea recitat Psalmum CXII. Laudate, pueri, Dominum &c.

Deinde subjungit:

Oremus: Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli, ad cœlorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es, digneris etiam nobiscum misericorditer agere, ut, meritis tuæ sanctissimæ passionis, in eodem regno, nos, cum omnibus Sanctis & Dilectis tuis, semper facias congaudere. Qui vivis & regnas &c.

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Postea fiat thurificatio, & aspersio, eodem modo, quo supra super adultos, projiciendo etiam terram super funus parvuli, in sepulchro positum, dicatq; Sacerdos tribus vicibus:

Sume terra, quod tuum est; sumat Christus, quod tuum est; caro de te, terra, creata est, Spiritus desursum inspiratus est.

De-

Deinde, ubi consuetudo loci habet, occasione hujus infantis, oretur pro fidelibus defunctis, horteturq; Sacerdos circumstantes, dicendo:

Oremus, Dilectissimi, pro hujus parvuli propinquis, & omnibus fidelibus defunctis, in spe misericordiæ requiescentibus.

Deus, in cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus, hic & ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut, a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Dominum &c.

Requiescant in pace. ℟. Amen.

De Sepultura Parvulorum non Baptizatorum.

Pueruli, & quicunq; alii, ex hac vita sine Baptismo migrantes, in loco sacro sepeliri non debent; estq; in iis observandus canon 35. Concilii 1. Braccarensis: Catechumenis, sine redemtione Baptismi defunctis, non oblationis sanctæ commemoratio, nec psallendi impendatur officium. Nec tamen sunt eorum corpora insepulta projicienda, more belluarum, propter humanæ naturæ dignitatem, sed in loco honesto recondenda; quod fiat, sine ullis precibus ac solennitate, a laico: nec quisquam ex clero, etiam vocatus, profanæ sepulturæ intersit.

De Matrimonii Sacramento.

Matrimonii Sacramentum, ex Ecclesiæ consuetudine, præcedere debent Sponsalia, quibus, pro consuetudine loci, Parochus interesse solet, vel non: modo Sponsus & Sponsa, cum testibus, Parocho Sponsalia celebrata significaverint.

Ante-

Antequam Matrimonium in facie Ecclesiæ contra-atur, tribus continuis diebus festivis, hoc est, qui ex ræcepto Ecclesiæ observantur, intra Missarum sole-nnia, aut in Concione antemeridiana, publice denun-ietur; inter quos matrimonium sit contrahendum. Quando Sponsi sunt diversarum Parochiarum, tunc n utraq; Sponsi scilicet, & Sponsæ, parochia denun-iationes sunt faciendæ.

Matrimonia Magnatum non denunciantur, quia n illis cessat omne periculum occultationis impedi-nentorum. Parochus, exteros nequaquam denuncia-it, nisi eorum conditionem noverit, & allato in scri-tis testimonio, quod alium virum vel uxorem non abeant.

Qui novit impedimentum secretum matrimonii, on tenetur illud denunciare, cum suo gravi & con-derabili incommodo, vel aliorum scandalo proba-ili; quia in his casibus, nec fraterna correctio, nec ræcepta Ecclesiæ obligant. Vnde etiam in tali casu on denuncians impedimentum occultum, quod pro-are possit, non incurrit excommunicationem, latam n Edicto denunciationum, contra scienter non denun-iantes. Hinc, si fœmina ex proprio filio, eo id gnorante, filiam suscepit, filio postea cum hac sorore uptias contrahere volente, non tenetur manifestare npedimentum consanguinitatis. Similiter Parochus, ui ex diversis fœminis suscepit masculum & fœmi-am, his nuptias contrahere volentibus, non tenetur nanifestare impedimentum.

Parochus, qui tantum ex confessione novit impedi-nentum inter contrahere volentes, hortari eos de-et, ut dispensationem quærant: quod si id facere ne-ligant, non potest impedire matrimonium. Denun-

ciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii, in facie Ecclesiæ, procedatur.

Irritum est Matrimonium, quod contrahitur aliter, quam præsente proprio Parocho, hoc est eo, in cujus parochia matrimonium celebratur, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia, & duobus aut tribus testibus.

Parochus non ante in Sponsaliorum contractum consentiat, quam perspexerit, desponsandos esse Catholicos, rudimentorum fidei gnaros, ab excommunicatione liberos, ac impedimenti nullius, quod matrimonio obstare possit, conscios.

Matrimoniis eorum, qui vagantur, & incertas habent sedes, Parochi, nisi forte Ordinarius licentiam dederit, interesse non debent.

Habeat Parochus librum, in quo Conjugum & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimonii scribat, hac forma:

Ego N. Rector Parochialis Ecclesiæ Sancti N. tribus diebus festivis continuis, publice denunciavi matrimonium inter A. & B. nulloque legitimo impedimento opposito, ac viro & muliere a me interrogatis, eorumque mutuo consensu intellecto, matrimonium inter dictos A. & B. in facie Ecclesiæ, juxta formam Concil. Trident. die . . . mense . . . Anno . . . in dicta Ecclesia Sancti N. fuisse celebratum, fidem facio, præsentibus N. & N. testibus &c. Ego N. Rector Parochialis Ecclesiæ Sancti N. manu propria.

Sacerdos, celebraturus Matrimonii Sacramentum, indutus Superpelliceo & Stola, in Ecclesia tantum, & non in alio loco, illud aggrediatur. Post debitam

am igitur bannorum proclamationem, cum jam de-
ponsi ad eum locum, ubi, pro consuetudine, hoc Sacra-
entum celebrari solet, pervenerint, stante viro ad
dextram, muliere vero ad sinistram, vultu converso
d utrumq;, explicet eis vim & efficaciam hujus Sa-
ramenti; item, quanta sit hujus vinculi, quo se mu-
uo obstringere volunt, obligatio: ut neq; propter
neliorem, neq; ditiorem, neq; pulchriorem, neq; no-
iliorem, neq; ob ullum defectum, vinculum hoc dis-
olvi possit.

Exhortatione finita, alta & intelligibili voce, pro-
lamet Sacerdos:

Ist jemand hie/ der etwa Irrung oder Hinder-
nuß zwischen diesen Personen wüste/ das Sacra-
nent der H. Ehe betreffend/ der sage und eröffne
olches/bey Christlichen Gehorsam/allhier offentlich/
um erstenmal/ zum andernmal/ und zum dritten-
mal.

Inquirat deinde Sacerdos nomina contrahentium:
licens:

Wie heisst ihr?

Accepto utriusq; responso, pergat interrogare
Sponsum:

N. ist das noch euer endlicher und beständiger
Will und Meinung/ mit dieser gegenwärtigen N.
n Ehren ehelich zu werden/ ihr auch eheliche Treue
nd Glauben zu halten/ Sie/ als euren eignen Leib/
eben/ ernähren/und verwahren/Sie auch/ in keiner
ufallenden Widerwärtigkeit/ und Trübsal/ nicht
u verlassen/ sondern bey Ihr zu verbleiben/ und zu
erharren/ bis daß euch endlich beede der Tod schei-
et/ so sprecht/ Ja.

Poſtea, eodem modo interrogetur Sponſa.

Si uterq; affirmat, dicat ulterius Sacerdos ad Sponſum:

Zu mehrerer Bekräfftigung des heiligen Wercks gebt einander die Mähl-Ringe/ und die Hände.

Dum annulos ſibi invicem porrigunt, dicat:

Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus, & tanquam Sponſum decoravit me corona.

Tunc amborum manus Stola ſua circumvolvat, atq; dicat:

Matrimonium in facie Eccleſiæ, inter vos, me annuente, contractum, Deus confirmet, & ego illud approbo, perficio, & ſolennizo, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S. Amen.

Recitentur deinde benedictiones, pro conſuetudine Eccleſiæ, & Pſalmus CXXVII. Beati omnes, qui timent Dominum &c. *Item ſequens oratio:*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primos noſtros parentes bona ſocietate copulaſti, bene ✠ dic & ſancti ✠ fica hos adoleſcentulos, & ſemina in eis ſemen vitæ æternæ. Corda eorum tui ſancti Spiritus mundes infuſione, & ſinceri amoris copules nexu perpetuo, Angelo pacis comitante, a mortifera Dæmonum infeſtatione eos cuſtodias, & omnes mentis & corporis adverſitates ab eis repellas; ut, munimine tuo protecti, & te donante, devote laudent nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum. ℞. Amen.

Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ S. deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℞. Amen.

Poſtre-

Postremo, Aqua benedicta novos conjuges aspergat, dicens:

Aspergat vos Deus rore gratiæ, in vitam æternam. nen.

Animadvertat Parochus, illorum Conjugum nuptiis n esse benedicendum, quorum alter in prioribus nu- iis benedictionem accepit; alioquin, secundis nuptiis nedicens, ipso facto in pœnam suspensionis incidit. terit autem, si opportunum ei videbitur, pro Con- gibus, coram altari genua flectentibus, ad divinam atiam invocandam, recitare Psalmum LXVI. Deus isereatur nostri &c. *& postea addere:*

Gloria Patri &c. Kyrie eleison &c. Pater no- r &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

S. Salvum fac Servum tuum, & Ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantes in te.

S. Mitte eis auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

S. Nihil proficiat inimicus in eis.

℟. Et Filius iniquitatis non nocebit eis.

S. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

S. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus ob sit vobiscum, vosque conjungat, & ipse im- at hereditatem suam in vobis, ut videatis Filios

Filiorum vestrorum, usque in tertiam & quartam generationem, ut postea vitam æternam habeatis sine fine, adjuvante & præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Modus Concionandi.

Erstlich sollen die Priester / wann sie auf die Cantzel tretten / etwas wenigs / und so lang / als ein kurtzes Ave Maria, still stehen / bis sich das Volck am Aufstehen recolligirt. Darauf / in Lateinischer Sprach / mit dem Creutz-Zeichen / anfangen.

In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S. Amen.

Nach dem folgt Lateinisch das Thema, aus dem Evangelio / welches dem Prediger gefällig: Als / zum Beyspiel / am Neuen-Jahrstag: Et vocatum est nomen ejus Jesus. Lucæ 2. Capite.

Darnach soll er mit lauter Stimm anfangen: Die Gnade GOttes des Allmächtigen / das reichliche Verdienst unsers Heylands und Seligmachers JEsu Christi / die Erleuchtung GOttes des Heiligen Geistes / sey mit uns allen. Welche solches von Hertzen begehren / die sprechen das einige Wörtlein / Amen.

Folgend soll er sagen: Die Wort / so Eurer Lieb und Andacht aus dem Heiligen Evangelio / in Lateinischer Sprach / seynd fürgetragen worden / beschreibt der Heilig Evangelist und Cantzler Christi / Lucas / am 2. Capitel / und lauten auf unser Teutsch also:

Und sein Name ward genannt JEsus.

Alsdann soll er/ mit niedergelassener und halber Stimm / folgende Wort sagen: Etwas mehrers nd weiters mir zu reden / und euch anzuhören/ n und vermag ich / ohne sondere Gnad und eystand GOttes des H. Geists/ nicht verrich- n. Bitte derohalben Euer Lieb und An- acht / die wollen mit mir niederknien/ bemeld- Göttliche Gnad / mit einem andächtigen Vatter Unser / und Englischen Gruß/ andäch- g und demüthig begehren.

Nach Vollendung dieses alles/ stehet der Predi- er auf / und ermahnt das Volck / mit nachfolgen- en Worten:

Stehet auf / und bezeichnet Euch mit dem eichen des H. Creuzes. Und also macht der riester/ sein langsam / damit es Junge und Alte/ hen und lernen können / das Zeichen des H. Creu- es/ mit dem Daumen/ an die Stirn/ Mund/ und rust / und sagt darauf: Höret den Text des . Evangelii / so / nach Ordnung der H. all- emeinen Christlichen Kirchen / in Ampt der . Meß gesungen und gelesen wird / beschreibt ns der H. Evangelist und Cantzler Christi N. iner Evangelischen Beschreibung am N. Ca- itel/ und lauten die Wort/ von Latein/ auf un- r Teutsch also.

Solches Evangelium soll der Prediger langsam nd verständlich / nicht in einem Thon / sonder wie ie Wort mancherley Sachen anzeigen / also auch enen gleich / die Stimm formiren und verlesen.

Wann nun das Evangelium ein End hat / so ll der Prediger sagen: So viel seynd der Wort es heutigen H. Evangelii: durch welcher Wort

Krafft und Macht / verzeihe uns GOtt alle unsere Sünd und Missethat. Amen.

Nach der Predigt.

Nach der Predigt/ soll der Prediger das gemeine Gebet dem Volck fürbeten. Hernach der Krancken und Betrübten / so des gemeinen Gebets begehren / nicht vergessen / und diese Wort vermelden: Für diese / und alle andere / so unsers Gebets bedürfftig seynd / kniet nieder / und bettet ihnen allen zu Trost und Hülff / ein andächtig Vatter unser / und Englischen Gruß.

Alsdann soll der Prediger die Heyrathen / item die Feyer- Fest- und Fast-Täge / so in folgender Wochen werden einfallen / verkündigen. Wann nun dieses geschehen / soll er weiter sagen: Damit unser Gebet und Kirchgang GOtt dem Allmächtigen desto angenehmer sey / so reiniget euer Gewissen / mit Bezeichnung des Heiligen ✠ Creutzes / und sprecht mir nach die offene Schuld und Beicht: Ich armer Sünder widersag dem bösen Feind ꝛc.

Nach Vollendung der Beicht/ soll der Priester also sprechen: Der allmächtig / gnädig und barmhertzig GOTT / wolle sich unser erbarmen / und uns unsere Sünden gnädig verzeihen und vergeben. Amen. Und alsdann mit nachfolgenden Worten beschliessen: Jetzund nicht mehr / dann ich setz Eure Seelen und Leib in den Schutz und Schirm (allda macht er ein ✠ Creutz über das Volck) GOttes des Vatters/ des Sohns ✠ und des Heiligen ✠ Geistes. Bittet GOtt für mich armen Sünder; dergleichen will ich auch thun in meinem Gebet.

Parochus debet, minimum Dominicis diebus & festis solemnibus, in Ecclesia sua populo prædicare. Idem, vel per se, vel per alios, impensis suis, conciones habeat, omnibus diebus festis, & in Quadragesima, si non quotidie, saltem tribus in hebdomade diebus.

Unusquisq; pro audienda Concione, tenetur Parochiæ suæ interesse, si id commode fieri possit. De hoc monendus est populus; non tamen excommunicandus, si non paruerit.

De Exorcismo Obsessorum.

Laboriosam, difficilem, ac plane divinam exorcizandi praxin, aggressurus, imprimis conscientiæ puritati studeat, Apostoli Ephes. 6. monitum mente volutans: non esse nobis luctamen adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates; contra mundi rectores tenebrarum, ac spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Non igitur, nisi spiritualibus armis, spirituales vinci potestates, certissimum est, quæ bona sunt conscientia, & mens, omni criminum labe munda.*

Fides etiam, in hoc Dei opere, est necessaria, tanquam fundamentum, quo deficiente, omnia ruunt. Per hanc autem, non intelligitur tantum Christianæ Religionis firmitas, sed & illa, quæ Christi sponsionem Marc. 16. In nomine meo ejicient dæmonia; *indubitato credit. Quod si vero eventus semper non respondeat, id vel nostris flagitiis, vel ipsius Dei reconditis judiciorum arcanis, tribuendum erit, ut videlicet frænum sit Diabolus, ne in graviora scelera labantur homines, aut, ut majori præmio digni efficiantur.*

Krafft und Macht / verzeihe uns GOtt alle unsere Sünd und Missethat. Amen.

Nach der Predigt.

Nach der Predigt/ soll der Prediger das gemeine Gebet dem Volck fürbeten. Hernach der Krancken und Betrübten / so des gemeinen Gebets begehren / nicht vergessen / und diese Wort vermelden: Für diese / und alle andere / so unsers Gebets bedürfftig seynd / kniet nieder / und betet/ ihnen allen zu Trost und Hülff / ein andächtig Vatter unser / und Englischen Gruß.

Alsdann soll der Prediger die Heyrathen / item die Feyer- Fest- und Fast-Täge / so in folgender Wochen werden einfallen / verkündigen. Wann nun dieses geschehen / soll er weiter sagen: Damit unser Gebet und Kirchgang GOtt dem Allmächtigen desto angenehmer sey / so reiniget euer Gewissen / mit Bezeichnung des Heiligen ✠ Creutzes / und sprecht mir nach die offene Schuld und Beicht: Ich armer Sünder widersag dem bösen Feind ꝛc.

Nach Vollendung der Beicht/ soll der Priester also sprechen: Der allmächtig / gnädig und barmhertzig GOTT / wolle sich unser erbarmen / und uns unsere Sünden gnädig verzeihen und vergeben. Amen. Und alsdann mit nachfolgenden Worten beschliessen: Jetzund nicht mehr / dann ich setz Eure Seelen und Leib in den Schutz und Schirm (allda macht er ein ✠ Creutz über das Volck) GOttes des Vatters/ des Sohns ✠ und des Heiligen ✠ Geistes. Bittet GOtt für mich armen Sünder; dergleichen will ich auch thun in meinem Gebet.

Paro-

Parochus debet, minimum Dominicis diebus & fe-
is solemnibus, in Ecclesia sua populo prædicare.
dem, vel per se, vel per alios, impensis suis, conciones
abeat, omnibus diebus festis, & in Quadragesima, si
on quotidie, saltem tribus in hebdomade diebus.

Vnusquisq; pro audienda Concione, tenetur Pa-
ochiæ suæ interesse, si id commode fieri possit. De
oc monendus est populus; non tamen excommuni-
andus, si non paruerit.

De Exorcismo Obsessorum.

Laboriosam, difficilem, ac plane divinam exorci-
andi praxin, aggressurus, imprimis conscientiæ puri-
ati studeat, Apostoli Ephes. 6. monitum mente vo-
utans: non esse nobis luctamen adversus carnem &
anguinem, sed adversus Principes & Potestates;
contra mundi rectores tenebrarum, ac spiritualia ne-
quitiæ in cœlestibus. *Non igitur, nisi spiritualibus*
rmis, spirituales vinci potestates, certissimum est, quæ
ona sunt conscientia, & mens, omni criminum labe
nunda.

Fides etiam, in hoc Dei opere, est necessaria, tan-
quam fundamentum, quo deficiente, omnia ruunt. Per
hanc autem, non intelligitur tantum Christianæ Reli-
gionis firmitas, sed & illa, quæ Christi sponsionem
Marc. 16. In nomine meo ejicient dæmonia; *in-*
dubitato credit. Quod si vero eventus semper non
respondeat, id vel nostris flagitiis, vel ipsius Dei re-
conditis judiciorum arcanis, tribuendum erit, ut vi-
delicet frænum sit Diabolus, ne in graviora scele-
ra labantur homines, aut, ut majori præmio digni
efficiantur.

Dehinc, exactissimam morbi investigationem, circa eum, qui obsessus creditur, facere debet Exorcista, ne, quod a causis naturalibus, uti malincolia, vere procedit, a Dæmonum malitia manare credatur, atq; sic tempus frustra teratur, non sine Dei, ejusq; Ministri contemtu.

Amplius, paret Exorcista varia remedia, juxta diversitatem obsessionis: quæ sunt vel mere spiritualia, uti exorcismi; vel mixta, scilicet corporalia, cum benedictionibus, Ecclesiæq; Catholicæ ceremoniis, semper copulata. Talia sunt, aqua benedicta, unctiones, brevia sacra, amuleta, orationes, scripta Dei nomina atq; Sanctorum, lapides virtute præditi, ac benedicti; herbarum varia genera; vivificæ Crucis lignum, Divorumq; reliquiæ; fumigationes, aromata; locorum, stratorum, indusiorum, & indumentorum frequentes mutationes; lustrationes; & vini, salis, panis, ciborumq; omnium benedictiones exorcismales.

Est quoq; necessarium, observare Dæmonum naturam, si videlicet sint timidi, si arrogantes, si taciti, si loquaces, si pertinaces, si faciles, si hilares, si tetri, si feroces, si mendaces, si aliquoties vera proferentes. Præterea, si se præferant aëreos, si aquaticos, si terrestres, si igneos; si septentrionales, si meridionales, si orientales, si occidentales; si infimos, si principes, si fortes, si imbecilles; si extrinsecos, si intrinsecos, si adjunctos, si solutos; si tandem pacti vinculo detentos: ut, juxta ipsorum genera, naturas, propensiones, ac modos, prudens Exorcista, in exorcismorum applicatione, Dæmonumq; expulsione, certam regulam servet; cum varia torqueantur ratione, & expellantur.

Signa

Signa, ad dignoſcendum Dæmoniacum, ſive obſes-m, ſunt varia. Sed, primum atq; certiſſimum dia-licæ præſentiæ, eſt actio, humanas ſuperans artes & duſtriam: ut, locutio alieni idiomatis, quod nun-iam didicerit creatura vexata; aut, prolatio rerum, ejusdem capacitate longe remotarum; vel, ſi con-entus muſicos, ſuis numeris perfecte digeſtos, Muſi-e imperitus emittat; aut, ſi fœmina, vel alia debilior reatura, multorum ſuperet vires. Iſtis porro nunc ac-edunt, occulta renunciare, prædicere futura, occul-a adducere; abhorrere a ſacris, Sacerdotes, Sancto-um tumulos atque reliquias fugere, ita, ut ad eorum dmotionem, fremere Dæmon audiatur, & videatur rigidi ſudoris guttas emittere; difficulter ſacra & reces proferre; Exorciſmos, Evangelia, maximo um tædio audire; præcipites ſe dare, aut in ignem ponte conjicere; ſtridere dentibus, & ſpumare; vo-es emittere, brutorum ſonis non abſimiles; veſtes, ac ropria dilacerare membra; terribiles monſtrare ocu-orum acies; & alia ejus generis.

Cum conſtat, aliquem a Dæmone obſideri, ad Exorci-ſmos progrediendum, atq;, ut Dæmon occultus detegatur, ſic conjurare eum oportet, iteratis vicibus:

✠ Clemens ✠ Creator ✠ Eloha ✠ te formidant omnes Angeli, te adorant Archangeli, Verbum Pa-tris ingeniti. Amen.

✠ Exorcizo vos, ut compareatis, per hæc terri-bilia Dei Creatoris veſtri nomina, Scemamphoras ✠ Jehova ✠ Tetragrammaton ✠ Jeſus Chriſtus. Amen.

Porro dicatur devote, genibus flexis:

Oremus: Præceptis ſalutaribus moniti, & divina

inſti-

inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter qui es in cœlis &c.

Poſtea, in capite infirmi cruce ſignando, dicatur:

✠ Chriſtus autem, transiens, per medium illorum ibat. ✠

✠ Chriſtus Rex venit in pace ✠ Deus homo factus eſt. ✠

Deinde, in ore ſignando, dicatur:

✠ Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. ✠

In colli nuca ſignando, dicatur:

✠ Si ergo me quæritis, ſinite hos abire ✠

In pectore ſignando, dicatur:

✠ Chriſtus vincit ✠ Chriſtus regnat ✠ Chriſtus imperat.

Præceptum ſpiritui faciendum, ut in linguam aſcendat.

Deus verax eſt, quem nulla latet cogitatio, ſcrutans corda, & renes. Oculi ejus de cœlo in terram aſpiciunt; & non eſt, qui ſe abſcondat a ſcientia ejus. Præcipio igitur tibi, in virtute iſtorum verborum ✠ Yſchiros ✠ Agios ✠ Otheos ✠ Alpha ✠ Omega ✠ Jeſus: & in virtute magna, illius, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt: ut nullo pacto veritatem me celetis, nec numerum dæmonum hoc in corpore habitantium: ſed ſtatim omnes & ſinguli ſuperius aſcendatis: nec loquatur unus pro cunctis, ſed ſinguli pro ſingulis: & hoc ex imperio illorum Angelorum, Deique nunciorum, Michaël ✠ Gabriel ✠ Raphaël ✠ Amen.

Deum,

Deum, qui te genuit, reliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. ✠ Declinate ✠ a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. ✠

Forma interrogatoria, Dæmoni facienda.

Ego indignus Sacerdos, & minister Altissimi, auctoritate mihi tradita a Sancta Romana Ecclesia, super Inferni Principes, præcipio tibi, nomine Divinæ Majestatis, ac Domini nostri Jesu Christi, item in virtute, & per virtutem suæ Humanitatis, Divinitatis, & Excellentiæ; nec non imperio potentiæ Throni Sanctissimæ Trinitatis, ut statim, nullo mora interjecta & fallacia, patefacias mihi nomen tuum. Insuper, ex qua legione sis, & de qua hierarchia: etiam, an sis aëreus, terreus, vel subterraneus, aut ex alia aliqua specie; &, de qua natura, cuique potestati subjaceas. Item, quomodo huc es ingressus; qui sint socii tui, & quomodo vocentur. Ex qua legione, potestate, hierarchia, sint & ipsi, & quomodo eorum magistri nominentur. Etiam præcipio tibi, ut exponas, absque mendacio, in quo climate & hemispherio cecideris, cum, per defectionem tuam, ab Omnipotente expulsus fuisti. Præterea, impero tibi, ut explices, unde sis, a partene orientali, meridionali, occidentali, an septentrionali. Præcipio etiam tibi, ut dicas mihi, num alias in aliud corpus fueris ingressus; &, quisnam te ejecerit, atque unde expulerit: qua die, quave hora, de quo loco vel membro illius corporis egressus sis, & qui vocetur princeps præceptoris, vel magistri tui. Etiam dicas mihi, ad honorem Dei vivi, magni, terribilis, atque mirabilis, cujus nomine te conjuro, ✠ & potestatem habeo expellendi te ab hoc corpore, quam diu

diu est, cum ingressus es in locum istum: qua forma, qua die, qua hora, qua tandem ex causa; cum hoc corpus humanum, nec sedes, nec domus, nec mansio tua sit. Præcipio tibi præterea, ut sincere mihi fatearis verum, an in hunc eundem locum alii venerint spiritus, in auxilium & favorem tuum, & ex qua hierarchia & legione: An intus, vel extra permaneant: an sint majores, minores, vel tibi æquales, &, sub cujus potestate reperiantur, cujusque naturæ & regionis ipsi sint. Hæc omnia, supra relata, & singula, sigillatim atque distincte adjuro te ✠ exorcizo te ✠ conjuro te ✠ tibique præcipio ✠ per Deum verum & vivum, ut vere mihi enarres, ad honorem & gloriam ejusdem Altissimi ✠ ac Domini nostri Jesu Christi ✠ utriusque Curiæ cœlestis.

Præceptum Spiritui taciturno, dum se loquelæ expertem simulat.

Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi, omnisque spiritus laudet Dominum. Præcipio tibi, in virtute istorum verborum, Agios ✠ Yschiros ✠ Haniel ✠ Cherub, ne claudas ora canentium Deo in confessione; & hunc, quem mutum ostendis, sinas loqui, quemadmodum Jesus Salvator noster dixit: Ephata, quod est aperire os; & solutum fuit vinculum linguæ obmutescentis: & ad cujus imperium, ejiciendo Dæmonem, statim, qui erat mutus, loquutus fuit. Loquere ergo, tu spiritus immunde, nec te elinguem simules, cum sis centiloquus; & hunc patientem ne impedias ad loquendum, & ad canendas laudes Domini Dei sui. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S. Amen.

Præceptum Spiritui loquaci, ut taceat.

✠ Verbo Domini Dei cœli firmati ſunt: ſic tu
aceas, & obmuteſcas. ✠

✠ Deus noſter Omnipotens in medio terræ re-
ordatus eſt facere miſericordiam. ✠

✠ Deus ſuperbis reſiſtit ✠ Quis ut Deus omni-
otens? Quis ut Deus fortis atq; mirabilis? Eloym ✠
Eloha ✠ Tetragrammaton ✠ Jeſus ✠ Meſſyas. ✠

Præceptum, ad cohibendam falſam Dæmonis lætitiam, & riſum.

✠ Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cu-
bilibus ſuis. Sicut Beatis in cœlorum patria, jam
non erit amplius luctus, neque clamor, neque tri-
ſtitia, ſed riſus jucunditatis ſempiternus. Ita ego
præcipio ac mando tibi, damnate ſpiritus, in vir-
tute iſtorum verborum, Athanatos ✠ Otheos ✠
Agla ✠ Jehova ✠ Eloha ✠ Sabaoth ✠ quod ſuper
e, vice verſa, ſit perpetuus luctus, ignis, ſulphur, ac
ſpiritus tempeſtatum, quibus teneris, & cruciaris,
& ne riſum ſimules; cum potius lugendum ſit, ac
ululandum, rugitusque leonum mittendi, ob tuam
maximam miſeriam: quia nulla tibi ſupereſt gloriæ
ſpes, & quietis, unde ridere poſſis & exultare, quin
potius perpetuo lugere.

Præceptum Spiritibus faciendum, ne in circum-ſtantes maledicta congerant.

Cave, cruenta beſtia, ne verbum ullum in aliquem
ſtantium proferas, eosque contumeliis offendas,
nec quicquam contra eos muſſites, neque occultum,
neque manifeſtum, ſed taceas ea, ac prorſus obmu-
teſcas, virtute iſtorum divinorum verborum, El ✠
El ✠ Eloym ✠ Eloha ✠ Tetragrammaton ✠ Je-
ſus Chriſtus. ✠

Præceptum, ne Spiritus recedat a lingua.

✠ In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus. Præcipio tibi, in virtute verborum iſtorum ✠ On ✠ El ✠ Tetragrammaton ✠ ut, ſicuti Deus magnus & omnipotens, mari legem & terminum poſuit, quem non transgredietur, neque convertetur, ut terram operiat, ſic, ad imperium ipſius nominis Dei, moveri non poſſis de loco, in quo manes, &, quandocunque vis, nequeas, niſi ego tibi dixerim. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S. Amen.

Cum fingit ſe Dæmon obdormire, dicat Sacerdos.

Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere. ✠

Obſcurentur oculi veſtri, ne videant; & dorſum veſtrum ſemper incurvet Deus. ✠

Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. ✠

Cum percutit, vel elidit obſeſſi caput.

Convertatur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat. ✠

Tu contribulaſti capita draconum in aquis ✠ Baptiſmatis.

Ipſa Virgo virginum conterat caput tuum. ✠

Cum obſeſſi membra contorquet.

Tu quidem, ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi, defunctos nos, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.

Cum ſtridet dentibus, & minatur.

Molas leonum confringet Dominus. ✠

Dentes eorum contriviſti, Domine, ✠

Haben

Habentur amplius, in Exorcismariis, cujusq; diei festi, per totum annum, Exorcismi peculiares: e quibus illi, qui in festo Omnium Sanctorum adbibentur, valeant pro exemplo.

Exorcismus in Festo Omnium Sanctorum.

✠ Sapientiam Sanctorum narremus omnes, & laudes eorum, in Dei Ecclesia alacriter propalemus; quia Justorum nomina vivent in seculum seculi. Memoria autem vestra, o iniquissimi Dæmones, o pessimi damnati, pereat cum sonitu: quoniam Jesus Christus, unicus Dei genitus, Beatorum Pater & Caput, Cœlorum Angelorumque Dominus, de Virginis utero carnem sumens, Sanctorum Sanctus vocari, ac sanctitatem suam hominibus communicare, æternamque gloriam, a vobis spiritibus immundis amissam, Justis elargiri voluit; alios præmittens, ante sui ortum, Patriarchas, & Prophetas; alios, post suum adventum, creans Apostolos; alios, post gloriosum in cælos ascensum, designans Martyres; alios Pontifices, alios ordinans Confessores atque Doctores; aliosque Virgines, & continentia præditos; de quibus omnibus a Joanne audistis, turbam ipsum vidisse magnam, quam dinumerare nemo valeret, ex cunctis gentibus, tribubus, populis, linguis; stantes ante thronum, in conspectu Agni, amictos stolis albis; habentes nomen Dei Tetragrammaton scriptum in frontibus; palmasque in eorum manibus, in signum victoriæ, tenentes, quam, de vobis, inferni hostibus, referre digni fuerunt.

Hanc igitur felicissimam, lucidissimam, inclytamque Beatorum copiosam turbam, & cœlestium armatorum exercitum invictissimum, in nostrum au-

xilium humiliter invocantes, ut vobis, hanc Dei creaturam infestantibus, occurrat, vos mecum conjuret ✠ vos adjuret ✠ vos exorcizet ✠ ut virtute omnipotentis Dei Patris ✠ Dei Filii ✠ Deique Spiritus ✠ cogamini (sive unus, sive plures sitis,) Sacerdotis obedire voluntati, & ad mei nutum, atque præceptum, tanquam excelsi Dei ministri (licet immeriti) incunctanter cedere. Vt videlicet, si hic simpliciter maneatis, illico, absque ullius læsione creaturæ, procul abscedatis, & veloces fugiatis, amplius ad eam non reversuri. Si vero sub alicujus maleficii, atque incantationis detentione, hic, sive intus, sive deforis, commoramini, per aliquod signum, pactum, dictum, scriptum, opus, & artem, quomodolibet, sive ab homine, sive a spirituali potentia compactam, initam, efformatam, sive mediate, sive immediate, per auctoritatem sacerdotalem mihi concessam, & in nomine Dei Sother ✠ Sabaoth ✠ Adonay ✠ Tetragrammaton ✠ & per merita Sanctorum omnium, vos omnes exorcizo ✠ adjuro ✠ cogo ✠ nec non cunctis vobis faventibus, vos juvantibus, ac impedientibus, impero ✠ huc illa adducere; vel cuncta mala figmenta vestra prædicta omnino evertere: uti & in præsentia ego ipse, eadem, superna Dei mihi tradita virtute, & in Altissimi nomine, destruo ✠ solvo ✠ absolvo ✠ deleo ✠ atque ad nihilum redigo. ✠

Si vero intra, vel extra hoc humanum corpus, aliqua visibilis, vel invisibilis adsit potentia, quæ Dei jussis, per me injunctis, & injungendis, resistere audeat, opem ferendo, obstando, aut aliter præcipiendo: ego ipse Dei minister, Deique instrumentum, nomine potentissimæ atque individuæ Trinitatis,

nec

ec non & omnium Angelorum, Archangelorum, atriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum, illam exorcizo ✠ adjuro ✠ debilito ✠ deleo ✠ ac penitus destruo ✠ in nomine, & potentia ſanctiſſimæ Trinitatis. ✠

Quod ſi tum vos, tum ſocii veſtri, ubicunque commorantes, conſueta veſtra atque diabolica duritie, ſacerdotalibus inſtitutis atque præceptis reluctare audeatis; iterum ego ipſe, nomine Dei excelſi, qui mundum ex nihilo condidit, & rebelles ſpiritus, jure optimo, ob eorum ſuperbiam, in inferni ſeptis æternaliter clauſit, condemno vos, & illos, ad augmentum pœnarum veſtratum infernalium accidentalium: ita ut, ſingulis quibusque momentis, augeantur contra vos ſemper, donec mihi, excelſi Dei miniſtro, adamuſſim obtemperetis. Verba igitur conjurationis meæ vobis, ſociiſque veſtris, cujuscunq; ordinis, velut ignis, ſulphur, ac ſpiritus procellarum de cœlo cadentium ſint, ad veſtrum omnium cruciatum, flagellum, ardorem, ac ſine fine tormentum.

Sanctorum igitur exercitus, in cœlo gaudentium, vos damnatos mihi parere cogat ✠ vos turpiſſimos juxta præfatum meum propoſitum & ſententiam, obtemperare coarctet ✠ vos coërceat ✠ vos exorcizet ✠ vos adjuret ✠ vos conjuret ✠ vos ad cedendum compellat. ✠ Et ego iterum, nomine tremendiſſimæ majeſtatis, in throno divinitatis excelſo ſedentis, vos conjuro: ✠ in nomine Agni, ſtantis in cœlis, tanquam occiſi, vos flagello: ✠ nomine Dei Jehova; vos debilito: ✠ nomine Dei Agla, vos incendo: ✠ nomine Dei Sabaoth, vos peſſundo: ✠ nomi-

nomine Dei Agyos, vos percutio: ✠ nomine Dei Otheos, vos fugo: ✠ nomine Dei Athanatos, vos jaculis confodio. ✠ Conjuro vos per Deum vivum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ per Deum unum. ✠ Conjuro vos ✠ per Dei majeſtatem, quæ ab Angelis, & hominibus adoratur. Adjuro vos ✠ per Sanctum Sanctorum, qui promiſit Abrahæ, ſemen ſuum ſe aucturum ſicuti cœli ſidera, & veluti arenam maris, quæ numerari nequaquam poſſunt. Conjuro vos ✠ nigerrimas belluas, per Deum ſummum, qui poſuit animas ſervorum ſuorum, lapides vivos, in templo gloriæ ſuæ; vosque damnatos ſpiritus, lapides duros, & mortuos, in inferni barathrum præcipites labi juſſit. Conjuro vos, infames dœmones, ✠ per Dei ſapientiam, qui permiſit ſervos ſuos electos in paucis vexari, ut in multis bene diſpoſiti, virtutum probationibus, illos dignos ſe inveniret: vos autem in malo pertinaces, absque fine, & præmio, perennibus affici cruciatibus. Conjuro vos ✠ per Dei clementiam, cujus gratia & miſericordia, eſt in electos ejus tantummodo: non autem erga vos, qui in æternum omni bono privamini. Conjuro vos ✠ per Dei pulchritudinem, qui poſuit ſpeciem cœli, gloriam ſtellarum; ſervorum videlicet ſuorum in ſupernis, Dei lumine luceſcentium, in perpetuas æternitates: illo, inquam, lumine, o damnati dæmones, quod vos peccantes perpetuo amiſiſtis, atque indeficientibus tenebris convoluti eſtis. Conjuro vos ✠ ſceleſtiſſimos, per Dei magnificentiam, qui laudabiles viros glorioſos, parentes noſtros, in generatione ſua effecit: opprobrium inducens ſupra vos protervos ſpiritus infernales, qui ante Domini majeſtatem vos ſupplices proſternere

ernere renuiſtis, & Creatorem veſtrum, o ingra-
ſſimi, reliquiſtis. Conjuro vos ſpurciſſimos dæmo-
es, ✠ per Dei bonitatem, qui elegit Juſtos ex omni
arne: dealbavit eos, & veluti aurum igne probavit
los. Vos autem ſpiritus tartarei regni reprobavit,
ammisque ſempiternis concremandos merito deſti-
avit. Conjuro vos execrabiles ✠ per Dei gloriam,
uæ, uti æthereus refulgens Sol in clypeos aureos, San-
torum montes ſplendere fecit; ex qua exarſiſtis &
os Dei hoſtes, Deique rebelles, tanquam ignis in
pinis: quoniam magna ſunt Excelſi opera in conci-
o Juſtorum, congregationeque Sanctorum.

Hi enim ſunt, quos delegit Dominus, in charitate
on ficta. Hi ſunt, qui ſuum ſuper cuncta dilexere
actorem; & Jeſum Redemptorem, in vita ſua, ex
ota anima, ex toto corde, ex tota mente; item &
roximos, tanquam ſeipſos, propter Deum, arden-
iſſimo proſecuti ſunt amoris affectu. Hi ſunt, qui
uum ſequuti ſunt Dominum Redemptorem in mor-
e ſua. Hi ſunt, qui ad cœlorum venerunt culmen, de
ribulatione magna, lavaruntq; ſtolas corporum ſuo-
um in ſanguine Agni. Illius, inquam, Agni, quem
nagnus præmonſtravit Baptiſta, dicens: ecce Agnus
Dei, qui tollit peccata mundi. Mundi crimina ſu-
tulit Dei Filius Jeſus, hominum videlicet, non An-
gelorum apoſtatarum, non ſpirituum immundorum,
non veſtra, o dæmones perverſi, qui obſtinati, at-
que radicati in ſceleribus veſtris permanſiſtis. Hi ſunt,
qui fortiter cum Jeſu in tentationum, & paſſionum
uarum certamine, perſeveravere. Hi ſunt, quorum
ublimia opera voces ſuas in omnem effuderunt terra-
um orbem. Hi ſunt, quorum doctrina, uti Solis ac Lu-
æ ſideribus, ſancta refulget Eccleſia. Hi ſunt lucernæ,

ſuper ipſius Eccleſiæ candelabrum appoſitæ ; ut lucem irradient omnibus, qui intra Dei habitant domicilium: non autem vobis obſcuriſſimis, teterrimis, nigerrimis, qui tenebras dilexiſtis magis, quam veram Dei lucem. Hi ſunt, qui magna Excelſi opera, pleno ore annunciaverunt, & facta illius, valde mirabilia intellectu, firmiter perceperunt. Hi ſunt, quorum os indefeſſe Dei ſapientiam meditabatur, & aſpernabatur mundi ſtultitiam. Hi ſunt, qui, nefandorum, ac tyrannorum principum juſſa fortiter contemnentes, præmia meruere perpetua. Hi ſunt Nazaræi candidi, ſplendorem Dei Eloym dantes, & adverſus tenebras veſtras jugiter concertantes. Hi ſunt, qui non eſurient, neque ſitient amplius; nec ſeveritatis, atque juſtitiæ Sol ſuper illos cadet, ſed nec ullus afflictionum æſtus eos tangere potuit: quibus & vos, infeliciſſimi dæmones, merito ſine fine ardetis in pœnis veſtris. Hi ſunt, qui, fide vincentes, regna Altisſimi adepti ſunt cœlorum promiſſa. Hi ſunt gentes mites, tranquillæ, habitantesq; confidenter. Hi ſunt olivæ fructiferæ, in domo Dei in excelſis. Hi ſunt palmæ Domini exercituum. Hi ſunt, qui neque mortem, neque luctum, neque clamorem, neque dolorem guſtabunt amplius: quia ipſemet Omnipotens, omnem jam lachrymam ab eorum oculis tergere dignatus eſt. Hi ſunt, qui, beatitudine pleni, in domo Domini Sabaoth perpetuo commorantur. Hi ſunt palmites, a Chriſti excelſa vite germinantes. Hi ſunt, qui ex toto corde Deum ipſum exquiſierunt : quem & vos, beneficii immemores, deſeruiſtis. Hi ſunt Paradiſi fontes, qui exemplis, atque doctrinis, terram deſertam & ſterilem irrigare non deſinunt. Hi ſunt nubes, rorem ſtillantes gratiarum a Deo deſuper

per orbem: attamen ignem, atque tonitrua, contra vos pessimos inferni cultores, validissime demittentes. Hi sunt lapides pretiosi, quibus plateæ Jerusalem cœlestis atque sublimis sterni dicuntur. Hi sunt stellæ, maximo cum ordine in cœlestibus motum habentes: unde & vos miseri dejecti fuistis, post Luciferum principem vestrum. Hi sunt, quorum animæ in manu excelsi repositæ; ideoque eas mortis tormentum, ac cruciatus tangere nunquam possunt. Hi sunt aurum in fornace tribulationum probatum, acceptumque a Deo, quasi holocausti hostia in sublime recepta. Hi sunt, quorum capita, corona aurea a Domino redimita fuere, in signum sanctitatis, in gloriam honoris, opusque fortitudinis singulare: quæ quidem corona, o infelicissimi spiritus, cecidit jam, jam cecidit de capite vestro, elatione plenissimo: cumque ingrate contra Deum vestrum peccastis, illius loco, cornua, veluti brutis animalibus, germinata sunt vobis, in opprobrium falsæ vestrorum arrogantiæ. Hi sunt, quos replevit Deus spiritu suo, & intelligentia, & scientia: quæ omnia, vos dæmones, ictu oculi, miserandum in modum amisistis, cum Conditorem vestrum colere renuistis. Hi sunt, qui, velut imbres, miserunt nobis eloquia sapientiæ, & in oratione confessi sunt Domino: quem vos impii reliquistis; ac per terrarum gyrum, mendacia, hæreses, falsa dogmata, pessimasque promulgare doctrinas, nequaquam desistitis. Hi sunt, qui operati sunt, ac populos docuere cœlestia; factis videlicet, & sermone Deum jugiter confitentes: ideoque magni & excelsi in cœlorum regno vocati sunt; unde vos miseri, qui quondam eratis magni, præcipites corruistis. Hi sunt, qui contra vestrum Luciferinum institutum, elucida-

verunt Deum: & ideo æternæ cum ipſo vitæ ſortem fuerunt adepti; quam etiam cum ipſomet principe veſtro, vos miſeri amiſiſtis. Hi ſunt, quorum ſemen a Deo nunquam deſertum fuit; ſicuti dereliquit & ipſemet vos ingratiſſimos in æternum: ideoque corpora eorum fuerunt in pace tumulata, atque ſepulta. Hi ſunt, qui quaſi ſplendor firmamenti, & veluti ſidera, in perpetuas fulgent æternitates; quorum lumen nunquam veſtris in latebris coruſcare videbitur. Hi ſunt, qui de mundi Libano advenerunt, & coronam adepti ſunt ante Regem, atque honorifice in ſedibus, ubi vos per modicum ſedebatis, collocati fuere. Hi ſunt, quorum memoria mortis eſt expers, & apud Deum & homines valde inclyta: veſtra autem, o dæmones, recordatio cum ſonitu periit, atque ictu oculi in inferni ſedibus conſepulta fuit. Hi ſunt tandem, qui adducti fuerunt poſt Regem, de veſtris triumphantes verſutiis: quoniam laquei, quos ad deceptionem illorum impie paraſtis, contriti ſunt; ipſi vero, libere remanſerunt, & cum Deo ſuo, ac Redemptore Jeſu, in æternùm congaudere cernuntur.

In nomine igitur ejuſdem Jeſu Nazareni ✠ in nomine Jeſu Electorum Capitis ✠ in nomine ac virtute Jeſu Regis Regum, & Domini Dominantium ✠ vos diabolos iterum conjuro ✠ iterum adjuro ✠ iterum, eodemque pacto, conditione, forma, mente, qua ſupra, exorcizo ✠ coarcto ✠ urgeo ✠ ut meis pareatis mandatis, jam vobis injunctis, atque injungendis. Exorcizo vos damnatos ✠ per Jeſum Chriſtum, Prophetarùm objectum ✠ Exorcizo vos per Jeſum Chriſtum Patriarcharum principem. ✠ Exorcizo vos per Jeſum Chriſtum, ſummum Apoſtolorum

rum præceptorem. Exorcizo vos tartareos cives ✠ per Jesum Christum, Evangelistarum Doctorem. Exorcizo vos execrandos ✠ per Jesum Christum, Martyrum præcursorem. Exorcizo vos belluas ✠ per Jesum Christum, Confessorum exemplar. Exorcizo vos monstra infernalia ✠ per Jesum Christum, Pontificum normam. Exorcizo vos infames ✠ per Jesum Christum, Virginum speculum. Exorcizo vos malignos dæmones, per Jesum Christum, continentium fortitudinem. Exorcizo vos turpissimos ✠ per Jesum Christum, Doctorum magistrum. Exorcizo vos scelestissimos ✠ per Jesum Christum, coronam Sanctorum omnium. Exorcizo vos mendaciis assuetos ✠ per Mariam, almam Dei matrem. Conjuro vos tartareos ✠ per Mariam Virginem, Patriarcharum Reginam. Conjuro vos lupos infernales ✠ per Mariam Virginem, Prophetarum Dominam. Conjuro vos scarabæos ✠ per Mariam Virginem, Apostolorum magistram. Conjuro vos abyssi dæmones ✠ per Mariam Virginem, Evangelistarum lucem. Conjuro vos canes rabidos ✠ per Mariam Virginem, Martyrum ducem. Conjuro vos veneficos ✠ per Mariam Virginem, Confessorum principem. Conjuro vos ranas fœtidissimas ✠ per Mariam Virginem, Virginum caput. Conjuro vos bubalos ✠ per Mariam Virginem, Sanctorum imperatricem, ut mea, sine cunctatione, exequamini jussa, nomine Altissimi vobis mandantis, præcipientis, atque validissime fugam ab hoc corpore imperantis. ✠

Sed ulterius exorcizo vos diabolos, ✠ per sanctorum Angelorum choros: & præcipue per Sanctum Michaëlem, principem cœlestis militiæ, potentem in prælio, quique contra Luciferum, vosque perti-

naces dæmones, fortiſſimam fecit victoriam; ac validiſſime cunctam veſtram infernalem debellans potentiam: ad cujus de cœlo deſcenſum concutitur mare, terraque ſimul contremiſcere dicitur. Hic Dei Eccleſiæ præpoſitus fuit, ut pugnet cum dracone acerrime, atque in adjutorium Dei populo veniat. Exorcizo vos perverſos diabolos ✠ per ſanctum Gabrielem, Virginis Mariæ, Deiq; ſponſal.um nuncium ſingularem. Hunc veſtitum lineis vidiſſe teſtatur Daniel, & accinctum renibus auro obryzo; habentemque corpus veluti chryſolitum, ac faciem quaſi fulgurem coruſcantem: oculi autem ejus lampadi ſimiles; aliaque membra, ad modum æris candentis deſcribuntur. Exorcizo vos ingratiſſimos ſpiritus ✠ per Sanctum Raphaëlem, qui Dei potentia apprehendit, ligavitque dæmonem Ægyptium; oculorum lumen Thobiæ reddidit, eripuit filium a piſce devorante; illumque domum incolumem duxit, atque reduxit. Exorcizo vos nequiſſimos dæmones ✠ per ſanctos Angelos, principes operum Dei, præſtantiſſimæ virtutis duces coram Altiſſimo. Exorcizo vos nefarios ✠ per ſanctos Angelos, qui apparuerunt Loth, atque hoſpitio fuerunt ab eo recepti. Exorcizo vos verſutiſſimas inferni vulpes ✠ per illum Angelum, qui, de cœlo clamans, vocavit Abraham: ✠ per illos etiam, quos vidiſſe narratur Jacob: ✠ per illum, qui præcedere dicitur Dei caſtra: ✠ per illum, qui ſtetit contra Balaam: ✠ per illum Angelum vos exorcizo ✠ quem vidit Gedeon: per illum, qui apparuit Annæ ſterili: ✠ per illum cœleſtem ſpiritum vos adjuro, qui fuit ultor populi David, illius occidendo plebem: ✠ per illam Angelicam potentiam vos infames exorcizo ✠ quæ loquuta

quuta est ad Eliam Thesbitem: ✠ per illam, quæ percussit de castris Assyriorum centum octoginta quinque millia: ✠ per illam, quæ piam Judith custodivit in Holofernis obtruncationem: ✠ per illum Angelum vos conjuro ✠ qui descendit cum Azaria ac sociis in fornacem: ✠ per illum, qui in lacum leonum descendit, ut Danieli assisteret: ✠ per illum, quem in vertice apprehendisse Abacuc, atque in Babylonem asportasse scribitur. Conjuro vos dæmones pertinaces ✠ per sanctum Angelum vociferantem cum sociis juxta pastorum caulas, & illis gaudium magnum, de inclyta Jesu Dei Filii nativitate, annunciantem. ✠ Per illum, qui in somnis admonuit Joseph de fuga, quam arripere illum oportebat cum puero, & Maria semper Virgine, ejus conjuge, Deiq; matre. ✠ Exorcizo vos per illos Angelos, qui ad Jesum Dei genitum accesserunt, ministrantes illi post triumphum, quem de Sathana principe vestro potentissime retulit in deserto: ✠ per illum, qui aquæ motum in piscina, a Deo missus, faciebat: ✠ per illum, qui Dei Filium cohortabatur in horto ab instantis necis agonia: ✠ per illum vos conjuro, qui lapidem sepulchri magno cum terræ motu revolvit: per illum, quem Maria Magdalena sedentem vidisse in albis legitur, juxta Jesu tumulum. ✠ Conjuro vos immundos dæmones ✠ per illum Angelum, qui carceris ostia Petro aperuit, ejusque catenarum vincula solvit: ✠ per illum, qui Paulum etiam illæsum de carcere exemit: ✠ per illum, qui Philippum est allocutus, ut baptizaret Eunuchum: ✠ per illos Angelos vos conjuro ✠ qui sunt præsides Ecclesiarum, & populorum fidelium: ✠ per illos, qui stare dicuntur in circuitu throni Altissimi in cœlestibus, quique, videntes fa-

ciem

ciem Patris, laudant Agni virtutem, & fortitudinem magnam: ✠ per illos, qui ad diversa ministeria a summo omnium Conditore missi describuntur a Sancto Joanne in Apocalypsis libro; ad denotandum Dei magnalia, tum præterita, tum præsentia, tum futura. ✠ Conjuro vos diabolos ✠ per novem Angelorum choros, in tres divisos turmas, quæ hierarchiæ nuncupantur, ut incessanter divinæ adstent majestati: e quorum consortio, vos, miseri, ac infelices, sejuncti, ob vestram obstinatam superbiam, confusim cecidistis. Exorcizo vos perfidos ✠ per sanctos Angelos, hominum custodiæ, a Deo salutari nostro, benignissime destinatos, ut nos amabiliter instruant, dirigant, hortentur, protegant, tueantur, avertant, consolentur, sanent, & tandem, ad Deum ipsum, ac proximum nostrum perfectissime diligendum, inflamment. Et præcipue exorcizo vos nequissimos ✠ per Angelum hujus creaturæ N. custodiæ delegatum, quem contra te, vosque omnes iniquissimos spiritus, in hac ærumnarum palæstra, supplex invoco; nec non & Angelum meum dilectum, cujus tutelæ superna sum pietate commissus, humiliter precor, ab eoque efflagito, ac devotissime, quantum in me est, eum adoro, ut, una cum Angelis custodibus harum adstantium creaturarum, me validum, & hoc in bello potentem reddant, ad vos compellendos, ad vos dejiciendos, opprimendos, atque ab hac creatura, Christi sanguine redempta, procul pellendos; ita ut nunquam in ea, vel circa eam, amplius locum obtineatis.

Conjuro vos præcipue ✠ per Archangelos, quibus altissimorum ministeriorum est cura; quique summi nuncii dicti sunt; ipsi namque a Dei creatu-

ris

ris vos diabolos expellunt, & ſublimia, atque occulta revelare aſſolent. Conjuro vos inferni colubros ✠ per Virtutes cœlorum, miracula perpetrantes; præſules & ſummos Eccleſiæ miniſtros edocentes, & cohortantes. Conjuro vos Dei rebelles, ✠ per Angelicas Poteſtates, comprimentes vos diabolos, cœlorum apoſtatas, ne veſtra virtute, ac voluntate perverſa nos lædatis; & juſtos, in via virtutis, atque laboris hortantes, ne forte a bono deſiſtant jam cœpto. Conjuro vos nequiſſimos, ✠ per Principatus, qui cæteros, quibus præſunt, ſpiritus, ad divinum miniſterium implendum, ſummopere diſponunt; conſervant in unitatem regimina; inſtruunt ſubditos majoribus exhibere reverentiam; tantummodo ad Dei honorem juſtitiam exequi. Conjuro vos perfidos ✠ per Dominationes, quæ nullis ſubjici dicuntur ſpiritibus: docent in ſpirituali certamine prælationis exercere officium; ac, ſervili rejecto timore, Deo inceſſanter inſtruunt famulari. Conjuro vos per Thronos ✠ in quibus ſedens Altiſſimus, ſua per eos decernit, ac deſignat occulta judicia. Conjuro vos obſtinatos, ✠ per Cherubim, divinis præ cæteris perfuſos radiis; & plenitudinem lucis, quam a proximitate, cum prima veritate, ſuſcipiunt, cæteris transfundunt cœlorum ſpiritibus; hominesque ad divinam ac ſummam ducunt agnitionem. Conjuro vos teterrimos, ✠ per Seraphim, qui, divina ſucceſi dilectione, eorum ardore, cæteros ad Deum amandum accendunt. Exorcizo vos peſſimos ✠ per beatorum prælationes ſpirituum, in quibus perpetuo absque ulla controverſia perſeverant. Conjuro vos nigerrimos ✠ per confirmationem ſanctorum Angelorum, ex gratia ✠ per confirmationem ipſo-

ipſorum ex gloria, ✠ per confirmationem eorumdem ex natura. ✠

Exorcizo vos tandem ✠ per omnes Angelicos ſpiritus, ac ſpiritales poteſtates, quæ ſunt cœlorum cives, aulici Dei omnipotentis, Paradiſi Duces; ſapientiæ & ſcientiæ doctores veraciſſimi, contra hæreſes veſtras; hominum, ad Dei imaginem effectorum, amatores zelantiſſimi, ductores, patroni, ac defenſores, animarum illuminatores; cuſtodes pervigiles, qui mala a nobis arcent, dolores leniunt, tentationibus reſiſtunt. Exorcizo vos damnatiſſimos ✠ per ſanctos cælorum ſpiritus, qui ſunt dæmonum deſtructores acerrimi, everſores maleficiorum, conſummatores figmentorum veſtrorum infernalium, adverſatores inſtigationum peſſimarum, protectores deſtitutorum, miſerorum, ac pauperum; calefactores tepidorum in Dei proximorumq; dilectionem, conſolatores afflictorum, deſperatorum refugium, oſtenſores myſteriorum Dei, cohortatores debilium, & infirmorum. Conjuro vos reptilia infernalia ✠ per ſanctos Angelos, qui nos homines, in extremis laborantes, in Creatoris fide corroborant, ad peccatorum pœnitentiam incitant, ad lachrymas excitant, ad orationes provocant, ad cœleſtia noſtras erigunt mentes, ad ſalutis opera juvant, in Paradiſum, vel purgationis locum, nos perducunt, ibique animas ſæpiſſime inviſere non ceſſant, donec, purgatis culparum maculis, cœlorum januas ingredi, Dei benignitate, dignemur; ad veſtras, o damnati dæmones, deſertas ſedes replendas: ubi exultantes ſecum nos excipiunt Angeli ſancti, Angeli lucis, Angeli pacis atque lætitiæ, mirifico gaudio geſtien-

gestientes super nos peccatores, jam per pœnitentiam de vobis palmam reportantes.

Tandem, ut Dei minister indignus, & per hoc supra vos, per ejusdem gratiam, constitutus, vobis impero, ut vestram frangatis duritiem, ac cedatis, non mihi, sed Dei instrumento, Christique famulo. ✠ Conjuro vos ✠ per piissimum Dei Filii præcursorem, Joannem Baptistam, in matris utero sanctitate donatum, Prophetarum vaticinio prædictum, ab infidelibus honore habitum, baptizatum a Dei Filio, auditum a discipulis, ac tandem ab impiis innocenter occisum. Impero vobis immundissimis, ✠ per sanctissimum Joseph Christi alumnum, ac Deiparæ virginis sponsum dignissimum. Præcipio vobis perversis, hinc fugam arripere, ✠ per sanctum Petrum, Apostolorum Principem, Christi Jesu in terris Vicarium, Clavicularium regni cœlestis, de fluctibus ereptum, piscatorem hominum effectum, a Jesu magnopere dilectum, Spiritu sancto repletum, ac pro Domino cruci affixum. Impero vobis diabolis, ut pareatis, ✠ per sanctum Paulum, Doctorem gentium, vas electionis effectum, Prædicatorem veritatis constitutum, Spiritus sancti tubam positum, Apostolorum novissimum; cui, post multas clades, pro Jesu caput fuit amputatum. Impero vobis nequissimis, ✠ per sanctum Andream Apostolum, Petri germanum, cruci quoque affixum: per sanctum Joannem, a Christo, præ cæteris discipulis, dilectum, virginitatis flore redolentem, quique in cœna supra ejusdem Domini pectus recubuit; in quo revelata illi fuerunt arcana cœlestia: per Sanctos Jacobum Majorem, & Minorem: per sanctum Philippum: per Sanctum Matthæum: per Sanctum Bartolomæum, cui, pro

Christi

Christi nomine, propria pellis, ab impiis carnificibus fuit detracta: per Sanctum Tadæum: per Sanctum Simonem Apostolum. Præcipio vobis impiis spiritibus, ut obtemperetis, per cunctos Christi Discipulos. Præcipio vobis mendacissimis, ✠ per pios Evangelicæ veritatis promulgatores. Mando vobis, per omnes Sanctos Innocentes, pro Jesu nomine cæsos.

Præcipio vobis nefandissimis, ✠ per Sanctum Stephanum, Martyrum principem, lapidibus obrutum. Præcipio vobis ✠ per Sanctum Laurentium, pro Christi fide, in craticula constantissime combustum. Præcipio vobis ✠ per Sanctum Vincentium, pro Domino excarnificatum. Præcipio vobis ✠ per Sanctum Clementem, Ignatium, Theodorum, Vitum, Blasium, Januarium. Præcipio vobis vilissimis ✠ per Divas Luciam, Catherinam, Eulaliam, Agatham, Agnetem, Cæciliam, Anastasiam, Barbaram, Irenem, Ireniam, Dorotheam, Teclam, Vrsulam, suis cum sociis. Præcipio vobis ✠ per omnes Sanctos, & Sanctas Christi Martyres, celeberrimas inferni victrices.

Præcipio vobis durissimis ✠ per Sanctum Sylvestrum, Christi Vicarium: per Sanctum Gregorium, summum Pontificem, & Ecclesiæ Doctorem: ✠ per Sanctum Hieronymum, ✠ per Sanctum Augustinum, Doctorem maximum, atque hæreticorum malleum. Præcipio vobis ✠ per Sanctum Ambrosium, Hilarium, Chrysostomum, Nazianzenum, Thaumaturgum, Nyssenum, Alexandrum, Cyrillum, Vrbanum, Zenonem, Bonaventuram, Carolum. Præcipio vobis ✠ per omnes Sanctos Pontifices, & Ecclesiæ Doctores. Præcipio vobis perversis ✠ per Sanctum Antonium eremicolam, Hilarionem, Serapionem, Moysen, Colum-

Columbanum, Ægidium, Onufrium, Gulielmum, Malcum, Paphnutium, Martinianum, Benedictum, atque Basilium, præclarissimos Monachorum Primates. Præcipio vobis obstinatis ✠ per Sanctum Antoninum Abbatem, Surrentinorum patronum, ac flagellum vestrorum dæmonum valde terribile ✠ per Sanctum Brunonem ✠ per Sanctum Bernardum ✠ per Sanctum Albertum ✠ per Sanctum Vbaldum ✠ per Sanctum Zenonem ✠ per Sanctum Dominicum ✠ per Sanctum Franciscum, verum Christi pauperem, humilem, ac ferventem Jesu amatorem: ✠ præcipio vobis per Sanctum Thomam Aquinatem, Angelicum Doctorem ✠ per Sanctum Bernardinum ✠ per Sanctum Franciscum de Paula ✠ per Sanctos Ignatium, & Franciscum, novissimos Indiarum Apostolos ✠ per Sanctum Philippum Nerium, per Beatum Cajetanum, Regularium Clericorum auctorem ✠ per Beatum Andream Avellinum, inclytum charitatis amatorem. Impero vobis per omnes Sanctos Christi Confessores ✠ integerrimos.

Impero vobis ✠ per Sanctam Annam ✠ per Sanctam Mariam Magdalenam ✠ per Sanctam Mariam Ægyptiacam ✠ Mariam Salome ✠ Mariam Cleophe ✠ Claram ✠ Catharinam Senensem ✠ Thaidam ✠ Euphrosinam ✠ Theodoram ✠ Brigittam ✠ Theresiam ✠ Elisabetham ✠ Franciscam ✠ Vrsulam Benincasa ✠ ac tandem per omnes Sanctas Dei Virgines, ac Viduas, vos dæmones exorcizo, ✠ adjuro, ✠ cogo, ✠ ut, omni mora postposita, omni fallacia rejecta, omnique devicta obstinationis duritie, voci Sacerdotis, ac ministri Christi obtemperetis, atque incunctanter cedatis, fugam hinc prorsus arripientes.

Præcipiat igitur vobis mecum, Verbum caro factum ✠ mandet vobis mecum efficaciſſime Sanguis Chriſti Redemptoris ✠ mandet vobis mecum Crucis myſterium ✠ mandet vobis Sacroſancta Mater Eccleſia ✠ mandent vobis Chriſti Sacramenta ✠ mandet vobis gloria Virginis Dei genitricis Mariæ, ſupra choros ſedentis Angelorum ✠ mandet vobis cedere turba cœleſtium poteſtatum. ✠ Mandet vobis miteſcere Patriarcharum fides ✠ Prophetarum myſteria ✠ Apoſtolorum charitas ✠ Evangeliſtarum veritas ✠ mandet vobis ſanguis Martyrum ✠ ſollicitudo Pontificum ✠ vigilantia Doctorum ✠ perſeverantia Confeſſorum ✠ mandet vobis continentia Virginum.

Et ego, nomine, & virtute Altiſſimi, auctoritate prædicta, mihi communicata a Sancta Romana Eccleſia, atque in Chriſti ſanguine roborata; & in virtute omnium Beatorum, ac per merita eorundem, iterum ut ſupra, & ſub iisdem pœnis, vos diabolos conjuro ✠ vos perfidos ſpiritus adjuro ✠ vos infames Dei rebelles exorcizo ✠ in virtute omnium prædictorum, centies, ac millies, acerrime vobis inſto, ut meis pareatis mandatis ✠ vobis viriliter impero ✠ ut ſubjiciamini præceptis Sacerdotalibus, illico recedendo, per Sanctorum merita, per Sanctorum coronas, per Sanctorum gloriam, per Sanctorum gaudium, per Sanctorum lumen, per Sanctorum aureolas, per Sanctorum vitam, &c. Vos cedere cogo ✠ per Sanctarum animarum dona ſublimia. Vos compello ✠ per Sanctorum corporum glorificatorum agilitatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, atque ſplendorem: Vos coarcto ✠ per cuncta Sanctorum bona ineffabilia, eis a Deo communicata,

nicata, quæ nec auris audire, nec oculus videre, nec in cor hominis aſcendere poſſe compertum eſt: quibus muneribus, & privilegiis, vos infelices damnati, in perpetuum orbati remanſiſtis. Verba igitur Prophetarum vos bubulos pungant, ✠ virtutes Patriarcharum vos mecum flagellent, ✠ labores, fides, ac prædicationes Apoſtolorum, vos canes, cædant. ✠ Dolores, ac patientia Martyrum, vos comburant ✠ perſeverantia Confeſſorum vos peſſundet ✠ Pontificum zelus vos tartarorum mancipia condemnet: ✠ ſapientia Doctorum vos viliſſimos confundat: ✠ puritas Virginum vos ad fugam compellat: ✠ lachrymæ, ſudores, gemitus, ſingultus, atque ſuſpiria pœnitentium Anachoretarum, vos confodiant ✠ vos feriant ✠ vos transverberent ✠ vos æternis cruciatibus torqueant: In nomine Patris, ✠ Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Trini, uniusque Dei, qui eſt corona Sanctorum omnium. Amen.

De die Cinerum, & Hebdomade Sancta.

FERIA QVARTA CINERVM, ante Miſſam, benedicuntur Cineres, facti de ramis olivæ benedictis, anni præteriti.

Completa Cinerum benedictione, primum imponitur Cinis Sacerdoti celebraturo Miſſam, ab alio Sacerdote, ſi adeſt: alioquin Sacerdos ipſemet, genibus flexis, coram altari ſibi Cineres imponit.

Poſtea veniunt alii, primo Clerus, per ordinem, deinde populus, & genibus flexis ante altare, ſigillatim recipiunt cineres, a Sacerdote dicente: Memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Benedictio Cinerum, his maxime verbis peragitur:

Omnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus: & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui bene ✠ dicat, & sancti ✠ ficet hos cineres, ut sint remedium salubre, omnibus nomen tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagrantibus: & præsta, per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicunq; eos super se asperserint, pro redemtione peccatorum suorum, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum &c.

IN DIE PALMARVM, Sacerdos procedit indutus pluviali violaceo, cum Ministris indutis habitu ejusdem coloris, & Ramis, in medio ante altare, vel ad cornu Epistolæ positis. A Choro cantatur Antiphona: Hosanna filio David. *Post recitatas aliquas Orationes, Rami asperguntur aqua benedicta, & incensantur. Deinde, Sacerdos stans ante altare, versus ad populum, distribuit Ramos, primo Clericis, deinde Laicis. Postea fit Processio. In reversione Processionis ad Ecclesiam, duo vel quatuor Cantores intrant, &, clauso ostio, stantes, versa facie ad processionem, incipiunt,* Gloria laus &c. *& totum decantant, usq; ad,* Israël es tu Rex: *Sacerdos vero, cum aliis stantibus extra Ecclesiam, repetit idem illud. Postea intrat Processio in Ecclesiam, cantando.*

Cum cantatur in Hebdomade Sancta Passio Christi, & perventum est ad illa verba, quibus mors Christi describitur, uti apud Marcum hisce: Jesus autem emissa

emiſſa voce magna, exſpiravit: *pauſatur aliquantulum, & genu flectitur.*

FERIA V. COENÆ DOMINI, in Miſſa, Agnus Dei *dicitur, ſed* Pax *non datur. Eo die, reſervat Sacerdos, in loco honeſto & convenienti, unam hoſtiam conſecratam, pro die ſequenti, in quo non conficitur; vel etiam plures, ſi neceſſe fuerit, pro infirmis: Sanguinem vero totum ſumit. Deinde fiat Communio; poſtea compleatur Miſſa.*

Finita Miſſa, accenduntur intorticia, & fit proceſſio more ſolito. Celebrans, genu flectit ante altare, imponit incenſum in duobus thuribulis, & cum altero incenſat ter Sacramentum. Deinde, de manu Diaconi accepto Calice cum Sacramento, & cooperto extremitatibus veli, quo ejus humeri teguntur, procedit medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris, ſub baldachino, duobus Acoluthis Sacramentum continue incenſantibus, usq; ad locum præparatum, ubi pro craſtino ſervandum eſt. Interea, dum fit Proceſſio, cantatur Hymnus: Pange lingua glorioſi. *Repoſito Sacramento, & rurſus incenſato, in Choro dicantur Veſperæ. Poſtea, Sacerdos cum Miniſtris, denudet Altaria, legendo Antiphonam:* Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem: *cum toto Pſalmo XXI.*

Poſt denudationem Altarium, facto ſigno cum tabula, conveniunt Clerici, ad faciendum mandatum. Major abluit pedes minoribus, tergit, & oſculatur. Interim cantantur Antiphonæ variæ.

FERIA SEXTA, finita nona, Sacerdos & Miniſtri, induti veſtimentis nigris, procedunt ſine luminaribus & incenſo, & ante Altare proſtrati, aliquandiu orant. Interim Acoluthi unam tantum to-

 baleam

baleam extendunt ſuper Altare. Sacerdos cum Miniſtris, facta oratione, accedit ad Altare, recitantur deinde preces, & paſſio Domini, ſecundum Johannem.

Completis Orationibus, Sacerdos, depoſita caſula, procedit ad Cornu Epiſtolæ, & ibi, in poſteriori parte anguli Altaris, accipit Crucem a Miniſtris ſibi præparatam: quam, verſa facie ad Chorum, parum diſcooperit, incipiens Antiphonam: Ecce lignum Crucis: *juvatur deinde a Miniſtris, & Choro cantante:* Venite adoremus: *mox omnes ſe proſternunt. Deinde procedit ad anteriorem partem Anguli ejusdem cornu Epiſtolæ, & diſcooperiens amplius Crucem, elevans eam pauliſper altius quam primo, incipit:* Ecce lignum Crucis: *aliis cantantibus & adorantibus. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris, & diſcooperiens Crucem totaliter, ac elevando eam tertio altius, incipit:* Ecce lignum crucis: *Aliis cantantibus & adorantibus. Poſtea Sacerdos deponit Crucem, in loco ad hoc præparato ad Altare.*

Circa finem adorationis Crucis, accenduntur Candelæ ſuper Altare, & Diaconus, accipiens burſam Corporalium, extendit Corporale more ſolito, &, finita adoratione, Crucem reverenter recipit, & portat ad altare. Poſtea ordinatur Proceſſio ad locum, ubi pridie Sacramentum repoſitum fuerat. Præcedit Crux inter duos Acoluthos, deferentes Candelabra cum cereis accenſis, & Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum Miniſtris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, quæ non extinguantur niſi poſt ſumtionem Sacramenti, & Sacerdos genu flectit ante Sacramentum, orat aliquantulum. Diaconus interim aperit capſulam, in qua reconditum eſt Corpus Domini. Poſtea Sacerdos imponit

ponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, & genu flexus incensat Sacramentum. Deinde Diaconus, extrahens Calicem cum Sacramento de Capsula, dat ad manus Sacerdotis, & tegit extremitatibus veli, quod humeros Sacerdotis circumdat: & procedunt ordine, unde venerunt. Defertur baldachinum supra Sacramentum, & duo acoluthi, cum thuribulis continue Sacramentum incensant. Interim cantatur Hymnus: Vexilla Regis prodeunt. Cum venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Sacramento, genu flexus id rursus incensat, & accedens ponit Hostiam super Patenam, quam Diaconus tenet. Deinde accipiens Patenam cum Sacramento, de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super Corporale, nihil dicens. Interim Diaconus infundit vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam. Sacerdos, accipiens Calicem a Diacono, ponit super Altare, nihil dicens, & Diaconus illum cooperit: deinde Sacerdos imponens incensum in thuribulo, incensat Oblata & Altare, more solito. Reddit deinde thuribulum Diacono, postea lavat manus, recitatq; aliquas Orationes. Tunc, facta reverentia usq; ad terram, Sacramentum in dextram accipit, & elevat, & statim dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem. Post recitatam Orationem, sumit Corpus Domini, itemq; Vinum cum particula Hostiæ: & more solito abluit digitos.

IN SABBATO SANCTO, hora competenti, cooperiuntur Altaria, & dicuntur Horæ. Interim excutitur Ignis de lapide, & accenditur. Dicta Nona, Sacerdos, indutus amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, a stantibus Ministris cum Cruce, Aqua benedicta, & Incenso, benedicit novum

Ignem: *dicens inter alia:* Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis tuæ fidelibus ignem contulisti productum ex silice, nostris profuturum usibus: novum hunc ignem san✠ctifica, & concede nobis, ita per hæc festa paschal a cœlestibus desideriis inflammari, ut ad perpetuæ claritatis, puris mentibus, valeamus festa pertingere. Per eundem Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicit quinque grana Incensi, *ponenda in Cereo, dicens hanc Orationem:*

Veniat, quæsumus, Omnipotens Deus, super hoc incensum, larga tuæ bene✠dictionis infusio: & hunc nocturnum splendorem, invisibilis Regenerator, accende: ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admistione refulgeat: sed, in quocunque loco hujus sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majestatis assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum benedicit Incensum, Acoluthus, assumens de carbonibus benedictis, ponit in thuribulum. Finita vero benedictione Incensi, Sacerdos Incensum & Ignem benedictum aspergit Aqua benedicta: &, de navicula posito incenso in thuribulo, inde adolet prædicta grana incensi, & ignem benedictum. Interim omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, ut de Igne benedicto accendantur.

Deinde Diaconus, indutus Dalmatica albi coloris, accipit arundinem cum tribus candelis, in summitate illius, triangulo distinctis. Præcedit Thuriferarius cum Acolutho, deferente in vase quinq; grana Incensi. Sequitur Subdiaconus cum Cruce, & Clerus per ordinem, deinde Diaconus cum arundine, post eum Celebrans.

brans. Cum Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, & Acoluthus, deferens Candelam accensam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis, desuper positis: & Diaconus, elevans arundinem, genu flectit, similiter & omnes alii cum eo, & cantat solus: Lumen Christi. ℟. Deo gratias. *Procedens deinde ad medium Ecclesiæ, & ibi accenditur alia Candela: &, iterum genuflexus, altius cantat:* Lumen Christi. ℟. Deo gratias. *Idem tertio fit. Deinde dat arundinem Acolutho, &, accipiens Librum, petit a Celebrante benedictionem. Postea vadit ad pulpitum, & ponit super eo librum, & incensat. A dextris Diaconi, stent Subdiaconus cum Cruce, & Thuriferarius; a sinistris, duo Acoluthi, ille, qui tenet arundinem, & alius, tenens in vase quinque illa grana Incensi benedicti, figenda in Cereo. Tunc, surgentibus & stantibus omnibus, Diaconus cantat:*

Exultet jam Angelica turba cœlorum. Exultent divina mysteria, &, pro tanti Regis victoria, tuba insonet salutaris. Gaudeat & tellus, tantis irradiata fulgoribus, æterni Regis splendore illustrata, totius orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur & mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus: & magnis populorum vocibus hæc aula resultet. Quapropter astantes vos, Fratres Charissimi, ad tam miram hujus sancti luminis claritatem, una mecum, quæso, Dei omnipotentis misericordiam invocate: ut, qui me, non meis meritis, intra Levitarum numerum dignatus est aggregare, luminis hujus claritatem infundens, Cerei hujus laudem implere perficiat, per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium suum, qui cum eo vivit &c. ℟. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo,

Surſum corda. ℞. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℞. Dignum & juſtum eſt.

Vere dignum & juſtum eſt, inviſibilem Deum, Patrem omnipotentem, Filiumque ejus unigenitum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, toto cordis & mentis affectu, & vocis miniſterio perſonare. Qui pro nobis, æterno Patri, Adæ debitum ſolvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim feſta Paſchalia, in quibus verus ille agnus occiditur, cujus ſanguine poſtes fidelium conſecrantur. Hæc nox eſt, in qua primum patres noſtros, filios Iſraël, eductos de Ægypto, mare rubrum ſicco veſtigio transire feciſti. Hæc igitur nox eſt, quæ peccatorum tenebras, columnæ illuminatione, purgavit. Hæc nox eſt, quæ hodie, per univerſum mundum, in Chriſto credentes, a vitiis ſeculi, & peccatorum caligine ſegregatos, reddit gratiæ, ſociat ſanctitati. Hæc nox eſt, in qua, deſtructis vinculis mortis, Chriſtus ab inferis victor aſcendit. Nihil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, filium tradidiſti. O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt. O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemtorem. O vere beata nox, quæ ſola meruit, ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit. Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: Et nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Hujus igitur ſanctificatio noctis, fugat ſcelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapſis, & mœſtis lætitiam. Fugat odia,

Hic

Hic Diaconus infigit quinq; grana incensi benedicti in Cereo, in modum Crucis.

concordiam parat, curvat imperia. In hujus igitur noctis gratia, suscipe, Sancte Pater, incensi hujus sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni, per ministrorum manus, de operibus apum, Sacrosancta reddit Ecclesia. Sed, jam columnæ hujus præconia novimus, quam in

Hic Diaconus accendit cereum.

honorem Dei rutilans ignis accendit. Qui, licet sit divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non solvit. Alitur enim liquantibus ceris, quas in substantia pretiosæ hujus

Hic accenduntur lampades.

lampadis apis mater eduxit. O vere beata nox, quæ exspoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. Nox, in qua terrenis cœlestia, humanis divina junguntur. Oramus ergo te, Domine, ut Cereus iste, in honorem tui Nominis consecratus, ad noctis hujus caliginem destruendam, indeficiens perseveret, &, in odorem suavitatis acceptus, supernis luminaribus misceatur. Flammas ejus Lucifer matutinus inveniat: ille, inquam, Lucifer, qui nescit occasum; iste, qui regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnemq; Clerum, & devotissimum populum, una cum Beatissimo Papa nostro N. & Antistite nostro N. quiete temporum concessa, in his paschalibus gaudiis, assidua protectione regere, gubernare, & conservare digneris. Respice etiam ad devotissimum Imperatorem nostrum N. cujus tu, Deus, desiderii vota prænoscens, ineffabilis pietatis & misericordiæ

cordis tuæ munere, tranquillum perpetuæ pacis accommoda, & cœlestem victoriam cum omni populo suo. Per eundem D. N. J. C. filium tuum, qui &c. ℟. Amen.

Completa Benedictione Cerei, Diaconus, depositis albis, sumit violacea paramenta, & vadit ad celebrantem. Postea leguntur Prophetiæ sine titulo, & in fine Prophetiarum dicuntur Orationes.

His expletis, si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, *Sacerdos, benedicturus Fontem, accipit Pluviale violaceum, & procedit usq; ad Fontem, præcedentibus Ministris cum Cruce, & Cereo benedicto accenso. Recitatis aliquibus precationibus, dum cantat Hymnum, dividit aquam manu, in modum Crucis; aquam manu tangit; facit Cruces supra fontem; dividit aquam, & effundit in quatuor mundi partes: halat ter in aquam, in modum Crucis; ponit cereum parum intus in aquam, dicens:* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus S. *& resumit. Deinde extractum Cereum de aqua iterum profundius mergit, inquiens:* Descendat &c. *Postea extractum rursus Cereum tertio immergens, usq; ad fundum, repetit:* Descendat &c. *Et deinde, sufflans ter in aquam, tollit Cereum de aqua.*

Mox, per assistentes Sacerdotes, spargitur de ista aqua benedicta super populum. Et interim unus ex Ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de eadem aqua, ad aspergendum in domibus, & aliis locis. His peractis, Sacerdos, qui benedicit Fontem, infundit de Oleo Catechumenorum in aquam, in modum Crucis, dicens: Sanctificetur & fœcundetur fons iste, oleo salutis, renascentibus ex eo in vitam æternam. ℟. Amen. *Deinde eodem modo infundit de Chrismate*

ſmate dicens: Infuſio Chriſmatis D. N. I. C. & Spiritus S. paracleti, fiat in nomine Sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Poſtea, accipit ambas ampullas, dicti olei ſancti, & chriſmatis, &, de utroq; ſimul, in modum Crucis, infundens, dicit: Commiſtio Chriſmatis ſanctificationis, & olei unctionis, & aquæ baptiſmatis, pariter fiat in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tunc miſcet ipſum oleum, cum aqua per omnem fontem. Si aderunt baptizandi, baptizat more conſueto. Deinde dicuntur Litaniæ. Poſtea rediens, præparat ſe pro Miſſa ſolemniter celebranda.

Vbi non ſunt Fontes Baptiſmales, finita ultima Prophetia cum ſua oratione, Celebrans, caſula depoſita, cum Miniſtris ante Altare procumbit, & aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio chori, a duobus Cantoribus, utroq; Choro idem ſimul reſpondente. Circa finem Litaniarum, Sacerdos & Miniſtri induuntur paramentis albis, & interim accenduntur luminaria in Altari.

Formulæ Licentiarum.

Licentia pro comedenda carne in Quadrageſima.

N. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus &c.

Dilecto nobis in Chriſto N. ſalutem in Domino ſempiternam. Expoſuiſti Nobis, quod, ob quasdam corporis indiſpoſitiones, per hujus Anni Quadrageſimam, a Carnium eſu, absque notabili ſanitatis detrimento, abſtinere non poſſis, rogans, ut tibi carnibus

bus vescendi licentiam impertiremur. Attendentes itaque S. M. Ecclesiæ benignitatem, ex causis, pro Medici Consilio coram nobis producto, insinuatis, (quas ejusdem conscientiæ relinquimus) ut, iis causis durantibus, hoc sacro Quadragesimali tempore, exceptis Feriis 4. 6. & Sabbatho, ad Dominicam usque Judica, secreto, & absque aliorum scandalo, carnibus vesci possis, licentiam in Domino concedimus: hortantes, ne hanc licentiam, aliis piis operibus compensare intermittas. In quorum fidem, præsentes, Consistorii nostri Sigilli impressione, & Officialis propria subscriptione, communiri jussimus. Ex Curia Episcopali N. Die . . Mensis . . . Anno . . .

Licentia recipiendi puellam in Monasterio, ad habitum religionis.

Nos &c. Cum voluntatem N. diligenter exploraverimus, eamque liberam & piam esse, quantum humano judicio existimari potest, compererimus, eandem quoque N. ætatem annorum XVI. explevisse noverimus, juxta Monasterii Ordinis S. N. instituta, vidimus quoque fidem instrumenti depositi, & obligationis dotis, seu eleemosynæ monasterio debitæ, licentiam & facultatem concedimus, ut ea in Monasterio S. N. ad Religionem admittatur recipiaturque, & Professionem emittere valeat, cujus tempus Præfecta nobis ante mensem denunciet, sub pœna Concilii Tridentini decreto expressa. Datum &c.

Licentia visitandi Monasteria Monalium.

Nos N. tibi dilecto nobis in Christo, Reverendo N. per præsentes facultatem damus, & mandatum,

datum, ut Monasteria Monialium S. S. N. N. & N. Ordinis S. N. existentia in diœcesi N. prout expediens tibi videbitur, visites, & de ipsorum Monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita, & moribus, Regularibus institutis, ac Monasticæ disciplinæ observantia diligenter inquiras, ac super his, & quibuscunque abusibus, nec non criminibus, excessibus, & delictis, si quæ deprehenderis, processus facias, informationes quascunque sumas, atq; alia, quæ tibi ad aures commisimus, & quæcunque in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, facias, geras, & exequaris. Facultatem tibi dantes, causa & occasione hujus visitationis, ut, quoties opus fuerit, septa & clausuram eorundem Monasteriorum possis, una cum N. tibi adjuncto comite, ingredi, cui etiam comiti, eo casu, intra eadem septa ingrediendi licentiam impertimur. Mandantes omnibus & singulis Abbatissis, Priorissis, Præfectis, & aliis quibuscunque Superioribus dictorum Monasteriorum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum obtentorum, atque etiam censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis, arbitrio tuo infligendis, ut mandatis tuis pareant, ne te in visitatione, correctione, aliisque per te faciendis, quoquo modo impediant, per se, nec per alios, quovis quæsito colore vel prætextu. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Licentia pro Confessario Ordinario Monialium.

Nos &c. Licentiam concedimus tibi Presbytero N. per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, ut in Ecclesia & Monasterio S. N. Confessiones Monialium audire, & secularium

rium etiam, si quæ in in eodem Monasterio erunt, easque absolvere valeas, præterquam a casibus & censuris nobis reservatis, a quibus absolvendi facultatem, cum opus erit, tibi impertiemur. In clausuram Monasterii non ingredieris, nisi superpelliceo & stola indutus, ut administres tantummodo Sancta Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, & spiritualem opem agonizantibus præstes. Quibus casibus semper tuo hoc munere persungeris, sociatus a duabus ex senioribus monialibus, quæ, cum Confessiones audis, te etiam videre possint, licet non audire. Cave, ne te Monasterii, aut Monialis alicujus quibuscunque negotiis immisceas, nec ad crates aut rotas colloquaris, nisi ut tantummodo petas ea, quæ Ecclesiæ cultui, & Divinorum officiorum celebrationi, aut Sacramentorum administrationi, sunt necessaria. Vocatus tamen, ut aliquod præstes spirituale consilium, id effice ad crates, quæ clausæ sint, præsentesque adsint Moniales auscultatrices, & non aliter, sub pœnis, in Constitutionibus fel. record. Clementis Papæ VIII. & aliorum Summorum Pontificum inflictis, & arbitrio nostro infligendis. Datum &c.

Licentia pro Servo communi Monasterii.

Nos &c. Licentiam concedimus N. ut possit ingredi clausuram Monasterii Monialium S. N. ad effectum . . . . . . ita tamen ut associetur a senioribus Monialibus ad id deputatis, cæteris Monialibus ex ejus aspectu omnino secedentibus. Non ingrediatur autem Monasterium, ante signum Ave Maria dari solitum mane; nec ibi commoretur post signum Ave Maria vespertinum. Ibi non comedat nec

bibat,

bibat, ibique ſolum ſe occupet, in rebus ad ejus artem aut exercitium pertinentibus, juxta neceſſitatem Monaſterii, hic & nunc occurrentem; non vagetur per monaſterium: obſervet denique, quæcunque alia in noſtro generali edicto, hac de re lato, continentur. Hanc vero licentiam, volumus durare ad menſes . . . . Datum.

Licentia pro Laico, acceſſuro ad Monialium Collocutoria, cauſa alloquendi illas.

Nos &c. Concedimus licentiam Domino N. ut poſſit horis congruis adire Collocutorium Monialium S. N. ibique loqui cum R. Moniali N. de rebus ac negotiis hic & nunc occurrentibus; non tamen die feſtivo, aut tempore Quadrageſimæ, vel Adventus, vel Vigiliæ; & cum aſſiſtentia Auſcultatricum, ad munus hoc deputatarum, juxta noſtrum generale edictum. Volumus autem, hanc licentiam durare ad Menſes . . . . Datum

De Parocho.

Parochi non debent uti veſtibus holoſericis, item nec annulis. Veſtes eorundem debent eſſe talares, ſive longæ usque ad talos: atque viridi, quia Epiſcoporum eſt, & rubro, quia Cardinalium eſt, colore uti prohibentur.

Non licet Parochis vel Clericis cauponas vel tabernas ingredi, niſi longioris itineris cauſa: ſunt enim fomenta intemperantiæ & incontinentiæ. Iidem non debent Choreis & Comœdiis intereſſe; quod tamen conceditur, ſi id fieri poſſit citra ſcandalum.

Parochi, quibus non ſuppetit ex ſacerdotio, poſſunt honeſto aliquo artificiolo victum quærere; dummodo non impediantur munera obire, quibus incumbere debent.

Clericis non licet deferre Arma. Permittitur tamen hoc, quando per loca periculoſa iter faciunt, ad terrorem latronum.

Parochus, & alii animarum Rectores, tenentur, de jure divino, in ſuis Eccleſiis reſidere. Vnde non poteſt Parochus abeſſe ab Eccleſia ſua, propter intemperiem aëris, peſtem, Principis & populi furorem, inimicitias capitales, aut ſenectutem. Poteſt tamen abeſſe ab Eccleſia, ſingulis annis, animi relaxandi cauſa, per duos menſes, ſive continuos, ſive interruptos, ſubſtituto prius Vicario idoneo. Vltra bimeſtre abeſſe non licet, niſi cauſa approbata ab Epiſcopo in ſcripto: minime vero abeſſe debet Parochus tempore Adventus, Natalis, Quadrageſimæ, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & celebritatis Corporis Chriſti.

Nullo infirmante, poteſt Parochus abeſſe per aliquas horas, etiamſi neminem ſubſtituat: ſed ultra biduum abſens Parochus, ab Epiſcopo poteſt puniri.

Parochus poteſt abeſſe a ſua Eccleſia ex 4. cauſis, in ſcripto ab Epiſcopo approbandis. 1. Ob Chriſtianam charitatem. 2. Ob urgentem neceſſitatem. 3. Ob debitam obedientiam. 4. Ob evidentem Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitatem.

Parochus, & omnes alii Sacerdotes, in articulo mortis, omnes pœnitentes, a quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt; licet talis Parochus vel Sacerdos eſſet interdictus, excommunicatus, denunciatus, ſuſpenſus, degradatus, hæreticus; quamvis

vis maxime pœnitentes eſſent alienæ diœceſis & parochiæ.

Parocho licet, ob tuendam vitam, non integram peſtiferati confeſſionem audire, ſed, duobus vel tribus peccatis perceptis, ſtatim abſolvere, & fugere, impoſito tamen hoc onere pœnitenti, ut, ſi convaleſcat, reliqua crimina, debito tempore, confiteatur.

In periculo mortis, uti in peſte, bello, naufragio, poſſunt omnes, ſigno aliquo, uti genuflexione, ſignificare ſe peccaſſe, & de eo dolere, & tunc etiam omnes a Confeſſario poſſunt abſolvi.

De Eccleſiis & earum Ornamentis, ac reverentia.

In qualibet Parochiali Eccleſia debet aſſervari Euchariſtia.

Lampas ante Sacramentum diu noctuq; ardere debet, tum propter ejus reverentiam, tum etiam, ut ingredientes Eccleſiam, ſciant, ubi adorare debeant præſentiam Salvatoris.

Parochus, in Eccleſia conſecrata, non poteſt erigere Altaria, niſi de licentia Epiſcopi.

Altaria Portatilia, debent eſſe capacia pedis calicis, & hoſtiæ conſecratæ.

Altare veſtiatur tribus mappis, vel altera, ex duabus, duplicata. Ponenda in eo Crux, inter candelabra, etiamſi in icone ſit pictus crucifixus.

In Altari, in quo celebravit Epiſcopus, alius eodem die celebrare non debet, ſine licentia.

Nemo ſepeliendus prope Altare. Si contrarium fiat, non debet in illo Altari celebrari, donec corpora alio transferantur.

Corporale debet esse mundum, ex lino; extimæ tamen ejus parti, potest addi sericum. Benedicitur una cum Palla. Non debet tangi a laicis, neque a fœminis, etiam sacratis; neque lavari in vase communi.

Si polluitur Ecclesia, & ignoratur, & post dies octo res veniat in notitiam, ita, ut interea ibi fuerit celebratum, non opus est reconciliatione.

Parochus, nec quivis alius Ecclesiæ Rector, debet insolitas imagines ponere in Ecclesia, non prius approbatas ab Episcopo.

Arma, Sagittæ, & ejusmodi instrumenta alia, non appendenda in Ecclesiis.

Actus seculares in Ecclesia non sunt exercendi. Actus tamen Ecclesiastici, ad voluntariam pertinentes jurisdictionem, ibi celebrari possunt; uti est promotio Doctoratus.

Si quis reperitur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non debet privari Ecclesiastica sepultura: quia, ubi non constat, quod quis seipsum interfecerit, non est id præsumendum: quia potuit, per insidias, aut vim, in puteum projici vel suspendi, aut ex furore, vel mentis alienatione, id facere.

In quibusdam Germaniæ locis, ubi Catholici cum Lutheranis permixti vivunt, permitti solet, ut hi in locis sacris sepeliantur a Ministris suis. Si tamen possibile esset, talis consuetudo tolli deberet, & curandum, ut Catholici separatum sepulturæ locum retinerent.

Si Hæreticus, ante mortem, manifesta signa dedit conversionis, licet ab hæresi absolutus non sit, potest in loco sacro sepeliri. Quamvis, ad vitandum scandalum, & alia incommoda, oporteat prius Episcopum

pum admonere: qui etiam, post mortem, hominem ab excommunicatione absolvere potest.

De diebus Festis.

Parocho concedere potest Episcopus, ob defectum Sacerdotum, ut in diebus festis bis celebret.

Festorum observantia, quoad vacationem ab operibus servilibus, incipit a media nocte præcedentis diei, usque ad aliam sequentis. Licentia laborandi die festo, regulariter a solo Episcopo concedi debet. Sed, cum ad Episcopum, vel Vicarium, non potest haberi recursus, eam concedit Parochus, si urgeat necessitas: uti tempore Messis, Vindemiæ, incursus hostilis.

Parochus potest pro casibus repentinis, modo adsit causa rationabilis, dare licentiam laborandi in festo.

Parochus potest aliquid exigere a laborantibus in die festo, mutando hoc opus servile in aliquam largitionem, quæ tamen cedat in opus pium.

Nundinæ occurrentes in die festo, quæ fiunt qualibet hebdomada, fiant in feria præcedente; quæ vero semel in anno instituuntur, tolerari possunt, post celebratam Missam majorem.

Si quis moriatur in die Paschatos, corpus ejus reservetur in sequentem diem, ob festi reverentiam.

Post Pascha, olim agi solebat *Quinquagesima*, hoc est, Quinquaginta dies, qui Pascha proxime sequebantur, omnes erant festi, & nec jejunabant Fideles, nec genibus succidentes precabantur. Initium Quinquagesimæ est a Septimana in Albis, inde sic dicta, quod Sabbatho Magno initiati, per totam hanc

Septimanam, Albati, id est albis vestibus, in signum Christiani candoris & innocentiæ, incederent.

De Jejunio.

Parochus potest dispensare circa jejunium, si res urgeat, & Episcopus, vel ejus Vicarius, consuli non possint. Imo, ex consuetudine universali, etiam præsente Episcopo, id ei facere licet.

Parochus, stante justa causa, tenetur dispensare in lege jejunii, & in esu carnium, aut lacticiniorum, quoties id expedit notabiliter communi bono, vel privato spirituali, aut corporali petentis. Idem, ex justa causa, potest transferre jejunium vigiliæ in alium diem, uti si jejunium vigiliæ S. Johannis Baptistæ, incidat in festum Corporis Christi.

Rogationum dies tres sunt, qui celebrantur ante Ascensum Domini, juxta morem Ecclesiæ Gallicæ. Cum enim A. 466. lupi, & terræmotus magnas calamitates inferrent, congregati apud Viennam Episcopi, quos inter præcipue erat Mammertus, statuerunt triduano jejunio, & Processionibus sive Litaniis, misericordiam Dei implorandam esse. Quod cum successisset, factum est, ut hi dies, in solemnitatem annuæ celebritatis, in Gallia venirent.

De Sanctorum Opitulatione.

Salmeron Disp. 7. in 1. Tim. 2. Tom. 15. scribit: Sancti non opitulantur omnibus æqualiter. Nam, sunt aliqui, qui in quibusdam necessitatibus peculiariter opem ferunt, & alii etiam, quibus in hac vita, ob accepta beneficia, particulari ratione auxiliandi tenebantur. Hinc Hispani peculiariter colunt B. Jacobum; Sebastianum, Lusitani; Romani, Petrum &

Pau-

Paulum; Florentini, Johannem Baptistam; Veneti, Marcum; Senenses, B. Virginem; Galli, Dionysium; Germani, Barbaram; Angli, Georgium, & Thomam Cantuariensem; Parisienses, Genevesam Virginem; Mediolanenses, Ambrosium; Siculi, Agatham & Luciam; Neapolitani, Januarium; denique, quodlibet Religiosorum institutum suum Caput pie veneratur; ut, Dominicum, Franciscum, Augustinum, Hieronymum, Benedictum, & Carmelitæ Eliam, Bernhardum Bernharditæ. Hæc multiformis munerum distributio, partim a Deo inspirata, partim revelata est per Angelos, partim piis conjecturis deprehensa, & præcipue in illis rebus succurrunt, quas ipsi experti sunt. Ita invocamus Petrum, in vinculis; Paulum, in conversione; utrumq;, in periculo maris: Johannem Baptistam, in nativitate; Evangelistam, in colenda virginitate; Sebastianum, & Rochum, in peste depellenda; Antonium, in igne abarcendo, & rebus amissis inveniendis, & similibus aliis plerisq;.

De Electione, & Coronatione Romani Pontificis: item, quomodo Ecclesiæ Lateranensis capiat possessionem.

ROmanus Pontifex, cum fato proximus, in agone mortis constituitur, solet Cardinalis Nepos, hoc est, is, quem e cognatis Papa Cardinalem creavit, ut illum assidue secum in Palatio habeat, eoque in rebus gerendis adjutore utatur, de hac re, *per familiares ac domesticos, Prælatos, Cardinales omnes, itemq; Legatos Principum, certiores reddere.* Idem simul jubet, ut ii, qui, ob sonticam aliquam causam, captivi in carceribus detinentur, in S. Angeli castel-

lum quantocyus transferantur : ſolet enim Senatus Romanus, qui, mortuo Pontifice, jurisdictionem per Vrbem ampliorem exercet, captivis gratiam facere, eosque e cuſtodia liberare. Interea loci conveniunt Cardinales, Legatiq;, citra moram, & erga Cardinalem Nepotem ægrimoniam ſuam, ob Pontificis imminentem mortem teſtantur, ſimulque cum ipſo in conclave animam agentis ſeſe conferunt, ut hunc e vita emigrantem, precibus ſuis proſequantur. Notandum autem, Pontifices ante obitum, *nulla Teſtamenta, aut voce, aut literis condere:* vix enim hereditatem aliquam poſt ſe relinquunt, quod omnes facultates ſuas, dum ſuperſtites vitam agunt, inter Nepotes dividere conſueverunt: Bullas tamen in favorem ipſorum expediunt, quibus tum eccleſiaſticis, tum ſecularibus bonis, abunde illis proſpicitur. Poſtquam deceſſit Pontifex, Cardinalis Nepos, omnesque familiares ejus, Palatium deſerunt, ac in Vrbem habitatum concedunt, vacuum *relinquentes Palatium Cardinali Camerario*, ut ibi moretur, quoad in conclave ingreſſus ſit. Adeſt mox Camerarius, &, poſtquam exanime cadaver Pontificis nonnihil colluſtravit, *omnia Sigilla & Typaria* defuncti, quæ ad ipſum Datarii ac Secretarii deferunt, ne qua fraus impoſterum committi queat, confringit. Comminuitur quoque in fruſta *Annulus Piſcatoris*, qui ſigillum eſt totum aureum, valore centum Scutatorum, quod ipſe Pontifex ſuſpenſum e collo geſtare ſolet, & cujus fragmina, ex veteri more, cedunt Magiſtris Ceremoniarum. Camerario adhærent deinde *milites Prætoriani Pontificis*, non in Palatio tantum, ſed & cum per Vrbem incedit. Idem Inventarium conficit bonorum mortui Pontificis, quin & *Numos*

cudit,

cudit, qui una parte Sedem vacuam, aut Claves, decussatim sub umbella positos, altera ejus Insignia gentilitia exhibent. Habentur vero singulis diebus, mane, peractis sacris, *Congregationes Cardinalium*, in quibus, exspirantibus jam, cum ipso Pontifice, Præfecturis Regionum, & Vrbium, universisq; aliis (nisi quibus Cardinales præsunt) Curiæ muneribus ac officiis, de confirmandis tantisper, ad novi usque Pontificis electionem, antiquis Administratoribus magis necessariis, aut etiam aliis substituendis; de scribendis ad Reges & Principes exteros literis; & de toto futuro Conclavi ordinando, instituitur dedeliberatio. Præcipue, supremo militiæ Ecclesiasticæ Duci, Præfecto Vrbis Romæ, & Præposito Castelli S. Angeli, prorogatur potestas. Pomeridianas horas, mutuis arcanisque inter se, & cum Legatis Principum colloquiis, Cardinales impendunt. Cæterum, Pontificis mortui exenteratum *corpus, Pontificali habitu splendide amictum, a Canonicis S.Petri in Vaticanum defertur*, comitantibus funus, ab illo creatis Cardinalibus, domesticisq; ejus, ibique in Sacello Gregoriano, cujus aditus cancellis præclusus, populo postremo venerandum, pesque dexter, extra cancellos porrectus, eidem osculandus exponitur. Continuatur hæc ceremonia per triduum, quo finito, cadaver, eorundem, qui illud in Vaticanum detulerant, interventu, *in loculum cupresseum*, additis Numis aureis argenteisque, memoriam rerum gestarum continentibus, deponitur. Cupresseus loculus, alio plumbeo, probe obturato, operitur: atque hoc (ceu vocatur) depositum, per annum integrum, in Ecclesia Vaticana sic relinquendum est, postea, Propinquis & Necessariis, ubi placuerit, sepeliendum conceditur.

Celebrantur interim, post constructum Doloris Castrum, sive Bustum, *Novendialia Sacra*, quibus, in illo ipso templo, pro anima defuncti, rogationes & supplicationes instituuntur. In hoc Interregno, quia *accrevit Cardinalibus dignitas*, ac Ecclesiæ regimen ii tenent, Rochetum (carbasinum hyperendyma est, autoritatis nota: ipsaq; vox Rochetum, sequioris Latinitatis Scriptoribus in usu est) nudum gestant; juxta latus suum in vehiculo considendi, nulli Prælatorum potestatem faciunt; solis Regiis Legatis occurrentibus, & fræna equorum inhibentibus, ipsi simili civilitatis genere respondent; denique, quoties omnes junctim Senatum agunt, ne coram Regiis quidem Legatis, cum admittuntur, aperiunt capita. In Vestibus, id observant discrimen, ut defuncti Pontificis creaturæ utantur plane violaceis, cæteri violaceis quidem, (is enim omnium in luctu color est) sed quibus fimbria rubra prætexitur. Solent autem Legati Regum Principumq; omnes Cardinales simul congregatos adire, iis desideria Superiorum, a quibus missi, exponere, ipsorumque nomine, Conclavis tutelam polliceri. Paratur interea temporis *Conclave hoc*, idque nihil est aliud, quam Palatii Vaticani spatium, quod Aulæ aliquot & Conclavia, itemq; Ambulacrum passus 70. longum, cum Sacellis duobus, & Benedictionis Pergula absolvunt. Hic loci, pro numero Cardinalium, totidem fiunt casulæ sive gurgustia, ex simplicibus asseribus coagmentata, quorum quodque altum est pedes XXII. latum XX. sejunctum ab altero, & a pariete, pedem unum. Illud vero *Sacellum, quod a Sixto IV nomen habet*, vacuum relinquitur, ad CardinaliumConcilia ibi celebran-

lebranda. Confectæ sic Casulæ, notantur singulis, aut, quia singulæ non sufficiunt, binis ternisque Alphabeti literis, distinctionis causa. *Sumtus* universæ Conclavis fabricæ, ultra quinquies mille & quingentos Scutatos exigunt, quos, una cum impensis funebribus, stipendiis militum, aliisque expensis ejusmodi, Fiscus Vrbis Romæ suppeditat: quippe, in Interregno, Ecclesiæ thesauris parcere jubet religio. Ascendunt autem impensæ cujusque Mensis, durante Conclavi, ad 175000. Scutatos circiter. Hic vero notandum, quod, cum prioris ævi Pontificum electiones, quia quotidie in Æde aliqua sacra conveniebant Cardinales, & ad propria revertebantur, magnis turbis, tarditati quoque ac procrastinationi obnoxiæ essent, post obitum Clementis IV. qui A. C. 1251. contigit, *Conclavis*, ceu communis fert opinio, *usus excogitatus fuerit*. Nempe, duravit tum Interregnum per biennium integrum, & menses novem. Bonaventura igitur, inter cæteros Cardinales sanctitate conspicuus, Franciscani Ordinis Generalis, Civibus Viterbiensibus (apud quos peragebatur electio) persuasit, ut in Episcopali Palatio congregatos Cardinales, exitu Aulæ prohiberent, atque sic vi ad creandum Pontificem compellerent. Cum vero ne hac quidem ratione, ad concordiam redigerentur, Capitaneus Civitatis, Rainerius Gattus, tectum Aulæ demolitus est, &, objiciendo Cardinales omnibus aëris cœlique injuriis, denique necessitatem eligendi Pontificem iis imposuit. Electus autem fuit Gregorius X. atque is in Concilio Lugdunensi, A. 1273. habito, de Electionis Papalis negotio recte disponendo fuit solicitus, ac inter cætera, Conclavis usum imperavit. Id decretum Concilii, mox abrogavit

Hadria-

Hadrianus V. cumque dubitaretur, num hæc abrogatio, quippe a 50. tantum dierum Pontifice, & nondum coronato, facta, robur ac ſanctionem legis haberet, is, qui eum excepit, Johannes XXI. illam autoritate ſua communivit, unde, qui ipſum ordine exceperunt, Nicolaus III. Martinus IV. Honorius IV. (aliis Quintus eſt) Nicolaus IV. & Cœleſtinus V. Pontifices, extra Conclave fuere electi. At Cœleſtinus, Gregorii edicto vigorem reddidit, Conclaviſque uſum voluit reſtitutum. Cujus veſtigiis inſiſtens Bonifacius VIII. ſucceſſor, Gregorianam conſtitutionem Sexto Decretalium inſeruit, nec unquam poſtea, niſi in Conclavi, electio fuit inſtituta. Amplius obſervandum, cum pridem ex Nicolai II. qui Vndecimo Seculo vixit, diſpoſitione, quæ extat Diſtinct. 36. c. *In nomine Domini*: quemq; idoneum, ſive e Cardinalium numero, ſive alterius ſacri ordinis, is deprehenderetur, Pontificem eligere liceret, unde A. 1305. Clemens V. electus fuit, qui non tantum extra Italiam in Gallia morabatur, ſed adeo nec Cardinalis erat; primus Paulus II. qui A. 1464. poteſtatem indeptus eſt, legem tulit, *ne quis alius, quam Cardinalis, Pontifex conſtitueretur.* Cumque, per Gregorii X. Bullam, electionem novi Pontificis in ea urbe facere *tenerentur Cardinales, in cujus territorio, ſeu diſtrictu, is, qui anteceſſerat, mortuus erat, modo non interdicta eſſet, vel contra Eccleſiam Romanam in aperta rebellione perſiſteret*, Clemens VII. ſolam *Vrbem Romam*, electionis negotio propriam dicaſſe dicitur.

Cæterum, *Senatus Vrbis Romæ*, intellecta Pontificis morte, in Capitolio convenit, atque ejus mox juſſu, rauco mœſtoq; ſono tympanorum, tota civitate divul-

vulgatur, vita excessisse Pontificem; aperiuntur carceres, facta ibi detentis exeundi potestate; promulgatur edictum, de suspendenda in quaque domo, tota nocte, lampade accensa, ad fenestram; imprimis vero, de nocturnis per universam Civitatem excubiis, accuratæ fiunt dispositiones. Solent quoq; Cardinales, Legati item Principum, & defuncti Pontificis Nepotes, *de militibus sibi prospicere*, ut tum sese, tum ædes suas, adversus plebem, quæ, Sede vacante, nihil non licere sibi existimat, ac tumultuari & furere subinde occipit, immunes ab injuria & violentia præstent.

Nono a Pontificis obitu die, habetur in Vaticano templo, post finitum Missæ Officium, *Oratio funebris*, in laudem Pontificis demortui. Ea dicta, omnes Cardinales Bustum, plenum luminibus, circumeunt, ex iisq; quinque pullati, inter consuetas preces, illud aqua lustrali conspergunt, & suffumigant multo thure; atque sic Exequiis finis imponitur.

Decimo die, peractis sacris, *Cardinalis Camerarius Vrnas duas afferre jubet*, in quarum unam, omnium Cardinalium propria Nomina, schedis totidem inscripta, in alteram autem, notas alphabeticas, quæ casulas discriminant, postquam conjecit, ex priore deinde Vrna, nomen Cardinalis, quod fortuito offertur, ac simul quoque ex altera, pittacium, litera aliqua alphabeti signatum, extrahit, atque sic cuiq; Cardinali, eam, quam sorte nactus est, mansionem assignat. Sortitioni, præter Episcopos & Præsules multos, adstant Cardinalium Ministri, qui, ejus eventu intellecto, e vestigio Herorum suorum Casulas exornant, & foris ac intus peripetasmatis obducunt, ita tamen, ut ea, quibus recens defuncti Pontificis Creaturarum ædiculæ operiuntur, violaceo, cætera viridi colore sint imbuta.

buta. Inferuntur deinde in ædiculas, mensa, lectus, candelabra, & utensilia alia: foribus, quæ gemino tantum fuste, decussatim posito, claudi solent, Insignia præfiguntur.

Die Vndecimo, mane summo, e lecto surgentes Cardinales, suos quisq; *familiares & domesticos sedulo hortatur*, ne se absente quid turbarum dent, ut noctu intra ædes se contineant, & Deum, pro fausto electionis successu, precari meminerint. Postea in templum Vaticanum sese conferunt, ibiq; Missam celebrat Cardinalis Decanus, una preces fundens, ut electio feliciter eveniat. Sacrorum celebrationem excipere solet *Oratio Hortatoria ad Cardinales*, qua is, qui a Cardinale Camerario jussus est, de negotii, quod aggressuri sunt Cardinales, arduitate, perorat, eosq; hortatur, *ne cæco & temerario, & invitos etiam, ut interdum fit, ac quid agatur nescios, rapiente paucorum motu, sed certo maturoq; judicio, ejusmodi Pontificem, concordibus suffragiis, quamprimum deligant, qui dispersa colligat, lapsa erigat, depravata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat.* Recitavit ejus generis Sermonem, post Gregorii XIII. obitum, M. Antonius Muretus, qui cæteris ejus orationibus insertus legitur, & verba jam modo expressa, suppeditavit. Dehinc, Magister Ceremoniarum primarius, sumta in manus Cruce Papali, recta via, *ad Conclave progreditur.* Sequuntur Domestici Cardinalium; post hos incedunt Cantores, decantantes hymnum, *Veni S. Spiritus:* proximi sunt Cardinales, secundum Episcopatus, Presbyterii, & Diaconatus Classes distincti, binis semper juxtim ambulantibus; agmen claudunt Ecclesiæ Romanæ Præsules, & turba reliqua promiscua.

In

In Conclave cum ventum eſt, Sixti IV. Sacellum petitur, ad cujus aram *Cardinalis Decanus preces aliquas recitat*. Poſtea prælеguntur a Magiſtro Ceremoniarum conſtitutiones omnes Pontificum, ad Conclave & Electionem attinentes, quas inter Pii V. Bulla, de non alienandis bonis Eccleſiæ, primas facile obtinet, & tum Cardinales ad illarum obſervationem, juramento ſeſe obſtringunt. Superaddit Cardinalis Decanus obteſtationem, de electionis negotio, pie ſancteq; tractando: atque ſic deinde Cardinales, in ſuas ædiculas ſe recipiunt, ibiq; prandent. Cibo ſumto, conveniunt rurſus in Sixti IV. Sacello, ac Decanus, præſente Notario, a Principe Savellio, Conclavis Cuſtode, ac Eccleſiæ Mareſchallo perpetuo, a Legatis Principum, a Senatus Romani ſelectis, itemq; a Prælatis, jusjurandum, rite tactis Sacris Evangeliis, exigit, de ſolicite tuendo Conclavi, & omni vi propulſanda; de nemine mortalium admittendo ad cujusquam Cardinalis clandeſtinum colloquium; de nulli eorum offerendis clam epiſtolis; de ſcrutandis accurate cibis, ne quid literarum in iis lateat; & deniq; de vino & aqua, in vitreis tantum lagenis admittendis, ut ſic omnis doli tollatur ſuſpicio. Jurejurando præſtito, omnes, quibus in Conclavi morandi nullum jus eſt, foras egredi jubentur. *Manent autem reſidui*, præter Cardinales, quidam Prælatus eximiæ autoritatis, Gubernator Conclavis dictus, in commune proſpiciens, ne quid rerum neceſſariarum deficiat, aut ne quod oriatur incendium. Porro, Sacellanus, cum ſocio: Secretarius Conclavis, cum ſocio: Magiſtri Ceremoniarum duo, (alii quinque numerant) cum famulo uno: Monachus, aut Jeſuita, futurus a confeſſionibus: Doctores Phyſici

duo: Doctor Chirurgus unus: Magister pharmacorum, cum ministris duobus: Tonsores duo, cum totidem ministris: Lignarius faber unus, & cæmentarius unus: bajuli, sive communes servi, XVI. omnes judicio diligenti Cardinalium selecti, & jurejurando in fidem & obsequium obstricti: quibus omnibus peculiares in Conclavi mansiones sive latibula assignantur: ajuntque, Magistros Ceremoniarum in latrina semper pernoctare.

Ad Cardinales quod attinet, horum cuiq; sani validiq; corporis; conceduntur Ministri duo, e morbo laboranti, tertium adsciscere licet. Ab hoc autem famulatu arcentur Ministratores Principis alicujus, Mercatores, Fratres, aut Nepotes Cardinalium, &, qui annum integrum, in ejus Cardinalis, cui operam daturi sunt, servitio, nondum exegerunt. Enim vero, magna in cœptandis ministris his, qui *Conclavistæ* vocari solent, opus est cura & solicitudine. Namque illi etiam, rumores disseminando vel aucupando, solicitationibus quoque minisq; suis, & arcana consilia dum vel rimantur, vel produnt, recteq; ac commode tractant, partes sæpe non minimas in Pontificum electionibus inveniunt, & pondus rebus, quæ geruntur, addere solent. Ergo, *in adsciscendo Conclavista, imprimis spectandum Cardinali*, ut fidelis sit, & adversus omnes pollicitationes ac corruptiones, cujuscunque generis illæ fuerint, inexpugnabilis. Vt præteritorum Conclavium exactissimam habeat notitiam, & causas perspectas ac exploratas teneat, ob quas quisque repulsam tulit, aut ad Pontificatus honorem fuit sublatus. Vt norit tempora distinguere, ac dijudicare, in quo statu olim res fuerint, & in quo in præsentia deprehendantur. Vt in nume-

numerato ei ſint veteres ſacræ profanæque hiſtoriæ. Vt noſcat mores, ac præcipua, Cardinalium ſingulorum non modo, ſed & eorum, qui ipſis addicti ſunt, ſtudia ac deſideria; amicitias item, quas cum aliis colunt, & quorum Principum commodis patrocinentur. Inſuper neceſſe eſt, ut in arena conſilium invenire, futura e præteritis providere, aliorum arcana expiſcari, ſua abſcondere Conclaviſta didicerit: denique, ut audax ſit; cum ſubinde quædam eveniant, in quibus ille ſuperior evadit, qui cæteris magis frontem perfricuit. Atque hi Conclaviſtæ, finito Conclavi, *Hiſtoriam* ejus conſcribere ſolent: unde variæ ſemper prodeunt, e quibus una exactior, cæteris pereuntibus, ferre ſolet ætatem: extantque multæ variorum Conclavium Recenſiones ejuſmodi, in unum Volumen redactæ.

Ex quo univerſi, qui exeſſe debent, foras ſe proripuere, dato a Magiſtro Ceremoniarum cum campana ſigno, *clauditur Conclave*, omnesque, præter januam unicam, cujus claves varii tenent, aditus, foramina, feneſtræ, quin & rimæ omnes, calce lapidibusq; probe obturantur. Vnde Caſulas Cardinalium, etiam interdiu, ſoli cerei illuminant. Cæterum, ad cibum intromittendum, *Rotulæ*, ceu vocantur, & quales ubique in Monialium cœnobiis ſpectare licet, ſeptem parantur, quin & ad has, iis, qui foris conſtituti ſunt, cum Cardinalibus & Conclaviſtis loqui licet, ſi rei neceſſitas poſtulet, ut intus agentes, de re aliqua certiores reddantur. Non tamen colloquentes iſti mutuo ſeſe conſpiciunt, & voce clara, nec alia lingua, quam Italica aut Latina, utendum, ut ea, quæ dicuntur, ab omnibus exaudiri & intelligi poſſint. Charta autem, impreſſisque foris

& intus sigillis, post allatum cibum, obfirmantur Rotulæ, ne circumducantur. Occluso undiq; Conclavi, Cardinalis Camerarius, duobus pro libitu Collegis assumtis, *facibus accensis omnes totius Conclavis angulos scrutatur*, ne quis forte alicubi lateat, cui in conclavi degendi nulla potestas: nec minus in obturamenta inquiritur, ne hient, ne vacillent. Quæ universa si ex sententia deprehenduntur, conficiunt Magistri Ceremoniarum, qui simul Notariorum Apostolicorum munere funguntur, *Instrumentum*, quo, de legitime clauso Conclavi, fides fit. Dum ista geruntur, curante Savellio Principe, *Custodiæ Conclavis* suas stationes occupant: quæ quatuor sunt. Scilicet, *Helvetii milites*, in quatuor turmas divisi, in S. Petri area excubias suas agunt, ad omnes impetus arcendos. Portam Palatii Vaticani custodiunt *Senatores Vrbis Romæ*, qui hoc operam dant, ne quis clam internuncius introrumpat. Scalas tuentur *Legati Principum*, & ipsi impedientes, ne quid ex adverso ingruat, quod Cardinalium quietem turbare possit. Postremo, ipsam januam Conclavis, *Episcopi Prælatiq;* commissam habent, quæ intus forisque seris occluditur. Ex eodem ordine, aliqui, per vices Rotis præfecti, cibos, Cardinalium epulis destinatos, priusquam exhibeantur, sedulo scrutari debent, ne literis sint suffarcinati. Ipsa *Janua Conclavis* nunquam patefit, nisi cum aut Cardinales, peregre adventantes, intromittendi, aut, qui lethaliter in Conclavi decumbunt, illud deserendi licentiam, a majori parte Cardinalium, impetrarunt. Conclavistarum si quis emissus fuerit, nunquam amplius in Conclave recipitur: de Cardinalibus secus se res habet. Cum vero hi rursus intromittuntur, illorum

rum eadem, quæ peregre adventantium, ratio eſt, ut nimirum nihil ex iis, quæ ante ingreſſum pertractata ſunt, immutare valeant; ſed tantum ſtatui, in quo res conſtitutæ, ingerere iis ſeſe liceat. Eſt quoque hoc in electione Papæ ſingulare, quod nec citatio Cardinalium neceſſaria; nec abſentibus votum parteſque ſuas aliis demandare conceditur.

Quoniam, ſecundum Pii IV. conſtitutionem, nemo Cardinalium, niſi ſaltem Ordine *Diaconatus* polleat, ad electionem Pontificis admittitur; inſpicere oportet, antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus præſentibus, illo Ordine deſtituantur; tales enim excludendi forent, niſi privilegio Pontificis ſibi caverint. *De Cardinali, cui ante mortem Pontificis os clauſum fuit*, dubitatum aliquando eſt, num talis ad electionem admitti debeat. Sed litem Pius V. decidit, decernens, oris occluſionem, ceremoniam nudam eſſe; ea de cauſa introductam, ut Cardinales, priusquam in Conſiſtoriis & Congregationibus ſuffragium ferunt, de modeſtia admoneantur; nec impedire eam præcipuum Cardinalium munus, quod in electione Pontificis conſiſtit. Similiter nefas eſt, cenſuræ aut excommunicationis prætextu, Cardinalem ab electione active aut paſſive excludere.

Poſtridie ejus diei, quo Conclave clauſum fuit, congregatis mane in Capella Sixti Cardinalibus, & ab utroque latere ſedilia, ante quæ pulpita elevata, ad ſcribendum apta, diſpoſita habent; occupantibus, Cardinalis Decanus *Miſſam Spiritus S.* ſubmiſſe celebrat, omnibusque Cardinalibus ſacram Synaxin ubi porrexit, *Electionis fit initium.* Eſt vero, ex Innocentii III. c. *Quia propter: 42. de Electione & electi*

pot. modus eligendi Pontificem triplex : unus per Inſpirationem, alter per Compromiſſum, tertius per Scrutinium, cum quo fere connectitur Acceſſus. *Per Inſpirationem* dicitur Electio, cum ſimul omnes Cardinales, quaſi Spiritu S. afflati, nulla præcedente deliberatione, viva voce, in unius electionem conſentiunt. Nempe, ſi, in pleno conſeſſu Cardinalium, aliquis eorum mox in hæc verba ex improviſo erumperet: *Eminentiſſimi Domini: Semper ego perſpexi in Eminentiſſimo Domino Cardinale N. ſingularem probitatem, virtutem, induſtriam, ac ingenium mirificum. Quamobrem omnino perſuaſus ſum, eo meliorem reperire nos non poſſe, atq; ſic meo ſuffragio, ex animi ſententia, ipſum Pontificem depoſco, eligo, deſigno.* Jam, ſi, his auditis, cæteri omnes, nemine excepto, ſententiæ ſubſcribentes, verbum *eligo* acclamarent, talis pro vero, ac canonice per inſpirationem electo Papa, haberi debet. *Per Compromiſſum* electio fit, cum eligendi poteſtas uni, vel pluribus Cardinalibus conceditur, ut omnium nomine Sedi vacanti proſpiciant, aut alios ad electionem faciendam porro deſignent. Talis electionis Johannes XXI. prius, Jacobus Oſſa dictus, quiq; Portuenſis Epiſcopus fuerat, exemplum inſigne præbet, quod Nauclerus Tom. 2. gen. 24. his verbis enunciat : *Anno Domini 1316. cum vacaſſet Eccleſia poſt mortem Clementis V. duobus annis, propter diſcordiam Cardinalium, ad quos ſpectabat electio, qui Avenioni congregati erant, nam multi Cardinales erant Guaſcones, & hi quærebant habere Guaſconem, aliis aliter ſentientibus: demum in hoc omnes convenerunt Lugduni, ut Jacobus Portuenſis Cardinalis, vice omnium, eligeret unum. Sed fefellit eos opinio: nam*

iam neq; ex una parte, neq; ex altera elegit, sed, de consilio Neapolitani Cardinalis de Vrsinis, seipsum elegit. Et quamvis in aliis electionibus quis seipsum eligere non valeat; tamen in electione Papæ non prohibetur, cum sibi committitur electio.

Per Scrutinium Electio instituitur, cum omnes Cardinales in secreta eunt suffragia, quæ, in scripturam redacta, publicantur deinde, ita ut is electus Pontifex censeatur, in quem vel Cardinales omnes, vel minimum duæ illorum tertiæ consentiunt. Quod enim sedulo notandum, non sufficit in Romani Pontificis electione, majoris partis, etiam respectu totius Collegii eligentium, consensus; quod tamen tum in aliis, tum maxime, in Episcoporum & Archiepiscoporum electionibus cæteroquin obtinet; sed, nisi duæ tertiæ in unum conspirent, effectu caret Pontificis electio. Rationem diversitatis docet nos Alexander III. Pontifex in c. 6. *licet de vitanda. de electione & electi pot.* quod nimirum in electionibus aliis, majoris & sanioris partis sententia possit & debeat prævalere, *quia quod in eis in dubium venerit, superioris judicio poterit definiri: in Romana vero Ecclesia speciale aliquid constitui, quia non poterit ad superiorem recursus haberi.*

Hac tempestate, ut scilicet tumultus & confusiones tanto magis evitentur, haud aliter, quam per Scrutinium, Romanorum Pontificum fiunt electiones: isque actus hoc modo peragitur. Est in medio Sacelli mensa, in eam Magistri Ceremoniarum, *Discos argenteos*, Schedis, quibus vota inscribere oportet, aliosque, crustulis rubris, quas vulgo Hostias appellamus, & quarum in obsignandis literis usus est, plenos reponunt. Ergo quisque Cardinalium ad

menſam accedit, &, ſumta ſibi Scheda, ad locum ſuum revertitur, ſuffragiumque in illam deſcribit. Eſt vero *Scheda*, plagulæ chartaceæ octava fere pars, in cujus ſummitatem, eligens nomen ſuum notare debet, v. c. *Ego Flavius Cardinalis Chigi*; mox complicata, ad duorum digitorum menſuram, ſchedulæ parte hac ſuperiore, hoſtiâ, quin & in hunc ſolum uſum, ne a quoquam cognoſci poſſit, recens facto ſigillo, eadem obſignatur. Porro, in medio ſchedæ, verbis ſequentibus, *Eligo in Summum Pontificem, Reverendiſſimum Dominum meum, Dominum Cardinalem*, quæ ibi typis excuſa deprehenduntur, mutatis, quantum fieri poteſt, conſuetis literarum ductibus, calamo addendum nomen ejus, quem quis electum cupit v. c. *Antonium Pignatellum*. Ad finem ſchedæ, Symbolum aliquod, cum nota numerali, aut aſteriſco aliquo deſcribendum: v. c. ☿ *Kyrie Eleiſon*. Atque hæc ima pars, ſimili modo obſignatur, prout circa ſupremam fuerat obſervatum, ita ut nihil, præter verba in medio exarata, lecturis ſit expoſitum. Replicatur deinde ſcheda, in cujus partibus, quæ extimæ evadunt, ne nomen eligentis, aut ſymbolum quod ſibi ſumſit, pelluceant, limbi expreſſi ſunt, quales typograhi ad pagellas exornandas adhibent, quique Italis *fregi* dicuntur.

Cum ſic paratæ Schedæ ſunt, Cardinalis Decanus *ſuffragari incipit*, ſumtaq; in manus Scheda ſua, palam, ut ab omnibus conſpici poſſit, eam geſtando, ad altare ſe confert, inque genua procumbens, & preces quaſdam fundens, mox conſurgit, & voce clara, ſecundum verba, tabellæ ſuper altare poſitæ, inſcripta, jusjurandum concipit, inquiens: *Teſtor Chriſtum Do-*

minum

minum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in Accessu præstabo. Post præstitum jusjurandum, Cardinalis Archipresbyter Calicem, qui eodem die in Missæ sacrificio fuit adhibitus, patella sacra obtectum, ipsi offert, atque tum, postquam Cardinalis Archidiaconus patellam removit, Decanus Schedam, prius illam exosculatus, in Calicem deponit, atque sic juxta altare consistit, Calicem deinde cæteris exhibiturus, dum Archipresbyter, & Archidiaconus, porro in illo retegendo sese occupant. Decani, in ferendo suffragio exemplum, imitantur omnes cæteri, nisi quod horum quisque, postquam suffragatus est, suum locum repetit. Cardinalium, ob debilitatem loco movere se non valentium, vota, quidam ex tribus illis, coram altari ministrantibus Cardinalibus, petitum advenit, & ad altare deportat. Si qui in Casulis suis *infirmi decumbunt* Cardinales, iidem illi Cardinales, Ordinum Antesignani, cistulam, rimam quandam, per quam Scheda in eam demitti possit, superne habentem, ad ægrotos deferunt, ut in hac suffragia excipiant. Atque hæc prius in conspectu omnium Cardinalium excutienda est, & clavis in altari relinquenda. Reversi Cardinales, reclusa capsula, Schedas immissas palam numerant, cumq; numero ægrotorum respondere deprehenduntur, etiam has reliquis in Calice adjungunt.

Omnium votis rite collectis, agitat Cardinalis Archidiaconus Calicem, & ex eo schedulas singulatim depromens, inque alium vacuum calicem reponens, dispicit, num suffragiorum numerus cum numero Cardinalium conveniat: nam, si quod abundat, aut deficit suffragium, omnes schedas comburere, & rur-

ſus in ſuffragia ire oportet. Cum autem probus & ſibi conſtans eſt ſchedarum numerus, Cardinali Decano incumbit, Calicem iis repletum ad menſam deferre, rurſusq;, eo concuſſo, ſchedulas in argenteum diſcum effundere. Dehinc, ſumta in manus ſcheda, quæ prima ſeſe offert, eâque, ſigillis ſalvis, in tantum explicata, ut ſolum electi nomen, quod in medio ſcriptum, legi queat, inſpicit illud, traditq; ſchedam Cardinali Archipresbytero: qui, pariter electi nomine explorato, eandem porrigit Cardinali Archidiacono, atq; hic tandem id nomen, quod ibi ſcriptum eſt, proclamat, atq; tum cæteri Cardinales, omnium Collegarum nomina in chartæ folio impreſſa habentes, illi, quod recitatur, ſignum appingunt, idque toties iterant, quoties ejusdem nominis fit repetitio. Lectam Schedam Cardinalis Archidiaconus filo cuidam, quod cum acu in illum uſum præſto eſt, applicat, idemque, poſtquam circa ſingulas hoc ipſum obſervavit, fili extremitates conſtringit in nodum. Numerantur deinde ſuffragia, ſummamq; perſpicue iterum enunciat Cardinalis Archidiaconus, hac verborum conceptione: *Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Antonius Pignatelli habet ſuffragia XV. Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Flavius Chigi habet ſuffragia X. &c.* Quod ſi jam duæ tertiæ Cardinalium præſentium, circa unum ſolum, votis ſuis conſentiant, is quidem numerus ſufficit: quique ſic electus fuit, cenſetur Pontifex, modo inter duas tertias, ipſius electi votum non comprehendatur; ſe enim ipſum, in ſcrutinio, eligere quis prohibetur. Quamobrem, cum exactiſſime duæ tertiæ Cardinalium conſpirant, ita ut ne unicum quidem votum abundet, aperienda ſunt votorum ſigilla ſuprema, & diſpi-

dispiciendum annon in eo numero, ipse electus quoque reperiatur. Id si contingeret, irrita est electio. Quando vero plura duabus tertiis vota concordant, partis supremæ sigilla laxare neutiquam opus est.

Non facile in Scrutinio nudo conficitur Electionis negotium. Itaque statim, ejus electionis, quæ per *Accessum* vocatur, & cum priore affinitatem habet, ac ideo ad illam revocatur, (non enim diversum electionis genus constituit) fit periculum: atque, ob hanc causam, jam in ipso ante Scrutinium juramento, Accessus facta mentio, ita ut novo minime opus sit. Licet autem in Accessu, suo voto, ei, qui in Scrutinio jam alia suffragia tulit, accedere: quoad reliqua vero, Accessus fere eadem, quæ Scrutinii, ratio est. Nimirum, ad mensam procedentes Cardinales, sibi quisque schedam capit ex Disco Accessus, quæ ita componenda est, ut in duabus extremitatibus, nihil differat a scheda Scrutinii: in medio vero pro illis: *Eligo in summum Pontificem &c.* rescribendum: *Accedo ad Eminentissimum Dominum meum, Dominum Cardinalem Antonium Pignatelli.* Qui, ad neminem accedere vult, id significat verbis: *Accedo nemini.* Cum vota Accessus collecta, eademq; qua Scrutinii suffragia ratione fuere tractata & promulgata, tum Cardinalis Decanus, apertis, quæ infra sunt sigillis, schedas has Accessus diligenter inspicit, inspectasque tradit Cardinali Archipresbytero, qui eas Cardinali Archidiacono exhibet, atque hic clara iterum voce recitat Sigilla & Symbola schedarum, quæ Cardinales, in chartam, sub titulo, *Sigilla & Signa Accessuum*, conjiciunt. Verbi causa, esto Sigillum Cardinalis Chigii nota hæc Mercurii ☿, Symbolum esto, *Kyrie Eleison*: id igitur Cardinales annotant.

tant. Post Schedarum Accessus recitationem, Scrutinii Schedas ad eas exigere oportet. Videlicet, capit Decanus primam, quæ se in filo exhibet, Scrutinii Schedam, inspectoque ejus Sigillo, alterum eidem geminum quærit inter Sigilla Accessuum. Id ubi reperit, Scrutinii Schedam in illa parte, qua Symbolum est, aperit, atque Symbola eadem utrobique deprehendens, in testimonium vocat reliquos duos Scrutatores, qui, post adhibitam diligentem inspectionem, si & ipsi judicent, eadem utrinque esse Sigilla & Symbola, porro dispiciendum, num Scrutinii & Accessus suffragium unam eandemque designent personam; id vero cum accidit, Accessus votum inutile & illegitimum reputatur. Quando vero electarum personarum invenitur diversitas, probum est id suffragium, atque tum Archidiaconus sigillum & symbolum Schedæ Scrutinii, & insuper nomen electi, quod in ea continetur, divulgat, iterum Cardinalibus, sub titulo, *Sigilla & Signa Scrutinii, Accessibus respondentia*, omnia literis consignantibus. Vt res manifestior evadat, sequens faciet schema:

Sigilla & Signa Accessuum.	*Sigilla & Signa Scrutinii Accessibus respondentia.*	*Cardinales nominati in Scrutinio.*
☿ 100. Kyrie Eleison.	☿ 100. Kyrie Eleison.	Pignatelli.
☉ 7. Ave Maria	☉ 7. Ave Maria.	Chigi.
☽ 70. Chrysostomus.	☽ 70. Chrysostomus.	Colonna.
♓ 0. Sanctitas.	♓ 0. Sanctitas.	Cibo.
♁ 4. Cherubim.	♁ 4. Cherubim.	Maidalchini.

His

His ita peractis, summa colligitur suffragiorum, quibus quisque in Scrutinio solo, sive in Scrutinio & Accessu fuit beatus, eademque publicantur; atque, si nec in Accessu, duæ tertiæ in eundem colliment, comburuntur, Cardinalibus præsentibus, schedæ omnes: & tam diu repetenda electio, quoad duarum tertiarum fiat conspiratio.

In Pontificum Electionibus, quantæ simultates, altercationes, turbæque subinde oriantur, præter Conclavium historias, etiam gravissimus Scriptor Jacobus Augustus Thuanus, in historiarum libris, passim confirmat. Neque vero intra sola verba se continent Cardinales, sed & nonnunquam manus conserunt, ac ad verbera progrediuntur: quod haud ita pridem, in Conclavi, quod Clementis IX. obitum excepit, contigisse, fama ferebat: idque Guido Patinus, Medicus Parisiensis haud inglorius, in epistola, quæ inter familiares 179. numero est, ad Amicum his verbis perscripsit: *On dit, que quelques Cardinaux se sont battus dans le Conclave. Si cela est vrai, ne peut-on pas appeller cela, faire un Pape à coups de poings.* Sed tamen, non obstantibus mediis, quæ sæpe adhibentur, illicitis, studiisque partium, nihilo secius illum semper eligi Pontificem, quo cœlestis Providentia Ecclesiæ Romanæ prospectum vult, creditur vulgo; & in eam rem sic est apud Baptistam Nanium, Venetæ Reipublicæ Senatorem & Historicum, l. 4. Annalium Venetorum. *Da poiche alla dignità Ecclesiastica s' è aggregata la terrena potenza, e che la corruttione del secolo ha con la veneratione delle cose sacre confusi anco humani riguardi, i Prencipi hanno bene spesso nell' Elettione dè Sommi Pontefici procurato di profanare con loro interessi, ciò, che*

che tiene la Chiesa di puro, é di riguardeuole. Ma Dio, che l'ha sposata coll' anello della sua Fede verace, la protegge delle violenze, confonde i consigli, punisce gli attentati, preservandola col suo Spirito Sacrosanto. E chiaramente apparisce, che, se bene i Conclavi non sono esenti da fattioni, & affetti, ad ogni modo, riuscendo di rado i consigli de gli huomini, cade la Sorte, doue la Divina Providenza l' indrizza.

Quicquid de his sit, illud saltem inter omnes constat, nihil magis curæ cordique habere Cardinales, quam ut tales creent Pontifices, quales imprimis Ratio Status, & temporum conditio exigunt. Et vero, extant, tum Cardinalis Decii Azzolini, tum aliorum in hanc rem Monita: e quibus aliqua juvat excerpere. Principio, Gallica & Hispanica Cardinalium factiones, sibi invicem obstant, & electioni præjudicium afferunt. Ex quo enim Carolus V. Imperator, & Franciscus I. Galliæ Rex, capitali odio inter se diffidere cœperunt, & de gloria contendere, cum uterque arbitraretur, magnum rebus suis pondus, Pontificis gratiam & favorem afferre posse; hinc in devinciendis sibi Cardinalibus, omnem adhibuere diligentiam, quippe cum illi circa Pontificem assidue versentur, ejus consilia dirigant, mortuo vero ipso, jus novum surrogandi habeant. Successione deinde quadam, studia partium, in hanc usque diem, continuata sunt: & semper aliqui Cardinalium Gallis, alii Hispanis adhærent; multi tamen ex æquo utrisque favere velle videntur. Atque ex his postremis quidem Papa seligitur: nam, qui palam alterutri factioni nomen dedit, nullam Pontificatus adipiscendi spem habet: ac solent nominatim a Regibus Chri-

Christianissimo & Catholico, tanquam Pontificiæ dignitatis haud capaces, excludi, quos suis partibus inimicos credunt; contra vero designari Cardinales, qui ad illam possint admitti. Idem jus etiam Respublica Veneta, & Magnus Dux Hetruriæ sibi vindicarunt, ob eas, quas cum Regibus communes habent, rationes. Imprimis autem Magno Hetruriæ Duci, cum de Pontifice eligendo agitur, vehementer cauto opus est. Quia enim Hetruria, Ecclesiastico Statui plane contermina, ideo, ne magnum malum ex vicino malo ferat, sedulo opera danda. Neque vero negligitur ipsius autoritas, quoniam & ipse in vicem, ditionibus Ecclesiasticis, & prodesse plurimum, & nocere potis est. *II.* Regum Factionibus, haud multo post, inter Cardinales ea acessit, quam *Nepotismi* vocant, sive Clientum ejus e Cardinalibus, qui defuncti Pontificis Cognatus proximus fuit. Quotquot enim ipsius patrocinio Papam habuere propitium, auctoremque suæ dignitatis, commendatori suo reverentiam exhibent, nec ab eo se segregant. Originem Factioni huic dedisse dicitur Cardinalis Farnesius, qui, Paulo III. Pontifice agnato An. 1549. mortuo, non tantum, ut Julius III. sed & tres ordine Successores ejus, Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. Pontifices crearuntur, dedit effectum. *III.* In Candidato Pontificatus, ætas spectari solet, quæ debet esse provectior. Quia enim Pontificum crebra mutatio, magnum emolumentum plerisq;, qui Aulæ Romanæ addicti vivunt, varie affert, ideo cavendum, ne quis diu nimis potestate utatur. Adde, quod is, qui justo diutius Claves Petri tenet, multa, præter modum, in suum suorumq; commodum moliri ac perficere posset. *IV.* Prodi-

ere hac nostra ætate Conclavium novæ Factiones aliæ, quarum una *Cohortis Volantis, lo Squadrone Volante*, nomen sumsit, quia hâc illac circumvolitat, nulli cæterarum addicta, unice in excludendo, aut juvando ab aliis proposito Candidato, prout eum noxium, aut utilem Ecclesiæ, suisq; rebus judicat, sese occupans. Aliam, Cardinales in Roma Vrbe orti efformarunt, id pro viribus agentes, ne quis nisi Civis eorum, Pontifex creetur: atque post Vrbani VIII. & Clementis IX. obitum, reliquis sane factio ista prævaluit. *V.* Regibus ac Principibus genitis via ad Pontificatum præclusa est. Nempe tales creduntur tumidi esse, spiritus altos gerere, ac sublimia meditari. At Principum Italiæ multum refert, mitem ac mansuetum habere Pontificem, ut regionibus eorundem quies constet ac tranquillitas. Accedit, quod Cardinales Principes, reliquos humilioris originis, præ se contemnunt. Quapropter isti metuunt, ne, evectis ad supremam dignitatem Principibus, penitus ipsorum vilescat autoritas, atque aliquis Pontifex ejusmodi, tum propriis avitisq; tum Ecclesiæ facultatibus instructus, omnes res pro libitu administrare, rotunda quadratis permutare, imprimis vero Familiæ suæ, Pontificium decus jure quodam hereditario asserere instituat. Hinc ægre adeo nunc Principes ad Cardinalitium quoque honorem admittuntur. *VI.* Qui semel in enixe ambiendo Pontificatu repulsam tulit, non habet, quod speret, sequentibus temporibus se futurum feliciorem. Est enim Regula Conclavis, quod semel exclusus, perpetuo exclusus manere debeat: cum vice simplici Læsa Italica ingenia, nunquam bona fide, cum eo, a quo fuere offensa, redeant in gratiam, & magno periculo se exponant, qui inimico

mico reconciliato ſpes fortunasq; ſuas concredere ſuſtinent. *VII.* A dignitate Pontificia repelluntur nuper vita functorum Pontificum Cognati, ne in eadem familia is honos radices quaſi agat, non ita facile evellendas: tum vero, ut ad tanti boni communionem alii quoque admittantur. *VIII.* Rarenter aliis in B. Petri Cathedra ſedere conceditur, præterquam genitis in Statu Eccleſiaſtico. Quia enim Nepotes Pontificum immenſas ſemper opes cumulant, ſaltem opera danda, ne tantæ facultates, e Statu Eccleſiaſtico efferantur, faciantq; ad Principum & Rerumpublicarum Secularium poteſtatem adaugendam. Præterea cavendum, ne Peregrini Pontifices multa privilegia ſuis popularibus, uti ſolet cuique patria ſua eſſe cariſſima, in Romanæ Sedis injuriam, concedant, aut, Cognatos & Amicos ad ſe vocando, novis hominibus, veteres Quirites ſuis ſedibus pulſuris, impleant. Gallis, præter communes, propria quoque ratio Petri Claves committere prohibet. Etenim metus eſt, ne Gallus aliquis Pontifex, Sedem Roma iterum Avenionem transferat, ac Statum Eccleſiaſticum, ad illam, quæ tum obtinebat, extremam redigat vaſtitatem. *IX.* Ad ipſum electionis procurandæ negotium attinent, a Cardinale Azzolino ſuggeſta, conſilia, quæ ſequuntur. 1. Supremi honoris Eccleſiaſtici Candidatus neque verbis, neque geſtu aliquo prodere debet, quaſi illi inhiet, ſed potius ad Anteſignanum alicujus Factionis confugiendum, in ejusque ſinum vota ac deſideria deponenda. 2. Anteſignanus Factionis, nullius tutelam ſuſcipere debet, niſi de cujus liberalitate conſtat. 3. Cum vota ſufficientia procurata ſunt, juvat feſtinare electionem; quia non magnum ſæpe tempus, maximas rerum inducit mutationes. 4. Cum diu

mul-

multumq; inaniter disceptatum est, proponat Promotor quatuor aut quinque Candidatos, eo, quem maxime electum vellet, omisso, ut habeant Cardinales, de quo dimicent ad satietatem. Quæ, ubi ipsos cepit, & jam fessi languent, per opportunitatem denique veri Clientis injicienda mentio, ut negotium felicem sortiatur exitum. 5. Est medium aliquod, aucupandi gratiam apud contrariæ Factionis Antesignanum, si Promotor spondeat, non sibi, sed illi, debiturum Candidatum, ubi voti compos factus erit, totum electionis beneficium. 6. Circumspecte ei agendum, cujus votum aliquis, non tanquam Pontifex evasurus, sed nudæ existimationis parandæ causa, sollicitat. 7. Aliquando proderit, vocem spargere, jam de sufficientibus votis prospectum esse, ut timidiores percellantur, & non sustineant sese amplius segregare. 8. Cum Promotor animadvertit, adversæ Factionis Ducem pro inimico sibi Cardinale negotium suscipere, tum alius inimicissimus objiciendus, ut par pari referatur, quod illum remordeat. 9. Ante omnia opera danda, ut contrariæ Factiones, odio implacabili diffideant, quo sic, in illis turbis, sibi quis commode serere metereq; possit.

Tantæ molis negotium, postquam confectum est, atque aut omnes, aut pleriq;, aut saltem duæ Cardinalium eligentium tertiæ, in uno aliquo acquievere, tres Cardinales, Ordinum Primores, ad electum accedunt, eoque salutato, præcipuus illorum his eum compellat verbis: *Acceptasne electionem de te legitime factam in Summum Pontificem?* Solet Electus, antequam respondeat, prius spatium ad preces fundendas sibi deposcere, iisque peractis, tum demum dicere, *Accepto.* Instat igitur percontando Cardinalis

nalis Decanus: *Quomodo vis vocari?* atque sic Electus nomen, quo insigniri cupit, enunciat. Post hæc novus Pontifex, a duobus Cardinalibus Diaconis, ad altare deducitur. Ibi, demtis vestibus Cardinalitiis, Papali ornatu ab illis induitur: Calceis nimirum, quibus aurea crux phrygiano opere intexta, tunica sericea alba, rocheto, epomide, & aures integente vitta, ex holoserico rubro. Itali enunciant: *Scarpe con la croce d' oro ricamate, sottana bianca d' ormesino, rocchetto, mozzetta, e berettino di raso rosso:* dicunturque illis vestes hæ, *l' habito Camerale.* Ad hunc modum vestitus Pontifex, in sella ante altare posita, considet, fitque Adorationis initium, dum Cardinalis Decanus dextrum pedem, dextramque manum Pontificis, congenulatus exosculatur; quem consurgere jubens Papa, *Osculo Pacis in utraq; gena,* excipit. Similis circa cæteros observatur ratio. Interea temporis, unus ex Cardinalibus, quem Ceremoniarum Magister cum cruce antecedit, in Pergulam Benedictionis se confert, ejusque maceriem, ob Conclave factam, dirui jubet. Patefacta pergula, Crucem populo, in Vaticana area congregato, commonstrans, clamitat: *Annuncio vobis gaudium magnum! Habemus Papam Eminentissimum Dominum N. qui sibi nomen imposuit N.* Excipit hæc populi tripudiantis jubilus: campanæ tota urbe pulsantur, fitque tormentorum in Castello S. Angeli exoneratio. Peracta Adoratione, Pontifex atque Cardinales cibo sese reficiunt: fabri autem, bajulique, omnia Conclavis obturamenta demoliuntur. Ex brevi intervallo, iterum petitur Sacellum Sixti, atque Pontifex, jam Pontificali indumento, hoc est, alba, baltheo, stola, pluviali, & mitra amictus, Sellam

jam in altari conſtitutam conſcendit, peragiturque ſecunda Adoratio, iiſdem, quibus prima, ritibus. Dehinc Sellæ inſidens Pontifex, deportatur in templum Vaticanum, Aræque maxime impoſitus, tertiam Cardinalium Adorationem admittit; dum interim Sanctorum Ambroſii & Auguſtini Hymnus præcinitur. Recitat poſtea Cardinalis Decanus, in cornu Epiſtolæ, preces quaſdam, iiſque finitis, Pontifex, relicta ſella, in altaris gradibus conſiſtens, primam populo impertitur benedictionem. Quibus conſummatis, Pontifex in geſtatoria lectica clauſa in Quirinale Palatium defertur, proſequente illum omnis ætatis, omnis ſexus, infinita prope hominum multitudine. Solent plerunque Cellam recens electi Pontificis Conclaviſtæ, domum vero ejus Romana plebs diripere, inſuper habitis conſtitutionibus Concilii Conſtantienſis, quibus, *Papæ electi domum ſpoliantes, declarantur inteſtabiles, & ipſo facto excommunicati, ita ut, extra articulum mortis, non poſſint niſi a ſolo Papa abſolvi.*

Poſt electionem, Papa ſtatim plena utitur poteſtate, atque res omnes ex ſententia diſponit, etiam nondum coronatus. Eſt enim CORONATIO nuda ceremonia, nihil præcipui conferens; non tamen ideo negligenda. Hanc autem Papa admittit pro libitu, & octavo plerunque ab electione die; ritu ejuſmodi. E Quirinali in Vaticanum, Cardinalibus, Legatis Principum, Aulæque miniſtris ſtipatus, ſeſe confert, petitque Sixti IV. Sacellum, ubi Cardinales, qui priores ingrediuntur, eum exſpectant. Ibi Cameralem habitum cum Pontificali commutans, poſtea in ſella ſub uraniſco defertur in Vaticanæ Eccleſiæ Porticum, & in ſolio, quod juxta Portam San-

ctam

ſtam elevatum, ac uraniſco tegitur, conſidet, Cardinalibus ſcamma, ex utroque latere diſpoſita, occupantibus: atque ſic Capitulum & Clerus Templi, pedis complexu & oſculatione defunguntur. Deinde, Sellam rurſus conſcendens Pontifex, per portam majorem introfertur in Templum, ac ad altare, Sacramenti cuſtodiæ dicato, in genua provolutus, preces concipit. Iis fuſis, conſtructo hic quoq;, juxta S. Gregorii M. Sacellum, quod peculiari nomine *Clementia* dicitur, eminenti ſub uraniſco ſolio, inſidet; & tum a Cardinalibus & Prælatis *Obedientia* præſtatur, quorum illi manum, pluviali contectam, hi genu oſculo verentur. Mox, ſumtis Sacerdotalibus veſtibus, ad Miſſam celebrandam altare verſus progreditur Pontifex: cui in via occurrens Ceremoniarum Magiſter, ter ſtupam, arundini circumligatam accendens, commonſtransq; minime durabilem ignem, ſimul ingerit & inculcat: *Pater Sancte, ſic tranſit gloria Mundi.* Poſt Miſſæ introitum, & recitatas preces quaſdam, Cardinalis Archidiaconus *Pallium* Papæ humeris circumdat, aitque: *Accipe Pallium ſanctum, plenitudinem Pontificalis officii, ad honorem Omnipotentis Dei, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ejus Matris, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Sequuntur ritus alii, cum Litania in Pontificem directa, in qua ſæpe ingeminatur: *Salvator Mundi:* ℟. *Tu illum adjuva. Sancta Maria:* ℟. *Tu illum adjuva.* Repetitur deinde adorandi & thure ſuffumigandi Pontificem officium, atque ſic proſequitur Miſſam Pontifex: de qua notandum, quod in ea, ſicut & cæteris, quas ipſe ſolenniter peragit, Evangelium & Epiſtola, tam in Latina, quam Græca linguis recitentur.

tentur. Finita Missa, dono accipit à Cardinale, Templi Archipresbytero, & Canonicis, marsupium sericeum album, tæniis fimbriisq; aureis exornatum, cui insunt Denarii aut Julii XXV. monetæ veteris, quod tali verborum conceptione offertur: *Sanctissime & Beatissime Pater, Capitulum & Canonici S. Petri, vestram Sanctitatem devote & sancte colentes, solitum hocce & debitum presbyterorum, pro missa bene cantata, humilissimo animo, in æternæ subjectionis signum offerunt.* Solet autem Pontifex munus hoc Cardinali Diacono largiri, ob præstitam in cantando Evangelio operam. Quibus ita peractis, in thronum, auro gemmisque fulgentissimum, deducitur Pontifex, concipiente Cardinale Decano, tum alias, tum has quoque preces: *Omnipotens sempiterne Deus, dignitas sacerdotii, & autor regni: da gratiam famulo tuo N. Pontifici nostro, Ecclesiam tuam fructuose regendi: ut qui tua clementia Pater Regum & Rector omnium fidelium constituitur, & coronatur, salubri tua dispositione cuncta bene gubernet: Per Christum Dominum nostrum Amen.* Sic denique capiti Pontificis vittam aufert unus e Cardinalibus Diaconis, alius, in locum ejus, Coronam reponit, inquiens: *Accipe Tiaram, tribus coronis ornatam: & scias, te esse Patrem Principum & Regum, Rectorem Orbis, in terra Vicarium Salvatoris nostri ✠ Jesu ✠ Christi ✠ cui sit honor & gloria in secula seculorum; Amen.* Excipiunt coronationem, Musicorum concinentium voces sonoræ, finemque actui imponit Benedictio Pontificis, quam populo impertitur, & Indulgentiarum Promulgatio, quæ à duobus Cardinalibus, in Latina & Italica linguis, recitatur; atque formula Latina habet: *Hodie salus facta*

facta est mundo. Hodie vobis omnibus fidelibus Indulgentia plenaria, a Sanctissimo Domino nostro Papa N. est concessa: In Nomine Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen. Sic finem accipit ceremonia, & in Sella considens Papa, repetit Sixtinum Sacellum, hîc, postquam ei Cardinalis Decanus *ad multos annos* acclamavit, posito Pontificali cultu, prioribus, quas exuerat, vestibus sese induens, in Quirinalem revertitur.

De Canonizatione Sanctorum.

CAnonizatio, definiente Cardinale Bellarmino l. 1. de S. Beat. c. 7. nihil est aliud, quam publicum Ecclesiæ testimonium, de vera sanctitate, & gloria alicujus hominis jam defuncti: ac simul est judicium ac sententia, qua decernuntur ei honores, qui debentur illis, qui cum Deo feliciter regnant. Dicitur autem Canonizatio, a Canone, quatenus ea vox, Antiquioribus, interdum Episcoporum, & præsertim Martyrum Catalogum, quorum memoria in solemnibus Ecclesiæ precibus celebrabatur, significat: is enim regula & norma erat, per quem hi, ab aliis non æque de Ecclesia meritis, dignoscebantur. Proinde nomen alicujus Canoni adscribere, sive Canonizare, usurpari cœpit, pro eo, quod alias dicitur, aliquem Sanctum ac Beatum declarare. Haud multum abludit ab ista explicatione eorum opinio, qui, recentiora instituta sequuti, Canonizationem sic vocari contendunt, quia eorum, qui canonizati sunt, mentionem in Missæ Canone facere licet. Est autem Canonizatio summi momenti res, &, *sine Papæ licentia, non licet aliquem venerari pro Sancto*, ceu habet Rubrica præscripta capitulo 1. tituli Decretalium *de Re-*

liquiis & veneratione Sanctorum, sive istis, quæ sequuntur, Alexandri III. Pontificis verbis: *Audivimus, quod quidam inter vos, diabolica fraude decepti, hominem quendam, in potatione & ebrietate occisum, quasi sanctum, (more infidelium) venerantur. Cum vix pro talibus, in ebrietate peremtis, Ecclesia permittat orare. Dicit enim Apostolus: Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non præsumatis de cætero colere: cum, etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absq; auctoritate Romanæ Ecclesiæ, venerari.* Imo Vrbanus VIII. Pontifex, Decreto Anno 1625. promulgato, renovatoq; postea Anno 1634. verbis gravissimis inhibuit, *imprimi libros, hominum, qui sanctitatis seu martyrii fama celebres, e vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunq; beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes, sine recognitione atq; approbatione Ordinarii.* Et vero, apud Sulpitium Severum, in vita B. Martini, legimus, quod, cum populus coleret hominem aliquem pro Martyre, & B. Martino esset suspecta illa devotio, tandem eo orante apparuisse defuncti animam, & confessam esse, se in inferno cruciari, ob crebra perpetrata latrocinia. Cæterum, primus solemnem canonizandi ritum introduxisse creditur Leo III. Pontifex, rogatu Caroli M. Imperatoris & Hildebaldi Coloniensis Archiepiscopi, S. Suitbertum Confessorum Catalogo adscribendo. Cujus exemplum, ex intervallo, imitatus Innocentius II. Hugonem, Gratianopolitanum Episcopum, Anno 1130. retulit, in cœlitum numerum atq; sic mos ille postea indies magis magisq; invaluit. Non temere autem Pontifex ad Canonizationem progreditur, nec nisi ad Regis

aut

at Populi alicujus, crebro repetitas urgentissimas preces. Sic, quod Alexander VII. in Bulla Canonizationis Francisci de Sales, Episcopi Genevensis, profitetur, pro hoc quidem, *pias suas supplicationes interposuere, Charissimus in Christo filius Ludovicus, Francorum Rex Christianissimus, una cum venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, ac universo Clero, Proceribus, & Universitatibus Studiorum generalium Regni Galliarum: nec non charissimæ in Christo filiæ, Anna, Francorum Christianissima, & Henricetta Angliæ Illustris, Reginæ viduæ, (quibus postea charissima in Christo filia, Maria Theresia, Regis Franciæ Conjux Christianissima accessit,) dilectus insuper filius, Nobilis Vir, Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, Pedemontii Princeps, atq; universus Ordo Monialium Visitationis B. Mariæ Virginis, quem Servus Dei Franciscus de Sales Episcopus Genevensis instituerat.* Si tamen alicujus defuncti sanctitas tam evidens sit, ut de illa inter omnes constet, ac miracula crebra ad illius sepulchrum edantur, satis causæ haberet Pontifex, ut proprio motu ad Canonizationem progrediatur. Interim notandum, vitæ sanctitatem solam, sine miraculis, ad aliquem canonizandum sufficere, neutiquam vero ad miracula attendi, si de vitæ sanctitate non constet; comprobatur tamen hæc miraculis, & illustrior redditur, modo in iis verorum miraculorum conditiones non deficiant. Sed, de hoc casu, qui rarenter & vix unquam occurrit, non admodum laborandum. Quod si igitur Summi quidam Imperantes, de aliquo canonizando, Pontificem obtestati sunt, antequam ea decernatur, quatuor omnino Consistoriis opus est, quorum primum & secundum secreta sunt, tertium publicum, quartum semi-

publicum. In primo reſponſum concipitur, reddendum Regibus aut Principibus interceſſoribus, ac committitur tribus Auditoribus Rotæ, ut in omnem vitam, mores, obitum, miracula, canonizandi, quin & devotionem, qua populus defunctum proſequitur, ſolicite inquirant: Cardinales inſuper totidem, aut plures, deſignantur, ad quos Rotæ Auditores de toto negotio referre debent. In ſecundo Conſiſtorio, exponunt Cardinales ſelecti, quid ab Auditoribus Rotæ geſtum fuerit, teſtanturq;, legiſſe ſe ſedulo proceſſus formulam, ab iis literis conſignatam, nec invenire ſe, quod in ea deſiderent, aut judicent a veritate alienum. Tertium Conſiſtorium inſtituitur in Aula Regia, ibiq;, poſt præſtitam a Cardinalibus obedientiam, Advocatus aliquis Conſiſtorialis, oratione publica, vitam & miracula Canonizandi laudibus extollit. In quarto Conſiſtorio, quod ſemipublicum eſſe diximus, & in quo Cardinales ab obedientia præſtanda immunes ſunt, præter Cardinales, congregantur quoque Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Auditores Rotæ, & Protonotarii participantes, atque horum cujusque ſententiam poſtquam perquiſivit Pontifex, ſi in canonizationem conſenſerint, fit decretum, commendatum *eſſe canonizandum*, & dies panegyri conſtituitur. Interea loci exornatur S. Petri templum aulæis, inque eo inſignia Pontificis, Canonizandi imago, & Principum interceſſorum inſignia, ſuſpenduntur: imprimis altare, in quo Pontifex Miſſam celebraturus eſt, canonizandi imaginem repræſentare debet. Amplius, Pontifici thronus floribus refertus, Cardinalibus loca parantur commoda ad ſedendum. Paratur ſimiliter Vexillum magnum, cum imagine canonizandi, quod defertur ante eos, qui canoni-

nonizationem ſolicitant, ſtatuiturq; in eo loco, ubi Pontifex conſidet. Quin & Cereos magno numero paratos eſſe oportet, diſtribuendos inter Pontificem & Cardinales; quin & ad templum illuminandum, tum toto Ceremoniarum tempore, tum in Offertorio. Die dicta, Pontifex ac Cardinales in Vaticanum ſeſe conferunt, &, poſtquam candidis veſtibus ſeſe amicivere, ſedente Papa in geſtatoria ſella, & Cardinalibus eum comitantibus, tenentibusq; (quod idem & Papa facit) cereos manibus, per aream S. Petri inſtituitur proceſſio. Fit poſtea ingreſſus in Eccleſiam, in qua Pontifex & Cardinales ſedes ſuas occupant, atque hi mox obedientia ſua erga Pontificem defunguntur. Quibus peractis, Procurator a Principibus Interceſſoribus miſſus, palam Pontificem Superiorum nomine precatur, τὸν δεῖνα in Sanctorum numerum referre dignetur. Cantatur tum Litania, & omnes monentur, ut preces devote fundant, ne Deus in tam arduo negotio, Eccleſiam ſuam labi ac errare concedat, unde & ipſe Pontifex proſtratus vota concipit. Finita Litania, Procurator iterata vice Canonizationem urget, atq; ſic Pontifex, Prælatiq; omnes, rurſus preces tacitas fundunt. Sequitur poſt hæc tertia Procuratoris obteſtatio: Et tum denique Pontifex pronunciat Canonizationem, tali verborum conceptione: *Ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, autoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus S. & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio, decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. in cœleſti Hieruſalem, inter Beatorum choros jam receptum, æternæq; gloriæ condonatum, Sanctum*

 eſſe,

esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum: ipsumq. Catalogo hujusmodi adscribimus, statuentes, ut ab universali Ecclesia, anno quolibet, in mense, & die tali, festum ipsius, & officium, sicut pro uno Confessore, (si sit Confessor) *vel Martyre,* (si sit Martyr) *devote & solemniter celebretur, & ab eo suffragia a Christi fidelibus implorentur & expectentur.* Addit interdum Pontifex: *Insuper, eadem autoritate, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis, ad sepulturam ejusdem, in die tali devote accesserint, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis, intra octavam dicti festi, ad sepulturam, quadraginta, de injunctis sibi pœnitentiis, misericorditer relaxamus.* Post factam Canonizationis promulgationem, petit Procurator Bullas & Instrumentum, in rei gestæ fidem: Pontifex vero surgens incipit, *Te Deum laudamus;* quem Hymnum Chorus persequitur. Post hæc Missam celebrat Pontifex, in ara Apostolorum Petri & Pauli, atque in Confessione, post Apostolorum, aliorumque Sanctorum nomina, exprimit quoque nomen recens Canonizati. In Offertorio vero offeruntur duo cerei prægrandes, duo panes, totidem vascula vini, & canistra tria, quorum unum continet par turturum, alterum columbas duas, tertium aviculas varii generis, e quibus aliquibus libertas conceditur. Missa dicta, indulgentiæ plenariæ conceduntur; nec minus Pontifex solemnem impertitur benedictionem. Postremo cum vexillis, inter jubila, e templo Vaticano, in illud, quod in honorem recens canonizati est ornatum, instituitur processio: ibi cantantur collectæ, & gratiæ Deo peraguntur. Durante omni hoc actu, cui Religiosi ac Monachi universi, Prælati item, ac Officiales

Can-

Cancellariæ, ardentes cereos manibus gestantes, interveniunt, & ad quem videndum immensa prorsus hominum multitudo undecunque confluit, ne quid turbarum accidat, cavet Cardinalis Archidiaconus, insidens in publico sellæ, holoserico rubro obductæ,& aureis fimbriis ornatæ, ad Palatii Vaticani portam,quæ ab Helvetiis nomen habet, Gubernatore urbis Romæ, cum baculo in manu, & Præfecto Palatii Pontificii, (Maggiordomo del Papa) eidem assistentibus. Is ergo tum in omnes copias militares imperium exercet, custodias per compita disponit, & mandata pro re nata dispensat; nec prius inde recedit, nisi processione plane finita. De reliquo, confert, ex placitis Romanæ Ecclesiæ Doctorum, Canonizatio Sanctis honores & prærogativas omnino octo: 1. Statuitur & jubetur, ut ab omnibus publice habeantur & dicantur Sancti. 2. Invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. 3. Templa & aræ in eorum memoriam Deo dicantur. 4. Sacrificia tam eucharistiæ, quam laudum & precum, quod vulgo Officium, sive Horæ Canonicæ, dicitur, in honorem illorum Deo publice offeruntur. 5. Dies festi in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur ipsorum imagines, addito certo quodam lumine, in signum gloriæ, quam habent in cœlis. 7. Eorum Reliquiæ pretiosis thecis includuntur, & publice honorantur. 8. In Calendariis & Fastis, rubrica & minio, illorum describuntur nomina.

Differt Canonizatio a Beatificatione, quod hæc angustior est, ac citra ceremoniarum pompam, solo Brevi peragitur, quodque per eam Pontifices minora indulgent privilegia; quæ hæc fere sunt: ut ὁ δεῖνα Beati nomine nuncupetur, ejusque cor-

corpus & reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur: ut imagines ejus radiis seu splendoribus exornentur: atque ut de eo, in quibusdam locis, quæ in Bulla Beatificationis nominatim exprimuntur, stata die, Officium & Missa celebrentur.

De Anno Jubilæo.

ANnus Jubilæus, est annus indulgentiarum, quo Papa, ex thesauro Ecclesiæ aperto, plenariam peccatorum remissionem, & indulgentias absolutissimas, omnibus limina Apostolorum visitantibus, liberali manu concedit. Est vero Indulgentia, proprie remissio, non culpæ, sed pœnæ, neque hujus in foro externo contentioso, sive Seculari, sive Ecclesiastico, impositæ, sed illius tantum, quæ in foro secreto & pœnitentiali irrogatur, ac post remissionem culpæ remanet luenda. Proinde vocatur Annus Jubilæus annus sanctus, annus remissionis, gratiæ, benedictionis, & cujusdam velut baptismi: resque de eo ita se habet, uti cum Principes Seculares, ad quorum munus vel præcipue pertinet, sontes debitis suppliciis afficere, interdum, quando inaugurantur, apertis carceribus vinctos omnes compedibus solvunt; quod tamen raro fit, ne nimia benignitate justitia plane pereat, omnibusque sceleribus fenestra aperiatur. Vt autem tanto major ad Vrbem Romam confluxus fiat hominum, suspenduntur omnes Indulgentiæ plenariæ, etiam perpetuæ aliis Ecclesiis toto orbe concessæ, item, quibus Sanctorum imagines, coronæ, vel grana benedicta, aut numi sacri gaudent.

Annum Jubilæum primus Bonifacius VIII. Pontifex, anno 1300. introduxit, ad veteris Judaici Jubilæi rationem. Nam, uti apud Judæos remissiones

es a debitis, & a mundana servitute immunitas, uinquagesimo quoque anno, concedebantur, ita novus ille Jubilæus annus, peccatorum omnium absolitionem, & ab inferni vinculis libertatem, Christianis, qui Apostolorum limina visitatum venissent, pollicebatur. Non tamen ad quinquagesimum, sed centesimum annum fuit redactus, ut simul etiam quondam Ethnicorum Romæ celebratis Ludis Secularibus opponeretur, quos hi Diti & Proserpinæ instituebant, clamante Præcone: *Venite ad Ludos, quos nemo mortalium vidit, nec visurus est.* Post Bonifacium, Clemens VI. qui Avenioni sedebat, Jubilæi periodum ad annum 50. deduxit, causatus, & Populi Romani preces, & quod paucis liceat, propter vitæ humanæ brevitatem, centesimum annum attingere. Quibus accedat, quod quinquagesimus annus in lege Mosaica Jubilæus fuerit, ac insuper quinquagesimus numerus, in Veteri Testamento, legis datione, & in Novo, Sancti Spiritus, a quo remissio peccatorum profluit, visibili in Apostolos effusione, sit honoratus. Sic igitur annus 1350. Jubilæus factus est, inseruitque Bullæ promulgationis Clemens Pontifex: *Concedimus, si verus confessus in via moriatur, quod ab omnibus peccatis suis penitus sit absolutus. Et nihilominus prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam illius, a Purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant.* Demum, ut quæque ætas beneficiorum, quæ Annus Jubilæus impertitur, particeps fieret, Sixtus IV. cyclum Jubilæorum ad annos 25. contraxit, annumque 1475. celebravit. Quantus ad has solemnitates concursus fiat, ex eo judicare licet, quod Platina refert, sub Nicolao V. anno 1450. impedito forte in

ponte

ponte Hadriani, ob occurſantem mulam, transitu, homines ducentos, & equos tres, obtritos & ſuffocatos fuiſſe. Cæterum, cum Bonifacius VIII. tantum Sanctorum Petri & Pauli Baſilicas viſitandas propoſuiſſet, Clemens VI. Lateranenſem quoque, & Vrbanus VI. S. Mariæ Majoris Eccleſias ſuperaddidere: quæ omnes, portas habent, ſemper, niſi cum Jubilæus Univerſalis agitur, obſtructas manentes; cum vero hic ingruit, Vaticanam S. Petri portam ipſe Summus Pontifex aperit: circa S. Pauli, Johannis Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris Eccleſiarum portas, idem Gardinales, qui ſunt earum Archipresbyteri, præſtant, quos Pontifex tanquam Legatos illuc deſtinare ſolet.

Publicatur Jubilæus Romæ in Feſto Aſcenſionis Domini, Latina & Italica linguis, mittiturque formula publicationis, ad omnes, qui toto, Romanis ſacris addicto, Orbe Chriſtiano exiſtunt, Archiepiſcopos & Epiſcopos, ut eam in ſua quisque Diœceſi divulget. Incipit Jubilæus a Veſperis Vigiliæ Natalis Domini, & durat usque ad easdem Veſperas anni ſequentis. Ergo, ſub iſtud, quod diximus, Anni Jubilæi auſpicium, Papa in Vaticano, pluviali & cæteris ornamentis indutus, ſtipatusque Cardinalium cœtu, in Sixti Capellam, ubi Prælati cæteri eum exſpectant, ſe confert, & ante Sacramentum expoſitum ſe proſternit. Accenduntur interim faces, inter Cardinales, aliosque diſtribuendæ. Mox Papa, ſeſe elevans, imponit in thuribulum incenſum, incenſatque Sacramentum, & orditur Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: quem Cantores proſequuntur: atque ſic ad Eccleſiam S. Petri, ejus aream circumeundo, inſtituitur proceſſio. Tum Papa, in ſella geſtatoria

ad

ad Portam Sanctam, adhuc obstructam, aliis quoq; omnibus ostiis clausis manentibus, delatus, in throno ibi parato considet, ac nonnihil requiescit, Cardinalesque tres, ad alias portas sanctas aperiendas, ablegat. Dehinc, descendens e throno, ad Portam Sanctam progreditur, quæ murata est lapidibus costis, & Hierosolymis sæpius Salvatori nostro transitum præbuisse dicitur. Ante hanc, in præsentia sui Confessarii, in genua procumbit, preces aliquas fundens: quibus recitatis, surgit, capitque malleum aureum, eoque portam pulsans, ait: *Aperite mihi portam justitiæ.* Respondet Capella: *Ingressus eam confitebor Domino.* Repetit mox pulsationem Pontifex, additis verbis: *Introibo in Domum tuam, Domine.* Succinunt Cantores: *Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.* Tertium portam pulsando ait: *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus:* excipiunt Musici: *Qui fecit virtutem in Israël:* nec mora, corruit minutatim porta, quam intus dispositi cæmentarii momento demoliuntur: Pontifex vero, tradito malleo aureo alicui ex suis, repetit thronum, & ibi orationes aliquas fundit, dum interea plebs lapides, cæmenta, calcemque diripit, ac Pœnitentiarii S. Petri limina postesque, aqua lustrali abluunt. Sic, sumta in manus cruce, thronum deferens Papa, exclamat: *Hæc est dies lætitiæ, quam nobis fecit Dominus, jubilemus & exultemus in illa:* &, ante Portam Sanctam procumbens, incipit Hymnum, *Te Deum laudamus:* dehinc templum primus ingreditur, in quo Vesperæ more solito decantantur, fitque explicatio vexillorum Castelli S. Angeli, & displosio tormentorum, quæ ibi sunt disposita. Sequenti die, quæ Natalitiis Servatoris dicata est, Pontifex e per-

gula

gula benedictionem, in forma Jubilæi, populo promulgat.

Obseratur Porta Sancta, in Vigilia festi Nativitatis Dominicæ, post finitas vesperas. Tum in Vaticano templo, Papa sacris indumentis amictus, & Cardinales omnes, cum cereis accensis, ordine ambulantes, coram Veronicæ sindone exposita, se prosternunt, precesque fundunt, deinde vero ex templo exeunt, agmen claudente Papa. Is postquam egressus est, retro ad portam conversus, preces aliquas recitat, ac lapidibus & calci, ibi ad obstruendam portam paratis, benedicit. Idem mox primum lapidem jacit, additq; illi cistellas aliquas, numis aureis argenteisque plenas. Eo labore defunctus, in solio considet, lavat manus, ac, ubi Porta occlusa est, populo benedictionem, in forma Jubilæi, dispensat.

Evocantur Romam in Jubilæo undecunque gentium Viri variarum linguarum periti, ut nulla non gens vel natio Confessarios promtos habeat, quibus desideria sua & arcanos animi sensus plene exponere possit. Xenodochia, anno hoc durante, non tantum a Nobilibus Urbis Romæ, Cardinalibusque, sed & Pontifice ipso, visitari solent, iique curant, ut pauperes peregrini, immensis agminibus accurrentes, commodum receptum habeant, deque alimentis eis prospectum sit: præcipue vero, ut cum munditie tractentur, & libero aëre perfruantur, ne, ex hac variorum populorum in iis locis colluvie, morbus aliquis aut pestis grassari occipiat: qualis sane primum Jubilæum semisecularem consecuta est, adeo quidem gravis, ut, ceu Cornelius a Lapide ad cap. 25. Levitici quoque annotavit, per Italiam, ex mille vix decem superessent. De Clemente VIII. ac Urbano VIII.

prodi-

roditum eſt, ipſosmet in Jubilæis, quotidie mane ac eſperi, per horam integram, publice in Eccleſia aticana ſedentes, peregrinos quoſcunque ad peccatorum confeſſionem edendam admiſiſſe indulgenſſime.

De Benedictionibus, & Excommunicatione ſolemni, nec non de Pedum Lotione, quas peragit Romanus Pontifex.

BEnedictiones, quibus Pontifex, extra Jubilæum, aut ſacri regiminis primordia, quoquo anno, populum, in pergula conſtitutus, proſequitur, tres ſunt: Prima fit in die Cœnæ Dominicæ; altera in Dominica Reſurrectionis; & tertia in Feſto Aſcenſionis Dominicæ. Sed primam, præcedit famoſa Hæreticorum, aliorumq; Excommunicatio, quam, Pontifice præſente, & Candelam nigram ardentem (in cœtum nnumerorum hominum ibi congregatorum poſtea jactandam) tenente, recitat Cardinalis aliquis, tali ormula:

N. Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia & ſolicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio ſſidue verſatur, tum potiſſimum in Catholicæ fidei, ine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate atque ntegritate retinenda, & conſervanda, maxime elucet. Nimirum ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ,

in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeant: ſed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra, ſub Chriſto capite, ejusque in terris Vicario, Romano Pontifice, Beatiſſimi Petri Succeſſore, a quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſane cauſas, Romani Pontifices, prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolennis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma, per myſterium ſummi Apoſtolatus, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, ſolenniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes, excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus S. autoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, quoscunque Huſſitas, Vuiclephiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Vgonotos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes & ſingulos alios Hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, & cujuscunq; Sectæ exiſtant; ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros, hæreſin continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra,

& Se-

æ Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore: nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, obedientia, pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos, cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint: Vniverſitates vero, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus; ab ordinationibus ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, ad Vniverſale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes mare noſtrum, præcipue à monte Argentario, usque Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunq; navibus, tempeſtate ſeu in transverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eisdem ejecta, in mari vel in litore inventa, cujuſcunque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni & Adriatici, quam in cæteris cujuſcunque maris regionibus, & litoribus, ſurripuerint: ita ut nec ob quodcunq; privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorialis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum, excuſari poſſint.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis nova Pedagia, ſeu Gabellas, præterquam in caſibus, ſibi a jure, ſeu ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu imponi vel augeri prohibita, exigunt.

Item, excommunicamus & anathematizamus, omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis ſignatarum, nec non falſo fabricantes literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falſo ſignantes Supplicationes hujusmodi, ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos, per noſtras, ſive hujus Sanctæ Sedis ſententias expreſſe vel nominatim declaratos, deferunt, ſeu transmittunt, equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quam alia quacunq; materia, & ipſam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Chriſtianos & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios, de rebus ſtatum Chriſtianæ Reip. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non

ob-

bſtantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis per-
onis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Se-
lem prædictam hactenus conceſſis, de hujusmodi
rohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

Item, excommunicamus & anathematizamus, o-
nnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia,
ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria, adducunt,
c etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam addu-
antur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu
erturbant, ſeu hæc facientes defendunt, per ſe, vel
lios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ,
onditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Re-
gali, aut alia quavis, Eccleſiaſtica, vel mundana præ-
ulgeant dignitate.

Item, excommunicamus & anathematizamus o-
nnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, &
ecedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera, inter-
iciunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, nec
on illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel
lelegatam, a Nobis, vel Noſtris Judicibus non ha-
entes, illam ſibi temere vendicantes, ſimilia, contra
norantes in eadem Curia, audent perpetrare.

Item, excommunicamus & anathematizamus, o-
nnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, deti-
ientes, capientes, ſeu deprædantes, Romipetas, ſeu
Peregrinos, ad Vrbem cauſa devotionis, ſeu peregri-
nationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa
ecedentes, & in his dantes auxilium, conſilium,
el favorem.

Item, excommunicamus & anathematizamus o-
nnes, interficientes, mutilantes, vulnerantes, per-
utientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel
oſtiliter inſequentes, S. R. E. Cardinales, ac Pa-

triarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis, ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel Seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu, qui per se, vel per alios, directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque præeminentiæ & dignitatis fuerint,

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam Seculares, cujuscunque dignitatis, qui, prætexentes frivolam quandam appellationem, a gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum, a Nobis, & a Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus Palatii Nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad

d Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, Appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito & conſenſu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones & Notarii, ſuper hujusmodi literarum & proceſſuum executione, inſtrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores, literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per ſe, vel alium, ſeu alios, publice, vel occulte, quive aliis quibuscunque perſonis, in genere, vel in ſpecie, ne pro quibusvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas a dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos, qui per ſe, vel alios, autoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemtionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum, prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Audito-

ribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum & audientiam, ac Personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætentionum, seu etiam, donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi, coram Nobis, & Sede Apostolica, legitime prosequantur: etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Conciliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcunq; Principum Secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque, coram se, ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Concilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt,

ciunt, vel procurant, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore. Nec non, qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, aut quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet, fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum juribus, quomodolibet directe vel indirecte, tacite vel expresse præjudicatur. Nec non, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque judices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa, directe vel indirecte, carcerando vel molestando, eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica, contra quoscunque, utantur, secundum quod canones & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, ordinariis aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & favorem in eisdem. Quive jurisdictiones seu fructus, reditus & proventus, ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunq;

Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia, sequestrant. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera, Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, absq; simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia, imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus & concedentibus, recipiunt. Nec non, qui per se, vel alios, directe vel indirecte, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem, præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo præsidentes, Consiliarii & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta, super his, per sacros canones, tam in Lateranennsi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Item, excommunicamus & anathematizamus, omnes & quoscunque Magistratus & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas

pro-

processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ & maritimas provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avinionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias civitates, Terras, & loca, vel jura, ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjecta, nec non supremam jurisdictionem in illis, Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare, variis modis præsumunt; nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia & quæcunque his literis contenta, quousq; alii hujusmodi processus, a Nobis, aut Romano Pontifice pro

tem-

tempore exiſtente, fiant, aut publicentur, durare, ſuoſq; effectus omnino ſortiri.

Cæterum, a prædictis ſententiis, nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi, de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo, cautione præſtita, abſolvi poſſit; etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum, quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſq; Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacunq; ſcriptura, in genere, & in ſpecie, conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum & innovandorum.

Quod ſi forte aliqui, contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos, ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

Declarantes, ac proteſtantes, quamcunq; abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos, ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius a præmiſſis, cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi, deſtiterint, ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, con-

ſtitu-

ſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi, publice revocaverint, & ex Archivis ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per hujusmodi abſolutionem, aut quoscunq; alios actus contrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum, quantocunq; tempore continuatam, in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuscunq; juribus Sedis Apoſtolicæ, ac S.R.E. undecunq; & quandocunq; quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis, cujuscunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis, a prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, nec non conſuetudinibus, etiam immemorialibus, ac præſcriptionibus, quantumcunq; longiſſimis, & aliis quibuslibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per

quæ

quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quo minus includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæterisq; contrariis quibuscunque.

Vt vero præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas ſeu membranas, Proceſſus ipſos continentes, valvis Eccleſiæ S. Johannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, appendi faciemus, ut ii, quos Proceſſus hujusmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, ut Proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia & ſingula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus & locis fuerint publicata, univerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis, ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut, ſi expedire viderint, etiam pluries, in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient & declarent.

Cæte-

Cæterum, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Seculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confeſſiones, quavis autoritate deputati, transſumtum præſentium literarum penes ſe habeant, easque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium transſumtis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Judicis ordinarii, Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra illud, ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ . . . . Pontificatus noſtri anno . . . . . .

De Agnos Dei parandi modo.

IN Sabbato Sancto, quod Paſchæ feſtum præcedit, conſecrabatur quondam Fons novus Baptismalis, olei atque chriſmatis (quem quidem ritum etiamnum tenet Romana Eccleſia) infuſione, ad Baptismum proxima hebdomade Catechumenis conferendum. Die ergo ſacro Paſchatis, & ſex diebus ſequenti-

quentibus, baptizabantur Catechumeni, eaque hebdomada *in Albis* dicebatur, ab albis vestibus, quibus recens baptizati induebantur, quique ob eandem causam, *Agni* appellati fuere. At, nomen *in Albis*, soli deinde Sabbato mansit, quod est intra octavam Paschatos, eoque omnes, qui Baptismo initiati, erant, in Ecclesia conveniebant. Sequens Dominica, *in Albis depositis*, vocata fuit, quo noviter baptizati, mane, albis adhuc induti, in Ecclesia congregabantur, domum vero, sacris officiis finitis, repetentes, albis vestibus sese exuebant, & solito amictu rursus utebantur. In istius ritus memoriam, ne plane ex animis hominum deleretur, Romani Pontifices Agnorum Dei, hoc est, placentarum orbiculatarum e cera candida, quibus plerumq; agni vexilliferi imago impressa, Benedictionem substituerunt; quanquam eorum parandorum ratio, non semper fuit eadem. Antiquioribus enim temporibus, cera alba pura, a Magistro Palatii Apostolici, iisque, qui Agnos Dei expetebant, collata, ponebatur super aram S. Petri, quam Subdiaconus quidam Apostolicus inde acceptam, ad Pontificis Palatium deferebat, ubi ipse & alii Subdiaconi, Papæq; Acoluthi, suis manibus Agnos Dei efformabant, ceram, oleo sancto & chrismate, quod ex anno præterito supererat, emolliendo. Dehinc, Papæ exhibiti, ab illo sacrabantur. Nunc, Papa fere nonnisi primo anno Pontificatus, & deinde quovis septennio, Benedictionem Agnorum Dei peragit. Eos formant Sacrista Papæ, illiusq; Capellani, & Clerici Capellæ, ex Cereo Paschali anni præteriti, & cera, aliunde, Papæ expensis, allata, illisq; non miscetur amplius oleum sanctum, nec chrisma, sed puri & mundi Papæ offeruntur, qui feria tertia a Paschatis festo, post auditam,

el dictam Missam, in suo conclavi, indutus Pontificalibus vestibus, eos hac ratione consecrat. Primum benedicit aquam simplicem, ibidem in va- magno paratam, benedictione communi, quæ iebus Dominicis vulgo adhibetur, cui mox alias reces superaddit. Post hæc infundit in eam Balsanum, & sanctum Chrisma, ex duabus ampullis, cruis in formam, additq; preces convenientes. Tum Agnos Dei quoque benedicit, quorum ibidem capsæ integræ plenæ sunt. Iis benedictis, Pontifex, accinctus linteo, & mitratus, sedet apud vas aquæ. Ad hunc deportant Cubicularii Agnos Dei, in pelvibus argenteis: eos Papa immergit in aquam; Cardinales vero ac Prælati adstantes rursus extrahunt: extracti n eisdem pelvibus portantur super mensas, mappis candididissimis stratas, ut siccentur. Quibus peractis, Papa rursus alias orationes super eos recitat, atque sic reponuntur Agni Dei in capsas, usque ad Sabbatum in Albis, in quo, post dictum *Agnus Dei*, in Missa, illorum fit distributio. Hoc nimirum Sabbato, Missa diei, in Capella Papæ, a Presbytero Cardinale celebratur. Pontifici sedenti, Subdiaconus quispiam Apostolicus, sacris vestibus indutus, Cruce cum duobus Ceroferariis, & fumigante Thuriferario præcedentibus, affert lancem plenam Agnis Dei, a Sacrista acceptam; ac, ad Capellæ ostium delatus, alta voce dicit: *Pater Sancte, isti sunt Agni novelli, qui annunciaverunt vobis Alleluja: modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate, Alleluja.* Hoc ipsum iterum & tertio facit idem Subdiaconus, ac Agnos Dei Pontifici præsentat, lancem ipsam manibus tenens. Nec mora, Pontifex primum omnibus Cardinalibus, deinde Prælatis, aliisque, Agnos

Dei diſtribuit, a dignioribus incipiendo: qui, maxima cum reverentia & devotione, eos a Pontifice genuflexi accipiunt in mitris vel capitiis ſuis; nec manibus nudis attrectant. Finita diſtributione, *Papa*, ceu habent ipſa verba librorum Ritualium, *lotis manibus, reliquum Miſſæ audit: qua finita, ab aliquibus Pontificis familiaribus, quibus id demandatum fuerit, omnibus fidelibus donantur ſimiliter Agni Dei, ut ab iis in larariis ſanctiſſime colantur.*

Juvat, ad intelligentiam verborum, quibus Subdiaconus Pontificem affatur, ſcire, olim, recens luſtrali baptiſmi aqua ablutos, Alleluja in Eccleſia decantare conſueviſſe: in quam rem, deque aliis baptiſmi veteris ritibus, extant notabiles Pontii Paulini verſus:

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.
Circumdatq; rudes feſtis altaribus agnos,
Plura ſalutiferis imbuit ora cibis.
Hinc ſenior ſociæ congaudet turba catervæ,
Alleluja novis balat ovile choris.

Cæterum, magnæ vires, virtutesque prope immenſæ, iſtis Agnis Dei, a Pontifice conſecratis, ineſſe prædicantur, quas ipſe Urbanus V. Papa, cum ſimilem Agnum ad Conſtantinopolitanum Imperatorem miſiſſet, his verſibus expreſſit:

Balſamus, & cera munda, cum chriſmatis unda,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum,
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit;
Prægnans ſervatur, a væ partus liberatur.

Dona

Dona parat dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.

Sed, quæ incomtis his Leoninis, & obscurioribus interdum versibus, dicuntur, sic elegantius, magisq; dilucide efferre studuit Janus Vitalis Poëta:

Candida cera, Dei, divini ope Numinis, Agnos,
Agnos novellos conficit.
Adduntur succo mox Balsama pinguis olivi,
Et lympha puri gurgitis,
Conceptis verbis, arcano & munere sacrat,
Romanus illos Pontifex.
Et quia designant nobis mysteria Summi
Agni Polorum Principis,
Restituit nobis proprio qui funere vitam,
Agni rogat Vicarius,
Ventorum ut rabiem excutiant, pelagiq; procellas,
Ictusq; frangant fulminum:
Vt stygios nostris pellant a sedibus hostes,
Vt fœda tergant crimina:
Cunctantem educant utero de sospite fœtum,
Matris dolores abrogent.
Flammarum extinguant incendia dira, bonisq;
Opes honoris augeant;
Præterea mortis horrenda pericula tollant,
Mortis repente concitæ.
Sit victor quisquis pugnans dat laudis honores
Agnis novellis debitos:
Exorent nobis divini Numinis auram,
Opis sequestres cœlitum:
Omnia sint votis nostris, atq; omnia possint
Culti fideli spiritu,

Vt sunt in se ipsis pars totum quælibet; utq; est
Totum illud absq; partibus:
Hæc rogat, & sanctis undis simul abluit agnos,
Pastor gregis mortalium.

De Gladii, Pilei, & Rosæ Aureæ consecratione.

IN nocte Festi Natalitiorum Servatoris nostri, fit a Pontifice *Consecratio Gladii Pileiq;*. Ac GLADII quidem consecrationi, ansam dedit, quod 2. Maccab. 15. legitur Jeremias Propheta apparuisse Judæ Maccabæo, adversus Nicanorem expeditionem suscipienti, eique in manus gladium aureum tradidisse, sic effatus: *Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël.* Est autem Gladius quem consecrat Pontifex, capulo aureo & vagina, baltheoque operis phrygionici, exornatus. Post consecrationem, donatur Principi, qui res pro Ecclesia Romana strenue gessit, aut magnum aliquid, in ejus emolumentum certissimum, molitur. Absenti, mittitur per Legatum, at, si Romæ præsens fuerit Princeps, in genua provolutus, illum e manibus Papæ ipsius accipit, a quo monetur, virum se præstet, ac strenue adversus Infideles & Hæreticos res gerat. Recipit Princeps sub jurisjurandi religione, se id facturum, eique domum revertenti, præfertur Gladius, inter tubarum clangores, & tympanorum sonitus.

PILEVS, qui a Pontifice sacratur, est e serico violaceo, ornaturq; corona aurea intexta, gemmis præterea & unionibus. Itaq; pretio vincit cætera munera, quæ Pontifices largiri solent. Quippe, in aliis, non tam

am æſtimationem, quam donantis dignitatem, reſpi-
cere oportet.

ROSÆ AVREÆ benedictio, a Pontifice peragitur Dominica IV. Quadrageſimæ, qua cantatur, *Lætare Hieruſalem.* Ritus origo incerta. Viguiſſe jam ævo Leonis IX. qui Anno 1050. Eccleſiæ præfuit, Cencius Camerarius refert, & inſuper Pontificem illum, Monaſterio S. Crucis in Lotharingia, in Roſæ hujus impenſas, certi quid impoſuiſſe ſcribit. Nec de cauſa magis liquet, aliis aliam prætexentibus. Communiter illa ex Durando allegatur, Pontificem populum, monſtrando hanc Roſam, ſolari in media Quadrageſima, ne ob jejunii aſperitatem animo deficiat. Paratur Roſa hæc, quæ non Roſæ veræ, ſed parvi aurei rami, aut fruticis germinantis florentisq; imaginem refert, ex auro, muſco, & balſamo. Nimirum, Pontifex, indutus alba, cingulo, ſtola, pluviali, & mitra, accedit ad altare, &, depoſita mitra, precibus conſuetis Roſam conſecrat, quibus inter alia dicit: *Deus, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut hanc Roſam, odore viſuq; gratiſſimam, quam hodierna die in ſignum ſpiritualis lætitiæ manibus geſtamus, benedicere & ſanctificare tua gratia digneris, ut plebs tibi dicata, ex jugo Babylonicæ captivitatis educta, per unigeniti Filii tui gratiam, qui eſt gloria & exultatio plebis Iſraël, illius Hieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, ſinceris cordibus gaudium repræſentet.* Finita oratione, inungit Roſam balſamo, & ſuperimponit muſcum tritum, atque, injiciens thuribulo incenſum, aſpergit Roſam aqua benedicta, & adolet incenſo. Finita Miſſa, defert eam ſuis manibus in conclave habitationis ſuæ, atque, ſi Romæ præſens ſit inſignis aliquis Princeps, quem hoc munere Pontifex beare vult,

is vocatur ad pedes Pontificis, cui genua flectenti, Pontifex Rosam porrigit, aitque: *Accipe Rosam de manibus nostris, qui, licet immeriti, locum Dei in terris tenemus, per quam designatur gaudium utriusq; Hierusalem, triumphantis scilicet, & militantis Ecclesiæ, per quam omnibus Christi fidelibus manifestatur flos ipse speciosissimus, qui est gaudium & corona Sanctorum omnium. Suscipe hanc tu, dilectissime Fili, qui secundum seculum nobilis, potens, ac multa virtute præditus es, ut amplius omni virtute in Christo Domino nobiliteris, tanquam Rosa plantata super rivos aquarum multarum, quam gratiam, ex sua uberanti clementia, tibi concedere dignetur, qui est trinus & unus in secula seculorum, Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.* Cæterum Princeps, qui Rosam accepit, postquam manum & pedem Pontificis osculatus est, ac gratias egit, Rosam manu gestans, a Cardinalibus & Prælatis in domum suam deducitur. Si munere hoc dignus Princeps Romæ non inveniatur, absenti alicui mittitur: quin & crebro, Regum Conjuges, hoc munere afficiuntur.




PE-

PERICOPE,

per incuriam neglecta, paginæ 1109. post illa: *in Quirinalem revertitur;* inserenda.

A Coronatione Pontificis id primum publicum munus esse consuevit, ut suæ Ecclesiæ Lateranensis, cujus proprius existit Episcopus, possessionem capiat, quod *la Caualcata del possesso del nuovo Pontefice* dicitur. Pompam comitatus, qua id fiat, verbis nemo pro dignitate descripserit. Scilicet, milites præsidiarii omnes, universa aula, Cardinales, Legati Regum Principumq;, Pontificis Cognati, & quotquot Romæ, vel generis gloria, vel officii amplitudine effulgent, eo, quo cuique licet, ornatu exquisitissimo, & famulitio numeroso, equis pulcherrimis insidentes, Pontificem prosequuntur. Plateæ, per quas transitus fit, aulæis & Attalicis peripetasmatibus, quin & arcubus triumphalibus, mirificum referunt splendorem. Ad Lateranensem Basilicam sic delato Pontifici, & ante illam in genua provoluto, Archipresbyter, qui semper est ex Cardinalium numero, Crucem osculandam exhibet. Positis deinde consuetis vestibus, habitum sacrum assumit Pontifex, & solium, quod in Porticu paratum est, conscendens, Canonicos & Clerum ad osculum pedum admittit. Postea Archipresbyter perorando verba fundit, ac ubi dicendi finem fecit, in pelvi patula, duas Pontifici Claves, auream unam, alteram argenteam offert. His peractis, ad Portam majorem pro-

progreditur Pontifex, & accepto ab Archipresbytero aſpergillo, ſe primum aqua benedicta, & mox alios quoque luſtrat, redditq; aſpergillum Archipresbytero, a quo deinde ter incenſatur, atque ſic, ſellam conſcendens, in Baſilicam defertur, portantibus uraniscum Canonicis. Ibi thronum occupat, in quo ſedenti Cardinales obedientiam præſtant. Poſt hanc, ad Altare majus ſe conferens, canere occipit: *Sit nomen Domini benedictum*; Muſicis deinde ſuccinentibus: quorum pſalmodiam excipit Pontificis benedictio, quam univerſo cœtui impertitur. E templo mox in Palatium, ejusque Aulam majorem defertur Pontifex, ibique, poſt repetitam pſalmodiam, Cardinalibus aureos argenteosq; Numos elargitur. Ex Aula in pergulam benedictionis ſeſe confert, omnique populo, in area congregato, benedicit, cui ſimul duo Cardinales Indulgentias conceſſas, in Latina & Italica linguis, promulgant. Exuit poſt iſta Pontifex ſacrum amictum, & illo, quem depoſuerat, ſeſe rurſus veſtiens, via longa, & per celebriores plateas ducta, Palatium, domicilio ſuo deſtinatum, repetit.



RE-

REGVLÆ VTRIVSQVE JVRIS LEOPOLDINÆ.



PRÆFATIO.

QVia non utile tantum, ſed & neceſſe erat, ut, una cum cæteris rudimentis Civilis prudentiæ, potiores quoq; Leges utriusq; Juris, Filius memoriæ fideliter imprimeret, de his pariter ei proſpiciendum fuit. Congeſſere tales, in uſum cupidæ legum juventutis, permulti: verum, ſine flagitio non potuisſent aliæ pro tempore eligi, quam per Quindecades diviſæ Centuriæ tres, quas ipſe Optimus Maximusq; IMPERATOR noſter, adhuc Princeps Juventutis, ſimul tamen jam tum Hungariæ & Bohemiæ Rex, ſedulo addidicit: & quibus, uti Mnemoſynon Sacri Nominis, LEOPOLDVS IGNATIVS H. B. R. ita auſpicia quoq; ejus inſunt. Factum hinc, ut *nullo* negotio has Filius ſibi reddiderit familiarisſimas: iisque deinde, Verſus aliquos veteteres, ſcita quædam Civilis & Canonici Juris, breviter & argute, quo in animo melius hæreant, complexos, ſuperaddere illum juſſi.

L. Lau-

L.

LAudes & gratias, quas Domino DEO exhibere debemus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre.

L. 1. C. de officio Præfecti prætorio Africæ.

Legem condere, ſoli Imperatori convenit.

L. fin. C. de Legib.

Legem interpretari debet is, qui eam condere poteſt.

L. 9. C. de Legib.

Lege permittente quod fit, pœnam non meretur.

L. quid ſit fugitivus. 17. §. apud Labeonem. 12. ff. de Ædilit. edict.

Leges, de futuris, non de præteritis diſponunt.

L. 7. C. de Legib.

Leges indigent armis.

In procemio Inſtitutionum.

Leges

Leges, non dedignantur ſequi ſacros canones.

Novell. 83. c. 1. & ibi Goth.

Leges ſunt ſacratiſſimæ, & ab omnibus ſciri debent.

L. leges ſacratiſſimæ. 9. C. de Legib.

Legibus, non exemplis, judicandum.

L. nemo 13. C. de Sentent. & interlocut. omn. judicum.

Legis auxilium fruſtra implorat, qui in legem committit.

L. auxilium. 37. in fin. ff. de Minorib.

Legislator, commune bonum præferre debet privato.

L. utilitas 3. C. de Primipilo, lib. 12.

Lex debet eſſe clara.

Novell. 107. cap. 1.

Lex poſterior, derogat priori.

L. non eſt novum. 26. ff. de Legib.

Lex ſubditos tantum ligat.

L. fin. ff. de Jurisdict.

Lex ubi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

L. de pretio. 8. ff. de Publician. in rem act.

E. Ea

E.

EA, quæ fortuitis casibus accidunt, in nullo bonæ fidei judicio præstantur.

L. quæ fortuitis. 6. & l. si nulla. 8. C. de Pignorat. act.

Ea, quæ probari ostendiq; nequeunt, pro non gestis, neq; existentibus habentur.

L. in lege 77. ff. de Contrahend. empt.

E duobus malis, minus eligendum.

L. exigendi. 12. C. de Procuratorib.

Emptor ejusdem juris est, cujus fuit author.

L. 156. §. 3. ff. de R. I.

Errantis nullus est consensus.

L. 116. §. fin. de R. I.

Est quidem res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio nummario non sit æstimanda.

L. 1. §. 5. ff. de Var. & extraord. cognit.

Etiam

Etiam per unum actum contrarium, perditur privilegium.

L. 1. C. de His, qui sponte pub. mun. subeunt.

Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.

Cap. exceptionem. 63. de R. I. in 6.

Ex consilio non fraudulento nemo obligatur.

Cap. nullus. 62. de R. I. in 6.

Ex conventione, Contractus legem accipiunt.

Cap. contractus. 85. de R. I. in 6.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

Cap. ex eo 38. de R. I. in 6.

Ex errore dati, repetitio est.

L. 53. ff. de R. I.

Exorbitantia a jure, ad consequentiam non sunt trahenda.

Cap. quæ a jure. 28. de R. I. in 6.

Expedit Reipublicæ, ut delicta puniantur.

L. ita vulneratus. 51. §. fin. ff. ad l. Aquil.

Expressa nocent; non expressa, non nocent.

L. 195. ff. de R. I.

O.

OB gratiam alicui concessum, non est trahendum in ipsius dispendium.

Cap. quod ob gratiam. 61. de R. I. in 6.

Obscura cum sunt jura, reo favendum est potius, quam actori.

Cap. cum sunt. 11. de R. I. in 6.

Oculis magis, quam auribus, est credendum.

§. fin. Instit. de Grad. cogn.

Odia restringenda sunt; favores autem ampliandi.

Cap. odia. 15. de R. I. in 6.

Odio duplici nemo debet prægravari.

L. navis onustæ. 4. §. cum autem. 2. ff. ad l. Rhodiam de jactu.

Offensa Magistratui facta, videtur esse facta Principi.

DD. in l. 1. §. fin. ff. de Injur.

Offensio quando est licita, defensio est illicita.

L. prohibitum. 5. C. de Jure fisci. lib. 10.

Offi-

Officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum.

L. ſed ſi quis 7. ff. Teſtament. quemadm. aperiantur.

Omne qui dicit, nihil excludit.

L. Juniano. 68. in pr. ff. de Legat. 3.

Omnes quod tangit, ab omnibus debet approbari.

Cap. quod omnes 29. de R. I. in 6.

Omnis definitio in Jure eſt periculoſa.

L. 202. ff. de R. I.

Omnis obligatio tollitur, ſoluto eo, quod debetur.

Princip. Inſtitut. Quib. mod. tollit. oblig.

Onus qui ſentit, ſentiat & commodum.

L. ſecundum naturam. 10. ff. de R. I.

Onus rei, tranſit cum re ipsâ.

Cap. paſtoralis 28. X. de Decimis.

Ordinationi Dei reſiſtit, qui Imperatori reſiſtit.

Can. qui reſiſtit. 11. q. 3.

P.

PEccati venia non datur, nisi correcto.

Cap. peccati. 5. de R. I. in 6.

Per alium qui facit, perinde est, ac si faciat per se ipsum.

Cap. qui facit. 72. de R. I. in 6.

Plus cui licet, & minus licet.

L. 21. ff. de R. I.

Plus, semper in se continet minus.

Cap. plus. 35. de R. I. in 6.

Potest quis per alium, quod facere potest per se ipsum.

Cap. potest. 68. de R. I. in 6.

Princeps præsumitur omnia jura habere in scrinio pectoris sui.

L. omnium. 19. C. de Testament.

Princeps, quandoque propter importunitatem petentium, concedit, quæ concedenda non sunt, & ideo talis concessio non valet.

L. 1. C. de Petitionibus bonor. sublatis. lib. 10.

Princeps quod ex certa ſcientia fecit, improbare, eſt crimen ſacrilegii.

L. 3. C. de Crim. ſacrilegii.

Principi nihil eſt clarioris luminis, quam recta fides & Religio.

L. 3. & ſeqq. C. de ſumma Trinit. & Fide Catholica.

Prior tempore, potior jure.

Cap. qui prior. 54. de R. I. in 6.

Privilegium perſonale, perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

Cap. privilegium. 7. de R. I. in 6.

Prohibito aliquo, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex eo.

Cap. cum quid. 39. de R. I. in 6.

Pro impleta habetur conditio, cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur.

Cap. cum non ſtat. 66. de R. I. in 6.

Pro infectis habentur, quæ contra jus fiunt.

Cap. quæ contra. 64. de R. I. in 6.

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

Cap. pro poſſeſſore. 36. de R. I. in 6.

O.

OCcidiſſe vulgo dicitur, qui mortis cauſam præbuit.

L. ita vulneratus. 51. in pr. ff. ad L. Aquil.

Occupantis conditio melior eſt, in pari cauſa.

L. ſi quis a multis. 14. ff. de Noxalib. actionib.

Occurrere in tempore, melius eſt, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere.

L. 1. C. Quando liceat unicuiq; ſine judice ſe vindicare.

Odio alterius nemo debet prægravari.

L. ſi quis ſuo teſtamento. 33. §. fin. C. de Inoff. teſtam.

Officia amicitiæ & fidei, gratis præſtanda ſunt.

L. 1. §. 4. ff. Mandati.

Omnes ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios omnibus modis pertinere.

L. fin. C. Vnde vi.

Omnia judicia publica infamant.

L 7. ff. de Public. judiciis.

Omnia, quæ recto consilio geruntur, jure meritoq; effectu & firmitate niti debent.

L. 3. C. de Repudiis.

Omnino non respondit, qui ad interrogata non respondit.

L. de ætate. 11. §. quod autem. 5. ff. de Interrogat.

Opinio non præjudicat veritati.

Cap. cum Bertholdus. 18. X. de Sentent. & re jud.

Opponens exceptionem solutionis, probare eam cogitur.

L. 1. C. de Probationib.

Optima legum interpres, est consuetudo.

L. 37. ff. de Legib.

Ordinarium remedium, facit cessare extraordinarium.

L. fin. C. Vt lite pendent.

Ordinata charitas, incipit a seipsa.

L. 6. C. de Servit. & aqua.

Ordo judiciarius, pactis privatorum tolli non potest.

L. jus publicum. 38 ff. de Pactis.

L. La-

L.

LAborandum est, ut pugnantia potius concilientur, quam ut actus erroris arguatur.

L. 12. ff. de Reb. dub.

Lata culpa æquiparatur dolo.

L. quod Nerva. 32. ff. Depositi.

Legitime factum retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

Cap. factum. 73. de R. I. in 6.

Libera res quælibet præsumitur, donec contrarium probetur.

Principi Institut. de Libertinis.

Liberalis nemo in necessitatibus præsumitur.

L. rem legatam. 18. ff. de Adim. vel transfer. legatis.

Libertas est res inæstimabilis.

L. libertas. 106 ff. de R. I.

Liberum corpus, non recipit æstimationem.

L. 3. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Licita, non ſemper honeſta ſunt.

L. 144. ff. de R. I.

Liquidi, ad illiquidum, non eſt compenſatio.

L. fin. C. de Compenſatio.

Lite pendente, nihil innovandum.

L 13. C. de Appellat. & conſultat.

Lites non debent eſſe immortales.

L. properandum. 13. in princ. C. de Judiciis.

Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.

Cap. locupletari. 48. de R. I. in 6.

Longe commodius eſt, rem ipſam poſſidere, & adverſarium ad onera petitoris compellere, quam alio poſſidente petere.

L. 24. ff. de Rei vindicat.

Lucrum petentis, durior cauſa eſt.

L. 33. ff. de R. I.

Lucrum qui capit, factum præſtare debet.

L. 149. ff. de R. I.

D.

DAmnum dat, qui jubet dare.
L. 169. ff. de R. I.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi, & non aliis, debet imputare.
Cap. damnum 86. de R. I. in 6.

Dei venia ſperanda, ubi multorum ſalus & incolumitas procuratur.
L. penult. C. de Feriis.

Delictum perſonæ, non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare.
Cap. delictum 76. de R. I. in 6.

Denegare poteſt, qui concedere.
L. 102. §. fin. ff. de R. I.

Dies feſtos, Majeſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari.
L. fin. C. de Feriis.

Digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.
L. 4. C. de legib.

Disjunctorum, alterutrum factum ſufficit.

L. 110. §. 3. ff. de R. I.

Dividi quæ nequeunt, ſolida debentur.

L. 192. ff. d. R. I.

Dolo caret, qui jure ſuo utitur.

L. 55. ff. de R. I.

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

Cap. dolo. 59. de R. I. in 6.

Dolo non caret, qui Magiſtratui non paret.

L. 199. ff. de R. I.

Dolus tutoris, pupillo non nocet.

L. 198. ff. de R. I.

Domus ſua, cuique tutiſſimum refugium, & receptaculum eſſe debet.

L. 18. ff. de In jus vocand.

Dubii tollendi causa adjectum, non vitiat jus.

L. 81. ff. de R. I.

V. Va-

V.

VAnæ voces populi, audiendæ non ſunt.

L. 12. §. 1. C. de Pœnis.

Velle eſt ejus, cujus eſt nolle.

L. 3 ff. de R. I.

Velle quis non creditur, quod non poteſt.

L. Lucius. 21. §. Imperatores. 6. ff. Ad municipalem.

Veniam ætatis impetrans, non habet amplius beneficium reſtitutionis.

L. 1. C. de His, qui veniam ætatis impetrarunt.

Verba debent intelligi cum effectu.

L. 1. §. hæc autem verba. 2. ff. Quod quisque juris.

Verba non mutant ſubſtantiam rei.

L. cum falſa. 5. Cod. de Juris & facti ignorant.

Verba ubi clara ſunt, non confugiendum eſt ad interpretationes.

L. proſpexit. 12. §. 1. ff. Qui & a quib. manumiſſi liberi non fiant.

Veritas, eſt amica ſimplicitati.

Cap veritatis 14. X. de Jurejur.

Veritas, rerum geſtarum erroribus non vitiatur.

L. illicitas. 6. §. 1. ff. de Officio Præſid.

Veritas ſæpius examinata, magis eluceſcit.

Can. grave. 35. q. 9.

Veritati locus ſemper ſupereſt.

L. 29. §. 1. ff. de Probat.

Via una electa, non datur regreſſus ad aliam.

L. ſi mulier. 21. §. fin. ff. Quod metus cauſa.

Via una prohibitum, alia non debet admitti.

Cap. cum quid 84. de R. I. in 6.

Vicinus, præſumitur ſcire facta vicini.

Cap. quosdam. 7. & cap. quanto. 8. X. de Præſumptionib.

Vim non facit, qui jure ſuo utitur.

L. 155. §. 1. ff. de R. I.

S.

SAtius eſt, nocentem dimittere, quam innocentem condemnare.

L. 5. in princ. ff. de Pœnis.

Scienti, & conſentienti, non fit injuria, neq; dolus.

Cap. ſcienti. 27. de R. I. in 6.

Scriptoris error, partibus non nocet.

L. 92. ff. de R. I.

Scriptura, rei geſtæ probationem continere ſolet.

L. 5. C. de Transactionib.

Secundum gradum dignitatis, vitæq; honeſtatem, creſcit, aut minuitur injuriæ æſtimatio.

§. 7. Inſtitut. de Injur.

Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.

Cap. ſemel. 51. de R. I. in 6.

Semel malus, ſemper præſumitur malus.

Cap. ſemel. 8. de R. I. in 6.

Semel

Semel quod placuit, amplius displicere non poteſt.

Cap. quod ſemel. 21. de R. I. in 6.

Semel utiliter conſtituta, ex poſt facto non vitiantur.

L. 85. §. 1. ff. de R. I.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

Cap. in obſcuris. 30. de R. I. in 6.

Sentiens onus, ſentire debet & commodum.

Cap. qui ſentit. 55. de R. I. in 6.

Servari ſibi fidem fruſtra quis poſtulat ab eo, cui fidem præſtitam ſervare recuſat.

Cap. fruſtra. 75. de R. I. in 6.

Sexus muliebris fragilitas, in perniciem ſubſtantiæ earum, non debet converti.

Princip. Inſtitut. Quib. alienar. licet vel non.

Si cui licet, quod plus eſt, licet etiam, quod minus eſt.

Cap. cui licet. 53. de R. I. in 6.

Simplicitas eſt amica legibus.

§. ſed quia. 7. Inſtit. de Fideicommiſſariis hereditatibus.

I. Igno-

I.

IGnorantia facti, non juris, excuſat.
Cap. ignorantia. 13 de R. I. in 6.

Ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur.
Cap. præſumitur. 47. de R. I. in 6.

Imperator colit veritatem, & ea vult eſſe in legibus, quæ re ipsa obtinent.
L. unica. C. de Dedititia libertate tollenda.

Imperatoriæ Majeſtati convenit, ut omnipotentis Dei templa, cultu aſſiduo, per omnia ſecula reditiva, ſerventur.
L. ſi qui. 10. C. de Hæreticis & Manichæis.

Imperatori nihil gratius, quam humanitas.
L. fin. in princ. C. de Epiſcop. & Cleric.

Imperator, quemadmodum viventibus providet, ita & morientibus proſpicere debet.
L. omne. 2. C. Communia de Legat. & Fideicommiſſ.

Im-

Imperiales contractus, legis vicem obtinent.

L. penult. C. de Donat. int. virum & uxorem.

Imputari non poteſt ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum.

Cap. imputari 41. de R. I. in 6.

In alterius detrimentum, conſilium mutare non licet.

Cap. mutare. 33. de R. I. in 6.

In judiciis, non eſt acceptio perſonarum habenda.

Cap. in judiciis. 12. de R. I. in 6.

In re communi, potior eſt conditio prohibentis.

Cap. in re communi. 56. de R. I. in 6.

Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel, quod plerunq; fieri conſuevit.

Cap. inſpicimus. 45. de R. I. in 6.

Iudex quando aliquid facit, quod ad ejus non ſpectat officium, viribus non ſubſiſtit.

Cap. ea quæ fiunt. 26. de R. I. in 6.

Iudicis juſſu aliquid faciens, dolo facere non videtur.

Cap. quod quis. 24. de R. I. in 6.

Iura, vigilantibus, non dormientibus ſcripta.

L. 24. ff. Quæ in fraudem creditorum.

G. Ge-

G.

GEneralis locutio, perſonam loquentis non comprehendit.

L. inquiſitio. 18. C. de Solutionibus.

Generalis prohibitio, etiam minima comprehendit.

Cap. majoribus. 8. X. de Præbend.

Generaliter, & indiſtincte prolata, generaliter etiam ſunt intelligenda.

L. de pretio. 8. ff. de Public. in rem act.

Generi, per ſpeciem derogatur.

Cap. generi. 34. de R. I. in 6.

Geometriam ſcire & diſcere, publice intereſt.

L. artem. 2. C. de Maleficis & Mathematicis.

Gens ſub majori conſtituta judice, majorem ſentiet providentiam.

Novell. 15. cap. quia vero. 6. §. audient.

Genus, includit omnes ſpecies.

L. ſemper. 147. ff. de R. I.

Gla-

Gladii poteſtatem ſibi datam, nemo poteſt in alium transferre.

L. 70. ff. de R. I.

Gratia a Principe, ſuper delicto, vel alias alicui facta, non præjudicat juri tertii.

Cap. quamvis. 8. & ibi DD. de Reſcript. in 6.

Gratioſe conceſſum alicui, ab aliis non debet trahi in conſequentiam.

Cap. quod alicui. 74. de R. I. in 6.

Gravari nequit, qui honoratus non eſt.

L. 1. §. ſciendum. 6. ff. de Legat. 3.

Gravatus in uno, ab alio debet relevari.

L. ſecundum naturam. 10. ff. de R I.

Grave eſt fidem fallere.

L. 1. in princ. ff. de Conſtit. pecun.

Gravis eſt injuria, ut homines de rebus ſuis, facere aliquid cogantur inviti.

L. dudum. 14. C. de Contrah. empt.

Gravius in committendo, quam in omittendo, delinquitur.

L. Metrodorum. 40 ff. de Pœnis.

N. Na-

N.

NAtalium origo in deferendis honoribus ſpectatur.

L. honor. 14. §. 3. ff. de Munerib. & honorib.

Natura prohibita lege non firmantur.

L. 188. §. fin. ff. de R. I.

Neceſſitas non habet legem.

Cap. quanto. 4. X. de Conſuetudin.

Neceſſitatis cauſa recepta non debent in argumentum trahi.

L. 162. ff. de R. I.

Negligentibus non ſubvenitur, ſed neceſſitate rerum impeditis.

L. non enim. 16. ff. Ex quib. cauſ. majores.

Nemo eſt dominus membrorum ſuorum.

L. liber. 13. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.

Nemo poteſt plus juris in alium transferre, quam ipſe habere dignoſcatur.

Cap. nemo. 79. de R. I. in 6.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

Cap. non debet. 22. de R. I. in 6.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Cap. peccatum 4. de R. I. in 6.

Non est in mora, qui exceptione legitima se tueri potest.

Cap. non est. 60 de R. I. in 6.

Non est magnum damnum mora modici temporis.

L. si debitori. 21. ff. de judiciis.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

Cap. non est. 58. de R. I. in 6.

Non est sine culpa, qui rei se immiscet, ad se non pertinenti.

Cap. non est 19. de R. I. in 6.

Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

Cap. non præstat. 52 de R. I. in 6.

Non valenti agere, non currit præscriptio.

L. 1. & ibi DD. C. Qui admitti ad bonorum possessionem.

A.

ABſentia Reipublicæ cauſa non nocet.

L. 140. ff. de R. I.

Abſolvere qui poteſt, poteſt & condemnare.

L. 37. ff. de R. I.

Abundantia non vitiant ſcripturas.

L. 94. ff. de R. I.

Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

Cap. acceſſorium. 42. de R. I. in 6.

Actionem habere, minus eſt, quam rem.

L. 204. ff. de R. I.

Actore non probante, reus abſolvitur.

L. qui accuſare. 4. C. de Edend.

Actori non licet, quod reo non permittitur.

Cap. non licet. 32. de R. I. in 6.

Actor ſequitur forum rei.

L. juris ordinem 2. C. de Jurisdict. omn. judic.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

Cap. actus legitimi. 50. de R. I. in 6.

Ad agendum qui admittitur, ad excipiendum multo magis eſt admittendus.

Cap. qui ad agendum. 71. de R. I. in 6.

A digniori ſemper fit denominatio.

Arg. l. quæritur. 10. ff. de Statu hominum.

Æquitas in jure ſpectanda.

L. 90. ff. de R. I.

Æquitate deſiderante, jus mutatur.

L. 85. §. fin. ff. de R. I.

Ætati in cauſis pœnalibus ſuccurritur.

L. 108. ff. de R. I.

Affirmanti incumbit probatio.

L. 2. ff. de Probationib.

T.

TAcens conſentire videtur.

Cap. qui tacet. 43. de R. I. in 6.

Tacens non fatetur, ſed nec utique negare videtur.

Cap. is qui tacet. 44. de R. I. in 6.

Temporaria mutatio jus provinciæ non mutat.

L. 123. §. fin. ff. de R. I.

Temporis tractu non firmatur, quod ab initio non ſubſiſtit.

Cap. non firmatur. 18. de R. I. in 6.

Teſtamentaria ſucceſſio plenior eſt legitima.

L. 89. ff. de R. I.

Teſtamentum, inſinuatum Principi vel Judici, valet ſine ſolennitate teſtium.

L. omnium. 19. C. de teſtament.

Teſtamentum jure perfectum, per reſcriptum Principis non poteſt reſcindi.

L. teſtamentum. 10. C. de Teſtament.

Teſtatorum voluntates tuendæ ſunt.

L. 1. C. de SS. Eccleſiis.

Teſtatus & inteſtatus decedere nemo poteſt.

L. 7. ff. de R. I.

Teſtis nemo poteſt eſſe in propria cauſa.

L. nullus. 10. ff. de Teſtib.

Timor vanus non excuſat.

L. 184. ff. de R. I.

Traditionibus & uſucapionibus, non nudis pactis, transferuntur rerum dominia.

L. 20. C. de Pactis.

Transactione ſopita, neq; per reſcriptum Principis ſunt reſuſcitanda.

L. cauſas. 16. C. de Transact.

Turpitudinem propriam allegans, non eſt audiendus.

L. mercalem. 5. C. de Condict. ob turpem cauſam.

Tutela eo redire debet, quo hereditas pervenit.

L. 73. in princ. ff. de R. I.

I.

IMperitia, culpæ annumeratur.
L. 132. ff. de R. I.

Impossibilium nulla est obligatio.
L. 185. ff. de R. I.

In alternativis, electio est penes debitorem.
Cap. in alternativis. 70 de R. I. in 6.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
Cap. in argumentum 78. de R. I. in 6.

Infamibus non patent portæ dignitatum.
Cap. infamibus. 87. de R. I. in 6.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
Cap. in generali. 81. de R. I. in 6.

Iniqua conditio alteri per alterum non est inferenda.
L. 74. ff. de R. I.

In legem committit, qui, legis verba am-

amplectens, contra legis nititur voluntatem.

Cap. certum est. 88. de R. I. in 6.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Cap. in malis. 69. de R. I. in 6.

In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

Cap. in pari. 65. de R. I. in 6.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.

Cap. in pœnis. 49. de R. I. in 6.

Interpretatio contra eum est facienda, qui legem potuit dicere apertius.

Cap. contra eum. 57. de R. I. in 6.

In toto partem non est dubium contineri.

Cap. in toto 80. de R. I. in 6.

Iura sanguinis, nullo jure civili dirimi possunt.

L. 8. ff. de R. I.

Ius qui sequitur, non fallitur.

L. 116 §. 1 ff. de R. I.

V.

VIm vi repellere licet.

L. ut vim. 3. ff. de Justit. & jure.

Vis est etiam tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, per judicem non reposcit.

L. exstat. 13. ff. Quod met. causa.

Vita & fama pari passu ambulant.

L. 9. in princ. ff. de Manumiss. vind.

Vnicuique sua mora nocet.

Cap. mora, 25. de R. I. in 6.

Vnius circumventio, alteri non parit actionem.

L. 49 ff. de R. I.

Vnusquisque rerum suarum moderator & arbiter.

L. in re mandata. 21. C. Mandati.

Volenti dolus non infertur.

L. 34. C. de Transactionib.

Voluntarium ab initio, ex post facto est necessarium.

L. sicut ab initio. 5. C. de Obligationib. & actionib.

Voluntas & propoſitum delinquentis, maleficia diſtinguunt.

L. qui injuriæ cauſa. 53. ff. de Furtis.

Voluntas hominis ambulatoria eſt usque ad mortem.

L. 4. ff. de Adimend. vel transfer. legat.

Voluntates legitime contrahentium omnino conſervandæ ſunt.

L. 6. C. Pro ſocio.

Vox unius, vox nullius.

Cap. veniens. 10. in fin. X. de Teſtib.

Vſuras uſurarum exigere non licet.

L. 28. C. de Vſuris.

Vtile per inutile non vitiatur.

Cap. utile. 37. de R. I. in 6.

Vxores a viris, non viros ab uxoribus, defendi æquum eſt.

L. quod ſi. 2. ff. de Injuriis.

S. Sine

S.

SIne culpa, niſi ſubſit cauſa, nemo eſt puniendus.

Cap. ſine culpa. 23. de R. I. in 6.

Socii mei ſocius, ſocius meus non eſt.

L. 47. §. fin. ff. de R. I.

Solennia, niſi ex æquitate, non mutantur.

L. 183. ff. de R. I.

Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus.

Cap. in literis. 5. X. de Reſtitut. ſpoliat.

Statutum fines ſuæ ditionis non egreditur.

L. fin. ff. de Juriſdictione.

Stylus ac conſuetudo Curiarum pro lege habetur.

§. fin. Inſtitut. de Satisdationibus.

Sub auctoritate juris plerunq; perniciose erratur.

L. 91. §. 3. ff. de V. O.

Sub-

Subditorum commodis prospicere, proprium est Principis.

L. Imperialis. 23. in princ. C. de Nupt.

Substitutus in honore, succedit in onere.

Cap. rationi. 77. de R. I. in 6.

Subtilitates sine utilitate non sunt sequendæ.

L. 7. in fin. C. de Institut. & substitutionib.

Succedens in jus alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

Cap. is qui. 46. de R. I. in 6.

Suo quod non licet, nec alieno nomine licebit.

Cap. quod alicui. 67. de R. I. in 6.

Superflua non nocent.

L. 17. C. de Testament.

Suprema voluntas semper potior habetur.

L. si quis. 22. ff. de Legat. 3.

Suspectus est, qui operam suam ingerit invito.

L. quæ omnia. 25. de Procurat.

H. He-

H.

HEredi non eſt relinquendum, quod ſcelere quæſitum eſt.

L. cum falſi. 12. ff. ad L. Cornel. de falſis.

Hereditas non poteſt dari pactionibus.

L. hereditas. 5. C. de Pactis convent.

Hereditas perſonæ defunctæ vicem ſuſtinet.

Princip. Inſtit. de Stipulat. ſervor.

Hereditas una, duobus in ſolidum dari nequit.

L. 141. §. fin. ff. de R. I.

Heres de dolo ſuo in ſolidum, defuncti vero in id, quod ad eum pervenit, tenetur.

L. 44. ff. de R. I.

Heres ejusdem juris eſt, cujus fuit defunctus.

L. 120. ff. de R. I.

Hominem homini inſidiari nefas eſt.

L. ut vim. 3. ff. de Juſtit. & jure.

Homo

Homo unus, plurium vicem ſuſtinere non debet.

L. ſi plures. 9. in princ. ff. de Pact.

Honorem omnem reatus excludit.

L. 1. C. Vbi Senatores vel Clariſſimi.

Honores & munera non ſunt continuanda.

L. 18. ff. ad Municipalem.

Honores gradatim ſunt deferendi.

L. ut gradatim. 11. ff. de Muneribus & honoribus.

Honoris augmentum, non ambitione, ſed labore, ad unumquemque convenit devenire.

L. contra. 14. C. de re Militari. lib. 12.

Honor omni lucro præferendus eſt.

L. reprehendenda. 5. C. de Inſtitut. & ſubſtitutionib.

Honor unius alteri non debet eſſe damno.

L. fin. C. de Statuis & Imaginib.

Humana natura novas ſemper formas edere deproperat.

L. 2. §. ſed quia divina. 18. C. de Vet. jur. enucl.

B.

BEneficia Principum latiſſime ſunt interpretanda.

L. 3. ff. de Conſtitut. Principum.

Beneficio adjuvari nos, non decipi oportet.

L. in commodato. 17. §. 3. ff. Commodati, vel contra.

Beneficium, a jure alicui indultum, non eſt ei auferendum.

Cap. indultum 17. de R. I. in 6.

Beneficium, a Principe conceſſum, decet eſſe manſurum.

Cap. decet. 16. de R. I. in 6.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite, ſine inſtitutione canonica, obtineri.

Cap. beneficium. 1. de R. I. in 6.

Beneficium invito non datur.

L. 69. ff. de R. I.

Benemerentibus præmia tribui oportet.

L. fin. C. de Statuis & imaginib.

Beni-

Benignior ſententia in dubio eſt præferenda.

L. ſemper. 56. ff. de R. I.

Bona fides in contractibus eſt obſervanda.

L. bona fides. 31. in princ. ff. Depoſiti.

Bona fides non patitur, ut ſemel exactum, iterum exigatur.

Cap. bona fides. 83. de R. I. in 6.

Bonam fidem non habere præſumitur, qui contra jura mercatur.

Cap. qui contra. 82. de R. I. in 6.

Bona non dicuntur, niſi deducto ære alieno.

L. mulier bona. 72. ff. de Jure dot.

Bona qui non habet, luat in corpore.

L. fin. ff. de in jus vocando.

Boni & innocentis viri officio judicem fungi oportet.

L. 4. §. 1. ff. famil. herciſc.

Bonus præſumitur, qui de bono loco, & genere natus eſt.

L. quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia. 21. ff. de Ædilit. edicto.

R.

RAro accidentia non conſtituunt jus.

L. 64. ff. de R. I.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.

Cap. ratihabitionem. 20. de R. I. in 6.

Ratio eſt anima legum.

L. 17. ff. de Legib.

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

Cap. ratum. 9. de R. I. in 6.

Realis cautio potior eſt perſonali.

L. 25. ff. de R. I.

Rebus, non verbis, lex imponenda.

L. 28. C. de Vſuris.

Rei alienæ ſe immiſcens, culpa non caret.

L. 36. ff. de R. I.

Rei litigioſæ venditio nulla eſt.

L. fin. C. de Litigioſis.

Reipublicæ intereſt, ut dignitas familiarum ſalva ſit.

L. 1. §. ſed & ſi. 13. ff. de Vent. inſpic.

Religio jurisjurandi contempta, ſatis Deum habet ultorem.

L. 2. C. de Reb. cred.

Remota cauſa, removetur effectus.

Cap. cum ceſſante 60. X. de Appellat.

Reſcriptum ſemper hanc clauſulam requirit, ſi preces veritate nitantur.

L. univerſa. 7. C. de Diverſis reſcript.

Res incerta, certam non habet æſtimationem.

L. ubi autem. 75. ff. de V. O.

Res inter alios acta, tertio non præjudicat.

L. 1. C. Res inter alios actas.

Res judicata pro veritate habetur.

L. 207. ff. de R. I.

FINIS.

VER-



VERSUS MEMORIALES.

Personæ, quæ ob cognationem, de Jure Civili, matrimonium inire prohibentur:

NAta; Soror; Neptis; Matertera; Fratris & Uxor; (verca,
Et Patrui Conjux; Mater, Privigna, No-
Uxorisq; Soror, Privigni nata, Nurusq;,
Atq; Soror Patris; conjungi lege vetantur.

Impedimenta Matrimonii contrahendi, quæq; contractum dirimunt:

ERror; Conditio, Votum, Cognatio; Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo; Ligamen, Honestas;
Si sis Affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis:
Raptave sit mulier; nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant Connubia; facta retractant.

Impedimenta Matrimonii contrahendi, sed, quæ contractum non dirimunt.

ECclesiæ vetitum; nec non Tempus feriatum,
Atq; Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

De alenda prole.

Mater alit puerum trimum, trimoq; minorem,
Majorem vero pascere patris erit.

De Successione ab intestato.

Res Intestati accipit, heus! Gradus Inferiorum:
Qui, si defuerint, subit hinc Gradus Anteriorum.
Cum Patre succedunt Fratres ab utroq; Parente:
Nec tamen hos comitatur Avus, Patre deficiente.
Fratres ex uno, Fratres removent ab utroq;.
Post Fratres, Sobolemq; suam, quo quemq; priorem
Dixeris esse gradu, de jure scias potiorem.

De Legitima.

Quatuor, aut infra, dant Natis jura Trientem:
Semissem vero dant Natis Quinq;, vel ultra.
Arbitrium seqvitur substantia cætera Patris.

De Orphitiano & Tertuliano SCtis.

Matri succedit Natus, per Orphitianum:
Et contra Mater Nato, per Tertulianum.

Cau-

Causæ exheredandi Liberos.

Is ſeptem ex cauſis exheres Filius eſto:
Si Patrem feriat, vel maledicat ei.
arcere detruſum ſi negligat, aut Furioſum:
Criminis accuſet, vel paret Inſidias.
i dederit Damnum grave, nec ab Hoſte redemit,
Teſtari vetet, ſe ſocietq; Malis.
i Mimos ſeqvitur, vitietq; Cubile paternum:
Non Orthodoxus, filia ſi Meretrix.

Cauſæ exheredandi Parentes.

SI Pater Accuſet capitalis criminis, aut ſe
Adjungat Mimis, Vitæq; eſt inſidiatus;
Teſtari prohibet Natum, dirumq; Venenum
Præparet; incluſum ſi Carcere, vel Furioſum
Negligat, & veram contemnat Relligionem.

De Vſucapione.

NOn uſucapies, niſi ſint tibi talia quinq;:
Juſta Fides, Juſtus Titulus, Res non vitioſa,
Vt res tradatur, & Tempus continuetur.

De Emphyteuta.

SI perit res tota, liberabitur Emphyteuta:
Si vero pro parte, nulla liberabitur arte.

Qui res alienas alienare possint.

PRinceps, Augusta, Judex, aut Officialis,
Tutor, Curator, Procurator, Fluviusq;,
Creditor, Exactor, Prælatus, Servus, habentur
Hi numero bis sex alienantes aliena.

De Revocatione Donationis.

QVinq; modis perdo, mihi quæ donata fuere.
Infero si damnum grave donantis in ære.
Si per me sit huic atrox injuria facta.
Qvando ejus vitæ crudeliter insidiabor.
Ingratum factum dic me, si fregero pactum.

De plus Petitionibus.

QVatuor, ecce, modos, qveis plus petiisse solemus:
Plus petitur Causa, Tempore, Re, atq; Loco.
Plus petitur Causa, quando Disjuncta petuntur
Simpliciter, Species certave pro Genere.
Re, tum plus petitur, cum pars est debita fundi,
Vel summæ, in solidum sed tamen Actor agit.

Anti

nte statuta vocans solvendis tempora numis
Lege paciscentum, Tempore plus petiit.
romissum hic vel ibi, pure si forte petatur,
Hic tum quisquis agit, plus petit ille Loco.

Quando Mulier obligetur.

C*Asibus in denis Mulier spondendo tenetur:*
Pro Libertate, & pro Dote, Renunciet, & si
Decipiat, Pretium capiat, Caveatq; secundo:
Debenti si succedit, si Debita cepit:
Si Minor est credens, si Commoda propria gessit.

Quomodo Libellus compositus esse debeat.

Q*Uis, Quid, Coram quo, Quo jure petat, simul A quo,*
Recte compositus quisq; Libellus habet.

De Juramento Calumniæ.

I*Llud juretur, quod lis sibi justa videtur;*
Et si quæretur, verum non inficietur;
Nil promittetur, ut falsa probatio detur;
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

De Testibus.


Conditio, Sexus, Ætas, Discretio, Fama,
Et Fortuna, Fides, in Testibus ista requires.
Et Consanguinei, pariter domestica turba:
Et Clerus Laicos a se fugat, & vice versa;
Res pariter, Gradus, Locus his sunt consona Tempus.

Quibus modis Jus varietur.

Causa, Locus, Tempus, Persona, Rigor, Novitasq;,
Antiquum, Bonitas, Veto, Consulo, Præcipioq;,
His si jungatur Permissio, Jus variatur.


Quibus modis Judicium hominis corrumpatur.

Quatuor ista: Timor, Odium, Dilectio, Census,
Sæpe solent hominum sanos pervertere sensus.



IN

INDEX TITVLORVM JVRIS CIVILIS ET CANONICI.



PRÆFATIO.

ALmæ Jurisprudentiæ operari incipientem Filium, id imprimis ſolicitabat, qua ratione ſeriem Titulorum Juris Civilis & Canonici, ita memoria complecti poſſet, ut eidem fideliter inhærerent, atq; ſingulos, cum res & occaſio poſtulant, haberet in numerato. Ajebam illi, varios varia ſubſidia ſuppeditaſſe, ea tamen interdum, ut mentem magis obruant, aut crucient, quam inſtruant. Huc referre me libellos, qui, ſive ſoluto ſermone, ſecundum materias, prolixe, ſive verſibus, quoad inſcriptiones, conciſe ac breviter, imo ſæpe per truncas voces, ordinem Titulorum oſtendunt. Iſtæ rationes, quia ſemper ad retinendum mihi non ſatis commodæ viſæ, juſſi, parvum libellum ſibi Filius pararet, atq; in hunc, ſua manu, omnes omnium utriusq; Juris librorum Titulos, ſeriatim deſcriberet, in quamq; pagellam x x. conjiciendo, per quincunces, (ut nimirum quintus ſemper Titulus minio a cæteris diſtinguatur,) diviſos; niſi ubi librorum Pandectis brevitas, hanc diſtinctionem ſervare prohibet. Sic digeſtos, ediſcere illum oportuit; atque conferebat ad diſcendum, autographum, quod cujusque oculis & animo ſemper eſt gratisſimum; ad reminiſcendum, diſcretio, ſuggerens, quem locum in quaque claſſe Titulus occupet. Gesſit morem: atque asſidua deinde repetitione factum eſt, ut tam facile ſequelam Titulorum recitaret, ac

per

per læve marmor palpantes digiti effunduntur. Sed vero cum nondum hoc ad dignoſcendam ſedem Titulorum, cum eorundem ſtrues turbatur, ſufficeret, amplius præcepi, alium inſuper conficeret libellum, eiq; Titulos ſecundum Alphabeti ſeriem inſcriberet, adjecto libro cujusque; ſed ita, ut numeri recta linea ſeſe invicem excipiant. Adjeci, poſſe etiam hic retineri illam per quincunces diſpoſitionem; cum ea juvari nonnihil memoria queat, offendi minime. Atq; hic Catalogus eum præſtare debebat uſum, ut vola dextræ manus, aut ſcheda aliqua chartaria, numeros tegendo, ex ſeſe percontaretur Filius, in quo libro quisque Titulus deprehenditur, & ut ſibi ipſi reſponſum daret. Hoc quoque ſæpe cum is iteraſſet, non male ſucceſſit negotium, & ſedes Titulorum ſibi is reddidit familiarisſimas. Priorem libellum huc afferre, ſupervacuum fuisſet; alterum, non æque: nam valet ſimul pro Indice Rudimentorum Juris Civilis, quæ præcedunt: ac ideo additos quoq; habet numeros, ſecundum ordinem, quem Tituli in ipſis Inſtitutionum, Digeſtorum, Codicis, & Decretalium libris, obtinent: in quibus numeris cæteroqui memoriæ infigendis, nolebam, ut Filius ſeſe macerarer.

Prior

Prior numerus Librum, posterior Titulum significat.

A.

Institutionum.

Digestorum.

Ad

Ædi-

Codicis.

Agen-

Appa-

Decretalium.

B.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decretalium.

C.

Institutionum.

Codicis.

Cobor-

Decretalium.

D.

Institutionum.

Digestorum.

Decre-

Codicis.

Decretalium.

Diga-

E.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Exce-

Decretalium.

F. In-

F.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Fun-

Dige-

Digestorum.

Codicis.

De-

Decretalium.

I.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Codicis.

Decretalium.

M.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decretalium.

N.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decretalium.

O.

Institutionum.

Obli-

Digestorum.

Codicis.

Ordi-

Codicis.

Præ-

Decretalium.

Pur-

Q.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decretalium.

R.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decre-

Decretalium.

S.

Institutionum.

Dige-

Digestorum.

Si

Codicis.

Servi

Spor-

Decretalium.

T.

Institutionum.

Digestorum.

Codicis.

Decretalium.

V.

Institutionum.

Digestorum.

Unde

Vnde

Decretalium.

FINIS.



